





KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ
TOMUS QUINTUS.



KALENDARIA
ECCLESIÆ UNIVERSÆ

IN QUIBUS

TUM EX VETUSTIS MARMORIBUS, TUM EX CODICIBUS, TABULIS, PARIETINIS, PICTIS, SCRIPTIS, SCALPTISVE, SANCTORUM NOMINA, IMAGINES, ET FESTI PER ANNUM DIES

ECCLESIARUM ORIENTIS, ET OCCIDENTIS,

PRÆMISSIS UNIUSCUJUSQUE ECCLESIÆ ORIGINIBUS

RECENSENTUR, DESCRIBUNTUR, NOTISQUE ILLUSTRANTUR

STUDIO, ET OPERA

JOSEPHI SIMONII ASSEMANI

BIBLIOTHECÆ VATICANÆ PRÆFECTI, ET SACROSANCTÆ BASILICÆ PRINCIPIS APOSTOLORUM DE URBE CANONICI.

TOMUS QUINTUS.

KALENDARIA ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.





ROMÆ, MDCCLV.

SUMPTIBUS FAUSTI AMIDEI

BIBLIOPOLÆ IN VIA CURSUS.

SUPERIORUM FACULTATE.





SANCTISSIMO PATRI

BENEDICTO XIV.

PONT. OPT. MAX.

JOSEPH SIMONIUS ASSEMANUS

SEMPITERNAM FELICITATEM.



UANTUM conniti animo potui, quantum labore contendere, tantum facere ſemper curavi, BEATISSIME PATER, ut ex tenui meo penu Scriptiunculam aliquam in publicum emitterem, quam SANCTITATI TUÆ munus non ingratum offerrem. Hoc enim patet, & notum eſt omnibus, Sapientiſſimi Principis animum ita eſſe affectum, ut nihil ei accidere poſſit gratius, nihil acceptius, quàm genus

illud ſcriptionis, quod ſuam eo referat originem, ubi omnes omnium doctrinarum fontes fluunt ac manant. Præſtantiſſima dico illa ingenii Tui monimenta, PATER SANCTISSIME, quæ totius Literarii Orbis conſenſu ita ſunt probata, ut quidquid de Religione, de Rebus Divinis, de Sacris Cæremoniis, deque Eccleſiaſtica Diſciplina in diſceptationem quæſtionemque vocari contingat, illud luculentiſſime doctiſſimeque explicatum una comprehenſione complectantur: & ſtylo quidem Orationis tam perſpicuo, plano, & aperto, ut eruditionem in iis doctrinamque Lector magis miretur, an perſpicuitatem claritatemque, anceps dubiuſque hæreat.

Prodierat ſane multis ab hinc annis a Te paratum, quum adhuc Bononienſem Eccleſiam Archiepiſcopus adminiſtrares, ſed tandem poſt recognitos, typiſque iterum impreſſos quatuor luculentiſſimos de Canonizatione Sanctorum Tomos; poſt eundem laborem adhibitum præclaris Operibus de Feſtis Domini, Beatæ Mariæ Virginis, & quorumdam Sanctorum, quorum

in

in Civitate & Diœcesi Bononiensi Officia celebrantur, de Sanctissimo Missæ Sacrificio, aliisque, quæ in Latinum conversa, & additamentis pluribus locupletata publicam lucem viderunt; post vulgatum priorem Bullarii Tomum: prodierat, inquam, ex integro a Te ad Supremum Ecclesiæ Catholicæ Regimen evecto, inter difficillima & assidua Pontificatus negotia elaboratum Opus de Synodo Diœcesana, in octo Libros distributum, in quo docuisti, quibus de causis, & qua ratione Synodi sint celebrandæ, & quæ a Sacris Antistitibus sint in illis Ecclesiastica negotia, & quo ordine pertractanda; quæ demum decerni in Synodo possint, vel non sint Synodalibus Statutis attingenda. Verum quo præditus es ingenii acumine, & sapientiæ affluentia, quamquam a Te cumulate quidem doctis omnibus Ecclesiarum Præsulibus factum esset satis, Tibi tamen ipse, PONTIFEX MAXIME, fecisse satis visus non es, nisi novam ejusdem Operis Editionem aggredereris; seu verius ex integro elaborares Commentationem omnigena eruditione refer-

ram,

tam, non in octo, ut antea, ſed in XIII. Libros diviſam; additis Patrum, Conciliorum, & Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ documentis: quarum rerum ingentem copiam (ut verbis Tuis utar :) habebas in promtu, partim privato ſtudio, partim muneribus publicis, & experientia collectam. Adeo multa ſunt de novo lucubrata: in quibus quantus Eccleſiæ utriuſque, Occidentalis nempe ac Orientalis, ſplendor, quanta rebus ſacris dignitas & amplitudo, quanta Latinis pariter, & Græcis utilitas ventura ſit, facili negotio perſpicitur. Hinc enim, quicumque Regimini Eccleſiarum præſunt, tamquam ex uberrimo ac limpidiſſimo fonte, haurient quidquid ad quaslibet, ſive de Orthodoxæ Fidei Dogmatibus, ſive de ſeptem Sacramentorum materia, forma, & Miniſtro, ſive de Sacris Eccleſiæ Ritibus, ſive de omni penitioris doctrinæ ſubtilitate, Theologicas controverſias enucleandas facit: idque non ſummatim, ſed particulatim, atque ea methodo diſtincte & ordinate diſpoſitum, ut nihil amplius deſiderandum iis ſit, qui ſuas rite, recte, ac

lau-

laudabiliter, & ex præscripto earum rerum, quas toto Opere complexus fuisti, Synodos celebrare instituent.

Quum igitur hujusmodi pertractationem admirabili scientia illa Tua felicissime explicatam expeditamque, summa cum animi voluptate percurrerem, eadem ipsa eruditissima pertractatio me cæteroquin maximis a Te ornatum beneficiis, hoc etiam nomine majoribus Tibi vinculis, BEATISSIME PATER, in perpetuum devinxit, quod suscepti utcumque a me in Synodo Nationali in monte Libano anno 1736. congreganda laboris, honorificam facere mentionem non es dedignatus: & quod majoris beneficii loco habendum est, eandem Synodum, cui tamquam Ablegatus Apostolicus præfui, omniaque & singula in ea edita, statuta, decreta, ordinationes & Canones, per Literas Apostolicas die prima mensis Septembris anno 1741. datas, confirmasti. Quumque nonnulla Dubia a Reverendissimo D. Josepho Patriarcha Antiocheno proposita fuissent circa Canones in eadem Synodo promulgatos, tam quoad omnimo-

dam

dam Monialium a monachis ſeparationem, quam quoad Sacrorum Oleorum diſtributionem, atque uniuſcujuſque Eccleſiæ Antiſtitis firmam incardinationem, & Epiſcopatuum ad certum numerum juxta folium ab ipſo Patriarcha, Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſubſcriptum reductionem; per alias Literas Apoſtolicas die 14. Februarii anno 1742. datas, & numerum Sedium ac Diœceſium Epiſcopalium (excepta Patriarchali Sede & Archidiœceſi) definiſti: & Canonem, quo omnimoda Monialium a Monachis ſeparatio præſcribitur, probandum eſſe edixiſti: & ad Sacrorum Oleorum diſtributionem quod ſpectat, præcepiſti, ut eædem pecuniarum oblationes, quæ, quum Sacra Olea a Patriarcha diſtribuerentur, eidem ad onera ſuſtentanda, quæ Patriarchali officio ac dignitati incumbunt, exhibebantur, ad omnem propellendam Simoniæ ſuſpicionem, nomine ſubſidii charitativi, ſive Cathedratici, deinceps Patriarchæ traderentur die Dominica infra Octavam Aſſumptionis Deiparæ Virginis. Ita & Canones ea in Synodo omnium ſuffragiis probatos,


in

in ſuo robore permanere, & in omnibus & per omnia inviolabiliter & inconcuſſe obſervari debere decreviſti: & æquis religioſiſſimi Patriarchæ poſtulatis benigniſſime proſpexiſti. Atque hæc tanta eſt Tuorum erga me, meoſque agnatos & gentiles meritorum magnitudo, ut nulla unquam eorum memoriam delere poſſit oblivio. Quamobrem pro tot tantiſque beneficiis, locupletiſſimum grati animi mei teſtem, Quintum hunc de Eccleſia Slavica ſeu Græco-Moſcha, Tuis advolutus Sanctiſſimis Pedibus, exhibeo Tomum, in quo, enarratis Serblorum, Albanenſium, Boſnenſium, Valachorum, Bulgarorum, & Ruſſorum Eccleſiaſticis Originibus, Ephemerides Sanctorum, qui a Græcis Ruſſiſque coluntur, in Tabulis Capponianis eleganter depictas, illuſtrandas ſuſcepi. Spe autem certa ducor, non exiguum extiturum laboris mei fructum, ſi modo, Sanctissime Pater, dignum eum exiſtimaveris, qui graviſſimo Tuo probetur judicio.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

F. M. de Rubeis Patriarcha Constantinopolitanus Vicesgerens.



APPROBATIO

Legi ex mandato Rmi Patris Augustini Orsi Magistri Sac. Pal. Apost. Librum Quintum De Kalendariis Ecclesiæ Slavicæ, ab Illmo D. Jo: Simonio Assemano Vatic. Basilicæ Canonico, & Bibliothecæ Præfecto, singulari studio, atque doctrina elucubratum, in quo quum rara, ac recondita rerum cognitio cum Catholicæ Fidei præceptis, ac regulis Ethices verè Christianæ concors sit, omnium eruditorum hominum lectione, atque approbatione dignissimum judico. In quorum fidem &c.


Franciscus Marianus Vatic. Basil. Benef. & Bibliothecæ Scriptor Græcus.



IMPRIMATUR.

Fr. Vincentius Elena Magister Socius Reverendissimi Patris Sac. Pal. Apost. Mag. Ord. Prædic.

LIBER



LIBER QUINTUS

DE KALENDARIIS ECCLESIÆ SLAVICÆ, SIVE GRÆCO-MOSCHÆ.

PARS PRIMA.

ECCLESIASTICÆ ORIGINES SERBLORUM, ALBANENSIUM, BOSNENSIUM, VALACHORUM, ET BULGARORUM.

CAPUT PRIMUM.

Serbliæ, & Albaniæ Descriptio: Urbes, & Populi.



ANIMADVERSIONIBUS meis in Ecclesiasticas Slavorum Origines Tomo Quarto finem imponere ita decreveram, ut initio hujus Tomi Quinti Græco-Moschas Caponianas Ephemerides illustrandas aggrederer. Verum quia multa adhuc supersunt, eaque non levis, ut puto, momenti, de Slavis Græcum Ritum colentibus, Serblis scilicet, Bosnensibus, Valachis, Bulgaris, dicenda; ideo necessarium esse duxi, Primam Tomi hujus Partem Slavicis ejusmodi rebus exponendis addicere.

I. A Serblis initium facio. *Serbliam*, sive, uti hodie vocamus, *Serviam*, descriptam habes Tomo Quarto anteceden- *Serbliæ, sive Serviæ descriptio.*

ti, Par. II. Cap. I. §. *6.* „ Serblia (inquit Farlatus Tom. 1.
„ Illyrici Sacri pag. 123.) pars Dalmatiæ Cisalpinæ Orienta-
„ lis, ab Zentina fere initium ducit, nisi quod pars Inalpina
„ inter Zentinam & Naronem, quem Porphyrogen. cap. 30.
„ Orontium vocat, ad Chrobatiam pertinet. In ortum autem
„ porrigitur usque ad montem Scardum ab Aquilone in Au-
„ strum vergentem, quo a Dardania, & ad Drilonem flu-
„ vium, quo a Macedonia, sive ab Epiro nova, disjungitur.
„ Serbliam Cisalpinam in quatuor partes tributam fuisse Por-
„ phyrogenitus cap. 30. docet, quarum unam incolebant
„ Zachlumi, alteram Terbuniatæ, & Canalitæ: tertiam Dio-
„ cletani; quartam Arentani: Hi omnes Serbli erant, qui
„ agro egentes, quem incolerent, ad Heraclium Imp. confu-
„ gerunt. Nec solum Serblia [verba hæc sunt ejusdem Far-
„ lati pag. 124.] eam Dalmatiæ Cisalpinæ partem, quæ spe-
„ ctat in Solem Orientem occupavit, sed Alpes transgressa,
„ quidquid Transalpinæ Dalmatiæ ad ortum vergentis inter
„ Savum, & montes, Chrobati vacuum intactumque relique-
„ rant, & longius secus Danubium progrediens, Mœsiam Su-
„ periorem in suum jus ac nomem redegit. Hinc duplex ex-
„ stitit Serblia Mediterranea; altera Savo & montibus inter-
„ jacens, inde incipit ab occasu, ubi definit Chrobatia, & in
„ longitudinem porrigitur usque ad Drinum, qui Oriens è
„ Scardo monte in Savum influit: hæc a Bosna fl. regionem
„ illam interluente, *Bosniæ* seu *Bosnæ* nomen accepit... hu-
„ jus pars ad meridiem vergens, a fluvio cognomine, quo
„ alluitur, denominata est *Rama*, regali quondam titulo insi-
„ gnis, quo uti solebant Reges Hungariæ: altera vero, quam
„ Drinus & mons Scardus ab occasu, Danubius a Septentrio-
„ ne, Bulgariæ fines ab Oriente, initia montis Hæmi a Meri-
„ die definiunt, commune gentis nomen sibi uni vindicavit,
„ hodieque retinet, ac *Servia* vulgo appellatur. Pars Ser-
„ bliæ in austrum obversa, quæ olim dicta est *Dardania*, ab
„ Rasca fl. per eamdem labente, *Rasciæ* nomen sibi adsci-
„ vit; quamvis non desint, qui eam Serbliæ partem, quæ in
„ Aquilonem spectat, *Rasciæ* vocabulo afficiant. Sunt etiam,
„ qui *Serviæ Rasciæque* vocabula pro synonymis habent, ne-
„ que alteram ab altera regione distinguunt. Utrosque in er-
„ rorem

„ rorem induxit Ritus Rascianus, qui æque in *Serblia* atque „ in Rascia ad rem sacram Liturgicam vulgo adhibetur, atque „ adeo in regionibus ultra Danubium dominatur.

II. Albanenses a Schismate ad Ecclesiam Catholicam sub Inn. IV. regressi.

In ea Serviæ sic descriptæ parte, quæ olim *Epirus nova* est appellata, usque ab antiquis temporibus degebant *Albanenses* populi, qui Græcum Ritum hactenus secuti, tandem sub Innocentio IV. Romanam Catholicam Fidem sunt professi. Raynaldus ad annum Christi 1250. num. 24. „ Adjunxit se „ Romanæ Ecclesiæ, eodem tempore, Provincia, quæ Græ„ ci Schismatis, quo tenebantur, vincula diffregere, ut se „ in libertatem filiorum Dei assererent. Prætulit facem inter „ cæteros, populis suis, Albaniæ Episcopus... quem Inno„ centius benigne excipi jussit, dataque Archiepiscopo Anti„ barensi sequentibus (*a*) literis provincia, imperavit, ut, „ si nulli Latino Episcopo antea obnoxius fuisset, illum Sedi „ tantum Apost. parirurum decerneret„. Epistolam Innoc. Papæ accipe. „ Archiepiscopo Antivarensi. In Græciæ partibus „ quædam habetur provincia, quæ Arbania nuncupatur, cu„ jus Episcopus solicita mente desiderans & prudenter adver„ tens, quod positis extra fidem & devotionem Sedis Aposto„ licæ, non est datum ad perennis vitæ gloriam pervenire,.. „ cordi habere dicitur, ut ejusdem membris Ecclesiæ, ad „ æterni Pastoris gloriam,indissolubili vinculo conjungatur„. *Cetera*. Dat. Lugduni VI. Idus Augusti, Anno VIII. & Epistola 61. ejusdem libri VIII. idem Innocentius Papa ad summum Prædicatorum in Ungaria Magistrum scribit, Episcopos, Sacerdotes, & Clericos in Provinciis Philot, Arbania, & Unavia, misso Græcorum Schismate, Sedi Apostolicæ se submisisse: „ quasdam amplas [*inquit*] & populosas provincias „ Philot, Arbaniam, & Unaviam, prope Ungariam sitas esse „ percepimus, in quibus aliqui Episcopi, ac plurimi Sacerdo„ tes, & Clerici, sub Græcorum dominio constituti habitant, „ qui Ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ sincera mente diligunt, „ & pro viribus libenter observant. *Et infra*. Præsentium „ tibi auctoritate committimus, ut aliquos ex Fratribus Ordi„ nis Prædicatorum tuæ curæ commissis, qui sint probatæ con„ versationis & vitæ, ac potentes in opere & sermone, mittas

a Lib. 8. Ep. 61.

„ ad provincias memoratas: in quibus verbum Dei propo- „ nant: & Clericis ac Laicis de ipsis provinciis oriundis, qui „ ad obedientiam Sedis Apostolicæ redeuntes, sunt parati sa- „ tisfacere de commissis, reconciliationis ac eisdem, si ali- „ qua excommunicatione tenentur, absolutionis beneficium, „ juxta formam Ecclesiæ, largiantur: & cum Clericis ex præ- „ dictis, qui nullum Ecclesiæ Beneficium obtinent a Latinis, „ super eo quod excommunicati celebraverunt Divina; nec „ non cum illis, qui juxta Ritum Græcorum, Ordines infra „ ætatem legitimam, vel temporibus indebitis, aut qui omnes „ eadem die, vel superiores prætermissis inferioribus, aut „ etiam soluto pretio aliquo, secundum ritum eumdem, re- „ cipere præsumpserunt, valeant dispensare: ita tamen, ut „ quod circa Ordinationem Clericorum ipsorum pro Ritus „ differentia omissum esse dignoscitur, per Catholicos Epi- „ scopos, obtinentes gratiam & communionem Sedis Apo- „ stolicæ, provide suppleatur.

III. Albania, alias Arbania, regio, ejusque urbes. Albanenses, alias Arbanenses, & Arnauti, advenæ in Epiro.

Albania, inquit Hofmanus, „ Regio Asiæ, mari Caspio „ ad ortum incumbens, Iberiæ ad Occidentem, & Atropatiæ „ ad meridiem contermina „: Addit Baudrandius: *Udinis ad Boream contermina*. Hæc tamen ad rem præsentem non faciunt: nam altera est *Albania*, de qua loquitur Innocentius Pontifex: „ Regio nimirum Græciæ [juxta eumdem Hofmanum] quæ „ olim Epirus & pars Macedoniæ Occidentalis „: cujus urbes præcipuæ, *Albanopolis* Metropolis, *Aulon*, *Butrotum*, *Croja*, *Dyrrhachium*, *Larta*, *Lissus*, *Ochrida*, *Scodra*. Baudrandius. „ Albania, Turcis *Arnaut*: regio est ampla Macedo- „ niæ, ubi olim pars Occidentalis Macedoniæ, semper Ar- „ bania dicitur a Leunclavio: terminatur a Septentrione Ser- „ viæ Regno, & Dalmatia: ab ortu Macedonia: ab occasu, „ Mari Adriatico, & Mari Jonico: a meridie Livadia „. Duplex est: nempe *Albania Inferior* seu *Australis*, sub qua sunt provinciæ, *Canina*, *Chimera*, & *Larta*: & *Albania Superior* seu *Borealis*, quæ & propria, dividiturque in maritimam, & mediterraneam, & totius regionis caput est *Scodra*: & ejus partes sunt „ Ducaginorum tractus, Diberia, Clementorum „ tractus, Ibalia, Benda, Canovia, Spatania, Mussia, Mons „ Niger, Pulatensis tractus, Zadrima, Zenta, Spassorum tra- „ ctus,

„ ctus, & Zappa „: habetque sub se has civitates: *Achrida* (*a*), *Albanopolis*, *Ambracia* (*b*), *Antibarum* (*c*), *Aulon* (*d*), *Butrotum* (*e*), *Corcyra* (*f*), *Dulcinium*, *seu Olchinium* (*g*), *Dyrrhachium* (*h*), *Lissus* (*i*), *Scodra* (*k*). Epirotæ & Macedones, quin fuerint earum regionum populi Indigenæ, adeoque inter veteres Græcos numerandi, nullum est dubium. Vide Tabulas Ecclesiasticas, in quibus claruere Episcopales Sedes *veteris* & *novæ Epiri*, a Quieno in Oriente Christiano Tom.2. a pag. 133. ad 155., & a pag. 240 ad 256. enumeratæ: ut de *Macedoniæ Ecclesiis*, quæ *Thessalonicensi* suberant, sileam. At vero qui nunc *Albanenses*, *Arbanenses* & *Arnauti* appellantur, nemo est, ut opinor, qui ignoret, illos Advenas esse, sive ex Albania Asiatica, sive potius ex Serblia Alba, aut aliunde profectos. Certe Neoterici Epirotæ communiter inter Slavos recensentur, sive eorum progenitores Chrobati fuerint, sive Serbli, sive Bulgari: quorum sermonem *Slavico*, sive [ut nunc vocant] *Illyrico*, adnumerat tum *Angelus Roccha* in Bibliotheca Vaticana pag. 320., tum nuperus Scriptor *Sebastianus Dolci a Ragusio* Ord. Minorum in sua Dissertatione (*l*) *De Illyricæ Linguæ vetustate, & amplitudine*: ubi §. xi. pag. 20. sic de Albanensibus scribit: „ Nostra etiam tempestate Albanensii, quos scimus veteres „ tum Macedonas, cum Epirotas esse, Illyrica utuntur lin- „ gua, summe tamen Græco sermoni immixta. Ab Olchinio „ & Scodra in Orientem porrecti, montana incolunt tum „ Macedoniæ, cum Epiri: atque hæc de ipsis Ludovicus „ Cervarius Tubero in Commentario de Turcarum rebus ge- „ stis lib. xi. pag. 37. edit. Florent. *Lingua neque Græca*, „ *neque Illyrica utuntur, quamvis ex utroque sermone quædam* „ *accepta inter loquendum immisceant*.

Hæc

a Vulgo, *Locrida*.
b Vulgo, *Larta*.
c Vulgo, *Antivari*.
d Vulgo, *La Vallona*.
e Vulgo, *Butrento*.
f Vulgo, *Corfù*.
g Vulgo. *Dolcigno*.
h Vulgo, *Durazzo*.
i Vulgo, *Alessio*.
k Vulgo, *Scutari*.
l Edita Venetiis 1754.

IV. Antiqui recentesque Dalmatiæ & Illyridis populi.

Hæc de Albanesiis tamen sic dicta accipias, non quod eorum sermo sit idem ipse, ac veterum tum Macedonum, cum Epirotarum, neque quod *Illyrica*, hoc est, *Slavica* lingua, sit eadem illa, ac priorum Dalmatarum & Illyriorum, quemadmodum vano labore contendit laudatus Dolci Ragusinus; (id enim esse prorsus a veritate alienum, alibi demonstrabitur:) Sed quia in eam regionem Albanesii post septimum Christianum seculum advenere, quam veteres Macedones, & Epirotæ incoluerant; non secus atque Hungari in Pannoniam, Bulgari in Mysiam, Chrobati & Serbli in Dalmatiam, & nostris hisce temporibus Turci in Bosniam, & plerasque Albaniæ partes. Ita sunt intelligenda *Ignatii Georgii* Benedictinorum Ragusino Melitensium Abbatis verba, quæ idem Dolci pag. 21. recitat de antiqua recentique Illyridis populorum nomenclatura. I. *Hierostamnæ*, *&* *Tariotæ*; nunc *Territorio di Sibenico*. II. *Hylli*, *&* *Bulini*; hodie *La parte Occidentale del Contado di Trau*. III. *Siculi*, seu *Siculotæ*; nunc *La parte Orientale del Contado di Trau*, *col territorio di Spalatro*. IV. *Nesti*, *sive Ardiæi*; hodie *La Craina*, *Macarska*, *Radobiglia*, *Hliuno*, & loca quæ sunt circa fontes Naronis. V. *Narii*, sive *Narisii*; nunc *Territorio di Narenta*. VI. *Dalmatæ*, *Dalmatæi*, vel *Dalmitani*; nunc *Dumno*. VII. *Daorsæi*, vel *Daorissi*; nunc *Nevessigne*, *Gliubigne*, *Popovo*. VIII. *Autariatæ*, vel *Autari*; hodie *Drignani*, *Sletignani*, *&c.* IX. *Sardiæi*, *Sardiotæ*, vel *Sardiani*; nunc *Parte di Zenta superiore*, atque australis pars Nigromontis, nimirum, *Bratoressi*, *Kucci*, *Clementi*. X. *Dassaretæ*, *Penestæ*, *Pirustæ*; hodie, *il paese d'Obrid*, *di Moncastro*, *di Castorca*. XI. *Scirtones*, sive *Gyrtones*: nunc *parte di Comenitolari*, *e della Janna*, *o Tessaglia moderna*. XII. *Antitanes*, vel *Antitani*; hodie *Arnautti*. XIII. *Oricini*; nunc *il paese della Cimarra*. XIV. *Amantini*, *sive Abantes*; hodie *Territorio di Vallona*, *ed il paese intorno al porto detto Raguseo*. XV. *Bullidenses*, vel *Buliones*; nunc *La Calina*, *ed il paese circonvicino alle miniere della Pece di Pollona*. XVI. *Taulantii*, hodie *la Tamorizza*, *e la Musacchia*; *ovvero*, *la parte maritima di Polona fino a Durazzo*. XVII. *Parthini*, *Dyrrhachini*; nunc *Prevesa ed il paese tra Durazzo*, *e Lodrino*. XVIII. *Phrigi*: hodie *Croja*,

Croja, *ed il paese circonvicino*. XIX. *Lissenses*: nunc *il paese d'Alessio*, *e di Lodrino*. XX. *Labeatæ*; hodie *parte della Zenta Superiore*, *o il paese di la dal lago di Scutari*. XXI. *Olchiniatæ*; nunc *Dolcignotti*, *e Marchoevichi*, *o parte della Zenta inferiore*. XXII. *Agrunovitæ*; hodie *Mahignani*, *Postroevichi*, *Speciani*, *Barsei*; *ed il rimanente della Zenta inferiore*. XXIII. *Rizonitæ*; nunc *Niksichi*, *Rudignani*, & pars Occidentalis Nigromontis, quæ Rhizonico sinui imminet.

Hactenus Ignatius Georgius: a quo tamen non nihil dissentit cl. Farlatus in descriptione Dalmatiæ & Illyridis; nam apud hunc præclarum Auctorem, Tom. I. Illyrici Sacri p. 146. *Hylli* & *Bullini*, gens eadem est, quæ oram illam Liburniæ proximam incolebat: *Hierostamnæ* & *Lotophagi* Liburnis & Bullinis interjiciuntur, ibid. *Tariotæ* ultra Titium in ortum, qui ab aliis *Autariatæ* & *Autariei* nuncupantur, pag. 164. *Siculotæ* oriundi è Coloniis Siculorum, ultra lacum Labeatum in ortum, ibid. *Nesti* & *Maniri*, inter duos fluvios Nestum & Naronem, quorum descriptio pag. 94. & 95. *Ardiæi*, alias *Vardæi*, *Veraclii*, *Sardiani*, *Sardiates*, & *Sardiotæ* dicti, inter Nestum & Naronem, & ultra Drilonem usque ad Titium, quo terminatur Liburnia pag. 98. *Narisii*, alias *Naresii* & *Narensii*, circa utramque ripam Naronis, pag. 164. *Daorizi*, qui & *Daursii*, *Daorsei*, *Daorisi*, *Darsii*, citra Naronem fluvium, ibid. Demum *Dassaretæ*, *Pirustæ*, *Scirtones*, *Partheni*, *Taulantii*, *Labeatæ*, aliaque fere obsoleta nomina, apud eundem Farlatum Tom. cit. a pag. 161. ad 165. ubi de populis Mediterraneis ac Maritimis Dalmatiæ hodiernæ agit.

V. Chrobati, & Serbli juxta Porphyrogenitum plenamque Dalmatiæ & Albaniæ partem obtinebant, relictis Græco Imperio nonnullis maritimis civitatibus atque insulis.

Constantinus Porphyrogenitus anno Chr. 949. quo librum de Administrando Imperio scribebat, testatur, eam, quam nunc Albanenses (uti supra descripsi) regionem obtinent, partim Romanos, hoc est, Latinos aut Græcos, partim Serblos inhabitasse. Ejus verba refert & exponit Farlatus Tom. I. cap. 5. in descriptione Dalmatiæ hodiernæ §. II. *de ora & urbibus maritimis Dalmatiæ*, & §. IV. *De regionibus & urbibus Mediterraneis Dalmatiæ*; ubi totam Dalmatiam, qua late olim patebat, sub Heraclio Imp. *Chrobatis Serblisque* cessisse, retentis a Constantinopolitano Imp. paucis maritimis urbibus, demonstrat. Idem Porphyrogenitus lib. 2. de Thematibus, has

has Illyrici civitates ad Byzantinum Imperium ſpectaſſe ſuo ævo ſcribit : *Septimum ſcilicet* (inter Occidentalia) *Thema Cephaleniæ*, ſub quo *Zacynthus*, *Ithaca*, *Corcyra*, & aliæ quædam parvæ inſulæ. *Octavum Thema Nicopolis*. *Nonum Thema Dyrrhachium*, ſub quo Præfecturæ *Daciæ* Mediterraneæ, *Dardaniæ*, *&* *Pannoniæ*. Farlatus Tom. cit. cap. 3. §. 11. de finibus Dalmatiæ hodiernæ : „ Chrobati & Serbli (inquit) nationes Slavonicæ, conceſſu Heraclii Imperatoris, totam fere „ Dalmatiam occuparunt, victis expulſiſque Abaribus, qui „ Salonam aliaſque urbes exciderant, omnemque illam regionem igni ac ferro pervaſtarant. *&* *mox*. Quippe omnis „ illa regio biſariam diviſa eſt ; & quæ pars ab occaſu vergebat, Chrobatia ; quæ vero in ſolem Orientem ſpectabat, „ Serblia appellari cœpit, Tiluro ſeu Zetina flumine intermedio, quod Chrobatos Serbloſque diſcriminabat. Nomen „ autem Dalmatiæ exiguis ſane regionibus circumſcriptum, „ paucis oppidis maritimis, ac potiſſimum, Jadera, Tragurio, Spalato, Raguſio, itemque inſulis, quæ in fide ac ditione Imperii Græcorum manſerunt, tenacius inhæſit, quam „ ut vel tum, vel deinde ulla temporum diuturnitate, aut „ rerum publicarum converſione aboleri potuerit „. Et ad Albaniam quod ſpectat, idem ipſe Farlatus ſubjungit pag. 121. „ Dalmatia igitur citra montes contracta, quidquid olim antiquiſſimis vocabulis Japydiæ maritimæ, Liburniæ, Dalmatiæ, Illyrici proprii continebatur, cum inſulis adjacentibus, ſub jure ſuo ac nomine retinuit, hodieque retinet. „ Atque hæc eſt Dalmatia hodierna, quæ ab Occidente Arſia „ flumine ; a ſeptentrione montibus Albio, Bebio, Ardio, „ & Scardo ; ab Oriente Scardo in meridiem deflexo, & Drilone fluvio ; a meridie mari Adriatico circumſcribitur. „ Pars prima Dalmatiæ ab occaſu, ſeu vetus Japydia, interdum Chrobatia ; itemque pars extrema ad Orientem, ALBANIA vulgo appellari ſæpiſſime ſolet, vocabulo mutuato „ e proxima ultra Drilonem provincia, quæ quum olim dicta „ fuerit Epirus nova, poſterioribus ſæculis denominata eſt „ ALBANIA. Hic memineris velim, quod cap. 1. §. 3. docuimus, ſæpe accidere, ut regiones finitimæ ſua inter ſe „ nomina communicent, & utraque in alterius ditionem invadant :

„ vadant :

„ vadant: nam quemadmodum Albania Drilonem transgressa „ in regionem contiguam Dalmatiæ suum nomen invexit, ita „ vicissim Dalmatia fines sibi præscriptos transiliens, suo vo„cabulo proxima Albaniæ loca subjecit; & longius interdum „ progressa, Canninos etiam populos, qui ultra montes Acro„ceraunios infra ostium Adriatici, Jonium mare accolunt, „ Dalmatici nominis communione impertiit. Dyrrachium „ (*a*) enim Epiri novæ, sive Albaniæ, urbem primariam, „ Dalmatiæ adscripsit Theophanes in Chronographia: *Anno* „ *Constantii 9. DyrrachiumDalmatiæ civitas terræmotu corruit.* „ Itemque Blondus & Sabellicus Ennead. 9. lib. 5. *vehebatur* „ *autem tum Petrus navibus Venetis quas Brundusii conscendit*, „ *iisque Dyrrachium in Dalmatiam transmisit*. Canninos in „ Dalmatia locat Carolus Dufresne in notis ad lib. 3. Alexia„dis; qui scripsit Hermanum Abagelardi fratrem uterinum, „ victum a Roberto, avitoque Principatu depulsum, *Præfe*„*ctura Canninorum in Dalmatia* donatum fuisse ab Alexio „ Imp., ad quem ex Italia confugerat. Chrobatia vero, quod „ ab Septentrione Dalmatiæ finitima esset, uniusque Albii „ montis interjectu sejuncta, suum idcirco cum Dalmatia no„men facile communicavit; nisi forte, quod vero est pro„pius, hæc pars Dalmatiæ, ut sub eorum potestate mansit, „ qui Chrobatiæ præsunt, sic etiam nomen antiquitus a Chro„batis acceptum usque in hodiernum perpetuo servavit. Cæ„terum quamvis prima ob occasu, & postrema ab Oriente „ pars Dalmatiæ, hæc quidem Albaniæ, illa vero Chrobatiæ „ nomen sibi proprium fecerit, itemque partes intermediæ „ variis & suis quæque peculiaribus nominibus distinguantur; „ universa tamen regio tum vulgari sermone, tum doctorum

 „ homi-

a Scylitzes in Nicephoro Botaniata Imp. edit. Venet. 1570. fol. 150 pag 2. *Arbanitarum* meminit. Sic enim scribit de Nicephoro Basilacio, qui perduellionem adversus Botaniatam meditabatur. „ Nicephorus autem Basilacius, primus Præ„ses, quum Dyrrhachium pervenisset, exercitum ex omnibus illis locis coëgit: „ accersivit etiam Francos ex Italia per Episcopum Diabolæ Thendnsium, muneri„bus ac donis adversus Bryennium conciliatus. Coacto autem idoneo exercitu ex „ Francis, & Bulgaris, Romanisque & Arbanitis (*idest*, *Græcis*, & *Albanitis*) „ profectus inde ad Thessalonicam contendebat: quumque pervenisset Achridas, „ cupiebat ibi declarari: sed diligentia ac studio illius, qui ibi Archiepiscopus „ erat (idest, Joannis) prohibitus fuit „. Itaque anno 1078, quo hæc gerebantur, Arbanitæ seu Albanenses, Byzantino parebant imperio.

„ hominum literis appellatur Dalmatia; Geographi omnes „ atque Historici quidquid gentium est ac terrarum ab Arsia ad „ Drilonem, inter alpes & mare, cum insulis e regione obje- „ ctis, communi Dalmatiæ vocabulo subjiciunt.

VI. Præcipuæ Albanensium urbes.

Inter præcipuas Albaniæ civitates ex dictis recensentur, a Narone ad Drilonem *Antibaris*, *Colchinium* seu *Olchinium*, & *Scodra*. A Drilone usque ad Sinum Ambracium, *Lissus*, *Croja*, *Epidamnus*, *Aulon*, *Nicopolis*, *Arta*, *Canina*, *Chimæra*. in Mediterraneis *Tribinia*, *Pulatium*, *Clementium*, *Ochrida*, *Zenta*, *Mons niger*. Et *Antibaris* quidem elato & saxoso clivo incumbit, paululum ab Adriatico mari remota, inter *Butuam* ad occasum, & Olchinium ad ortum 10. mill. passuum, a Scodra 18 in Austrum: Archiepiscopali titulo, huc e Dioclea eversa translato: cui suffragantur Butua, Olchinium, Drivastum, Scodra, cum aliis quinque urbibus. *Colchinium*, oppidum perantiquum, quod a Colchis exstructum ferunt (*a*) a quibus & nomen accepit: prisci dixere *Olchinium*, vel *Olcinium*, nunc vocant *Dulcignum*: Antibari distat ad 10. milliaria. *Scodra*, *Iscodar* Turcis, *Scutari* Italis, in monte excelso, ad Barbanam fl., *la Bojana*, ubi effluit ex Labeatide palude, totius Albaniæ præcipua, 24. mill. pass. ab ora maritima Adriatici, & ab Olcinio in ortum æstivum, uti paulo plus ab Antibari. *Lissus*, vulgo *Alessio* (*b*), olim Gentii Illyricorum tyranni Regia, veteribus scriptoribus celebrata, hodie civitatis potius cadaver, quam civitas, unacum arcis quondam in sublimi adjectæ ruderibus ad memoratum Drinum amnem, duobus circiter a litore milliaribus visitur. Turcis unacum vicina Albania tributum si qua unquam illibenter, sed tamen pendit. Unum hic memoria dignum reperies celeberrimi Georgii Castrioti Scander-Begi: hoc est, Domini Alexandri tumulum. Hæc auctor Topographiæ magni Hungariæ Regni. *Croja*, urbs Albaniæ caput, Baudrandio, quæ *Crua* a Chalcocondyla vocatur, vix 25. milliaribus ab ora maris Adriatici, & 35. Dyrrhachio distans, juxta Lisanam fl., olim Antigonia dicta, arcem habens munitam in colle; quum ad ipsam Georgius Castriotus, dictus Scanderbegus, Turcorum potentiam pluries

a Farlat. Tom. 1. pag. 150.
b Auctor Topographiæ Magni Regni Hungariæ apud Farlat. Tom. 1. pag. 151.

pluries retudit, sed post ejus obitum a Turcis capta. *Epidamnus*, quæ & *Dyrrachium*, *Durazzo* Italis, *Drazzi* Turcis, in ora maris Adriatici, Archiepiscopalis Albaniæ regionis, 40. mill. distans a Lisso in meridiem, Aulonem versus 65. a Brundusio 120. in ortum æstivum, & 200. a Thessalonica in occasum. *Aulon*, urbs Albaniæ superioris cum arce & portu amplissimo, inter Apolloniam ad Septentrionem, & montes Acroceraunios ad meridiem, juxta fauces maris Adriatici. *Nicopolis*, ad ostium Ambracii sinus, nunc *La Prevesa*, inter Corcyram & Leucadem insulas. *Arta*, vulgo *L'Arta*, quondam *Ambracia*, urbs Epiri veteris, 16. mill. ab ora maris Jonii distans, prope sinum Ambracium, ab ea nunc dictum. *Canina*, urbs Macedoniæ in Epiro, supra Aulonem posita. *Chimæra*, in Macedoniæ confinio, intra montes Ceraunios, ad oram litoralem cum portu munito, inter Aulonam ad Septentrionem & Corcyram ad meridiem. *Buthrotum*, oppidum Albaniæ in Chimæra provincia, in ora litorali maris Jonii, vix 6. mill. pass. distans a Corcyra insula in ortum, & 100. stadiis ab Acrocerauniis montibus in meridiem, Nicopolim versus.

VII. Serbliæ fines & urbes.

Porro Serbliam regionem, quam nempe Naronem inter Drilonemque Serbli, juxta Porphyrogenitum, usque a temporibus Heraclii Imperatoris occuparant, productis ipsius Porphyrogeniti verbis Tom. 1. pag. 161. Farlatus sic describit. „ Hanc regionem montes occupant fere perpetui, quibus tamen latissimæ, fertiles pariter amœnæque planities interjacent. Urbes nunc paucas habet, arcesque; sed Pagorum & Vicorum numero frequentissima est. Multitudo coetusque hominum in plures vicos distributi, & juris ac legum communione sociati unum Pagum efficiunt. Id enim ferme significat Pagus apud Cæsarem in Commentariis de bello Gallico, ubi scriptum est, totam Helvetiam in quatuor fuisse divisam. Plures hujusmodi Pagos habet Dalmatia, & in ea regione, quam nunc describimus, præter alios minores, quatuor sunt maxime illustres; duo fere ad radices montis Scardi, alter *Clementium*, alter *Pulatium* Pagus dicitur; hic ad meridiem, ille propius ad boream accedit; infra utrumque tertius est, quem nuncupant *Zentam*, eumque bifariam dividunt; quæ pars in Aquilonem obversa est, *Zenta* superior;

„ quæ in Auſtrum reſpicit, *Zenta inferior* nominatur; huic a „ meridie adjacet palus Labeatium, quam alias lacum *Zentæ* „ ab vocabulo ejus pagi, alias lacum *Scutari* ab urbe ad fau- „ ces ejuſdem lacus ſita denominant. Quartus eſt, longe no- „ biliſſimus, quem *Montem nigrum* vocant. Eſt enim ſeries „ quædam & continuatio montium ſupra *Catarum* ab occaſu „ in meridiem devexa, & ad paludem uſque Labeatidem per- „ ducta, quæ indigenarum ſermone *Cernagora*, noſtro *Mons* „ *niger* appellatur. Is montium tractus ab gentibus fortiſſi- „ mis & bellicoſiſſimis incolitur, quarum aliæ Venetorum, „ aliæ Turcarum imperio ſubſunt. Tria ſunt in hac Dalmatiæ „ parte caſtella, loci ardui natura bellicisque operibus ſatis „ munita: *Moſtar* oppidum frequens, ſeptem & triginta in „ Septentionem ab Circluto milliaribus ad ripam ſiniſtram „ Naronis fluvii: *Collaſſinium*, & *Clobuc*, utrumque ab Naro- „ ne in ortum millium paſſuum, hoc circiter viginti, illud „ fere quindecim disjunctum; Clobuc ab Collaſſinio amplius „ viginti milliaria in meridiem abeſt. Præter *Scodram* ſive Scu- „ tarim, tres omnino in Mediterraneis urbes ſunt Epiſcopali „ jure ac titulo inclytæ; *Trebigne* ad fluvium cognominem, „ a mari & Raguſio milliaribus circiter ſeptem dirempta: „ *Drivaſtum*, civitas neque infrequens, neque ignobilis, „ quam interfluit Drinaſſus amnis, quem Livius Clauſulam, „ Plinius Drinum vocant; hinc via eſt Scodram milliarium fe- „ re ſeptem recta in meridiem. *Pulatum*, urbs montana exi- „ gui nominis ac circuitus, in regione Pulatium, ab Drivaſto „ triginta milliarium intervallo ſejuncta. Tribignem & Driva- „ ſtum paucis deſcripſit Topographus Hungaricus: civitas quam „ veteres *Tribulium* ſive *Tribuniam* dixere, nunc autem *Tri-* „ *bigne* vulgo dicimus, a fluvio ejuſdem appellationis, a quo „ rigatur, nomenclaturam accepit. A Raguſina civitate, cui „ olim obnoxia fuerat, aliquot milliaribus Italicis abſcedit. „ Ceterum civitas admodum tenuis, bellique injuriis fœdum „ vaſtata; Turcis ab uno & amplius ſæculo obtemperat; ſedes „ alioquin Epiſcopi, qui unacum Mercanenſi juxta poſito Ra- „ guſini Metropolitæ erat Suffraganeus. *Trivaſtum*, ſive *Dri-* „ *vaſtum* poſtremo inter Dalmatiæ Turcicæ civitates luſtra- „ mus. Suberat olim hæc civitas tamquam peculiaris Ducatus

„ caput

„ caput illustri Spanorum prosapiæ . . . hodie hunc locum unice „ commendare videtur Episcopalis Sedes, quæ Antibarensi „ Ecclesiæ subjicitur „. Vide Quienum Tom. 2. Orientis Christiani, qui fuse agit de Ecclesiis, quæ ad Illyricum Orientale spectant, atque in Albania hodierna a Neotericis collocantur, quum tamen partim ad Dalmatiam, partim ad Bulgariam, aut Serviam sint referendæ: videlicet, *Achrida*, *Alessio*, *Ambracia*, *Antibaris*, *Aulon*, *Belogradum*, *Budua*, *Bullis*, *Buthrotum*, *Canina*, *Cassiope* seu *Joannina*, *Castoria*, *Chimæra*. *Chonubia* . *Croja* . *Decatera* . *Delbinum* . *Dodona* . *Drivastum*. *Dyrrhachium*. *Euroea*. *Glycis*. *Graditzium*. *Nicopolis*. *Phoenice*. *Photice*. *Pulatum*. *Scodra*. *Narenta*. *Terbunium*. *Tzernicum*. *Zachluma*. *Zenta*.

CAPUT II.

Serviæ & Rasciæ Reges ab anno circiter 1040. *ad annum* 1368. *quo Neemanis posteritas defecit. Sanctus Sabas Serviæ Archiepiscopus, postea Monachus. Ejus successores in Serviæ Archiepiscopatu Pecensi, quem sibi titulum attribuant. Albaniæ Principes; eorumque Archiepiscopus dictus*, Montis nigri.

I. Series Regum & Principum Serviæ ex Cangio.

CANGIUS in Familiis Dalmaticis, postquam cap. 3. Seriem *Regum Serviæ*, a *Stephano Boisthlavo*, quem *Dobroslavum* vocant, hoc est ab anno circiter Chr. 1036., usque ad *Urosium*, idest usque ad ann. 1368., recensuisset, pergit nonnullos ejusdem Regni fiduciarios Principes enumerare, nimirum *Bossinenses Banos* cap. 8. *Despotas Serviæ* & *Rasciæ* cap. 9. *Duces Sancti Sabæ* sive *Herzegovinæ*, cap. 11. *Comites Chelmenses* cap. 12. *Comites Zentæ* cap. 13. *Dragacenses* capit. 14. *Duces Joanninæ ac Ætoliæ Dominos* cap. 15. *Duces Montis nigri*, sive *Zarnagoræ* capit. 16. *Comites Uscienses* cap. 17. *Æmathiæ* & *Castoriæ* Dominos *Castriotas* capit. 18. *Duces Drivastenses Spanos* cap. 19. Quidquid enim dicant Presbyter Diocleates aliique Neoterici rerum Illyricarum Scriptores, [si excipias Serviani Principatus initia & origines, primorumque qui ei imperarunt Principum seriem a Constantino Porphyrogenito lib. de Adm. Imp. cap. 32. & 34. traditam,]

tam,] ad fabulas omnino est amandanda altera illa Principum Serviæ series, quam a *Svelado* I. usque ad *Dobroslavum* XXXVI. Regem ex iisdem Illyricis scriptoribus Cangius edit. Paris. a pag. 273. usque ad pag. 279. refert.

II.
Servia ab anno 950 ad 1034. partim Bulgaris, partim Byzantino Imperio subjacuit. Stephanus Boisthlabus a clientelari servitute in plenariam libertatem Serviam asseruit.

Servia quippe post Tzeesthlavum Principem, qui anno 949. imperabat, Bulgarorum jugo obnoxia, Bulgaris tandem a Basilio Imp. (cui Bulgaroctono cognomen fuit) anno mundi 6527. Christi 1019. deletis, una cum Bulgaria Byzantino subjacuit Imperio usque ad Romani Argyri obitum, idest usque ad annum 1034. Cedrenus pag. 739. & Jo: Scylitzes pag. 102. ad annum mundi 6544. Ind. IV. idest Chr. 1036. ,, Serbia quæ morte Romani Imperatoris [*anno* 1034.] jugum ,, excusserat, rursus Imperio conjuncta est ,, . At quarto post anno iterum Servia a clientelari servitute in plenariam se libertatem asseruit: uti narrat Cedrenus pag. 745. & Scylitzes pag. 105. in Michaële Paphlagone ad annum Chr. 1040. ,, Hoc ,, ipso anno Ind. VIII. mense Majo soror Imperatoris Maria, ,, Cæsaris mater, Ephesum abit, adorandi Joannis Evange- ,, listæ causa: & quum in itinere multa vidisset improbe geri, ,, reversa Byzantium de iis omnibus ad fratrem Joannem retu- ,, lit, hortataque est, ut istas nequitias coerceret: quam ille ,, irrisam dimisit, muliebriter sentire ajens, & nescire quam ,, multa ad Remp. Romanam requirerentur. Idem quum ad ,, Imperatorem Thessalonicæ, ut diximus, degentem auri ,, centenaria decem mitteret, navis turbine venti correpta, ,, Illyricis allisa est litoribus, & periit: aurum Princeps Ser- ,, borum Stephanus, qui & Boisthlabus, abstulit. Is paulo ,, ante ex urbe profugerat, & Serbiam occuparat, pulso inde ,, Theophilo Erotico. *Et post pauca*. Imperator autem (*a*) ,, Thessalonicæ de amisso auro certior factus, Stephanum per ,, lite-

a Diocleates huic Michaëlis Imperatoris adversus Stephanum expeditioni præmittit alteram in hæc fere verba. ,, Imperator comparato ingenti exercitu, eidem- ,, que præfecto Harmenopulo Zentanam provinciam ingreditur, Dobroslavum seu ,, Stephanum, priusquam vires animumque collegisset, oppressurus. At is, filiusque Rodoslavus coactis captim copiis, obviam progressus, Harmenopulum ad ,, Wraniam prælio fundit deletque. Quo quidem in certamine quum fortiter se gessisset Rodoslavus, Kezcanam Jupaniam in accepti beneficii gratiam ei concessit pa- ,, rens ,, . Mox subjungit cladem Georgio Probatæ illatam. Verum quoad primam illam adversus Harmenopulum expeditionem, fides penes Diocleatem esto. Nulla enim ejus fit apud Græcos scriptores mentio.

„ literas monet, ut sibi suum mittat, neque ultro belli causam „ præbeat. Hoc quum pro nihilo putaret Stephanus, Geor- „ gium Probatam Spadonem cum exercitu adversus eum mit- „ tit Imperator. Qui in Servia illapsus inconsiderate in locorum „ difficultates & invias convalles, toto exercitu amisso, ægre „ evasit „. Constantino Monomacho Imperium deinde adepto, bellum Græcos inter & Servios acrius renovatur. Cedreni verba a nobis supra recitata, iterum profero. Sic autem scribit Cedrenus pag. 754. „ Quum (*a*) Stephanus, qui & „ Boisthlabus, fuga, ut ante docuimus, ex urbe elapsus, Il- „ lyricos occupasset montes, ac Triballos, & Servos, inde- „ que viciniam Romanis subditam populationibus vexaret, „ Monomachus earum grassationum impatiens, Michaëlo Pa- „ tritio Anastasii Logothetæ filio, tum Dyrrhachii præfecto, „ mandat per literas, ut collectis & suis & aliis militibus, „ quotquot in vicinis ac Romanis subditis Provinciis dispositi „ erant, una cum ordinum ductoribus in Triballos profici- „ scatur, & Stephanum debellet. Is vero Michaëlus rei bel- „ licæ ignarissimus, quippe in umbra & inter delicias edu- „ catus, inepte & inscite rem aggressus, magnam rei Ro- „ manæ calamitatem invexit. Contractis enim, ut jussus „ erat, copiis, ad sexaginta millia militum eæ continebant; „ in Triballos duxit, itineribus acclivibus, asperis, sale- „ brosis, ac ita angustis, ut ne bini quidem simul ire equites „ possent; Servis, ut fertur, dedita opera cedentibus ac in- „ trare eum sinentibus, neque de reditu sollicitum, neque „ justo præsidio angustias occupantem. Ita ingressus, campe- „ stria direptionibus incendiisque vastabat. At Servi fauces iti- „ nerum ac prærupta insidere, & reditum ejus præstolari, „ Michaëlus ut satis prædæ captivorumque partum, tempus- „ que

a Hanc quoque Constantini Monomachi adversus Stephanum Serviæ Principem expeditionem, paulo aliter Diocleates describens: „ Monomachus (inquit) adscitis in armorum consortium Rassiæ Jupano, Bosinensi Bann, & Gliutovido Semiidræ filio Chelmensi Jupano ac Principe, coactoque 60. militum millium exercitu, „ eidem Dyrrhachii præfectum Cursilem præficit „. Et mox cladem Græcorum ad Catarensem sinum accidisse ait, *anno* 1. *Monomachi*, *Chr* 1043. *Ind. X.* Gliutovidum deinde ad Zermizam, cæterosque deinceps Banns ac Jupanos variis præliis fudisse Dobroslavum, regnumque firmasse, Græcis subinde ab ipso semper lacessitis. Reliqua. Vide apud Cangium pag. 230 edit. Reg. Atqui annus 1. Monomachi incidit in Indict x. & annum Chr. 1042. Indictio autem xi. respondet anno Chr. 1043. Monomachi 2.

„ que domum reducendi putavit, & in reditu in angustias „ pervenit; ibi vero Servi de sublimioribus locis Romanos „ saxis, lapidibus, sagittis, omnisque generis missilibus impetere, neque armis, neque manibus uti valentes, aut „ ullo modo rem gerere, ita alii missilibus prosterni, alii per „ præcipitia devolui miserabili clade, adeo ut adjacentes „ convalles atque civitates cadaveribus impletæ, persequentibus perviæ essent. Perierunt ad 40. millia, & septem „ Duces: reliqui per saltus ac silvam montium dissipati, & „ conspectui hostium subducti, in cacumina evaserunt, noctuque ad sua pervenerunt, miserandum ac lacrymabile „ spectaculum. Inter hos fuit etiam ipse Michaëlus, simili „ usus fortuna „. Michaël, quem Dalmatæ *Michaliam*, Cedrenus *Michaelum* vocat, Stephano Boisthlabo patri defuncto, in Principatu Serviæ successit. Cedrenus pag. 789. „ Hoc ipso tempore, (Anno scil. Chr. 1050.) Michaëlus, „ Stephani filius, qui post patris mortem, Triballorum ac „ Serborum Principatum tenebat, cum Imperatore (*Monomacho*) fœdus icit: Protospathariique decoratus honore, „ in album sociorum ac amicorum Imperii Romani adscribitur.

III. Michaël post Stephanum patrem, Serviæ Princeps, Bodino filio Bulgariam concedit.

Ex his colligitur tam Stephanum patrem, quam filium Michaëlem, non modo Servis imperasse, sed etiam Bulgaris, qui olim *Triballi* dicebantur. Nam post extinctum sub Basilio Bulgaroctono Regnum Bulgarorum, ab anno 1019. usque ad ann. 1040. Bulgaria Imperio Græcorum subjecta fuit. Anno vero 1040. sub Michaële Paphlagone, Bulgari a Græcis defecere: quippe *Petrus* Bulgarus, cognomento *Deleanus*, ex urbe in Bulgariam profugus, Regem se Bulgarorum dixit, uti ex Cedreno supra narratum est. Duæ tunc temporis jam erant Bulgarorum factiones: altera Deleanum, Teichomerum altera Regem salutans. Sed Teichomero post paulo obruto, Deleanus solus nactus potestatem, Dyrrhachium, Thebas, aliasque Græciæ urbes cepit. Tunc etiam Provincia Nicopolitana, sola excepta Naupacto, ad Bulgaros descivit. Anno 6549. Ind. IX. mense Septembri (Chr. 1040.) Alusianus Patricius, & Theodosiopolis præfectus, Aaronis secundus filius, ex quadam offensa clam urbe egressus, ad Deleanum se confert, a quo benigne exceptus, cum exercitu ad oppugnandam Thessalonicam

nicam mittitur, cui tunc præerat Conſtantinus Patricius, Michaëlis Paphlagonis Imperatoris patruelis: at præſidiarii apertis portis impreſſione in Bulgaros facta, amplius 15. millia hoſtium cædunt, haud pauciores capiunt. Aluſianus Deleano crapula & ebrietate capto oculos eruit, indeque Moſynopolim ad Imp. profugiens, ab eodem Magiſtri dignitate donatur: Ipſe vero Imperator per Theſſalonicam in Bulgariam veniens, comprehenſum Deleanum Theſſalonicam mittit, & univerſam Bulgariam in poteſtatem redigens, dato Provinciæ præfecto, Conſtantinopolim reverſus, menſe Decembri anno 1041. obiit. Eo igitur mortuo, Stephanus ad Serviæ principatum, quem tenebat, etiam Bulgariam adjecit, ſi non totam, ſaltem eam illius partem, quæ Serviæ erat contermina. Filius quippe Stephani Michaël, Bodino filio Bulgariam conceſſiſſe dicitur. Scylitzes pag. 850. ad annum 1. Michaëlis Parapinacei, menſe Octobri anno Chr. 1072. inchoatum „ Primo autem Imperii ipſius anno, Indictione XI. Servorum
„ gens, quos etiam Chrobatas vocant, exiit ut Bulgariam in
„ ſervitutem redactura. Quomodo vero, altius ipſe repe-
„ tens enarrabo. Nam quum Baſilius Imp., eo tempore quo
„ Bulgariam ſubegit, nollet aliquid innovare eorum, quæ
„ ipſi uſitata erant; verum præfiniſſet, ut a ſuis principibus
„ regeretur, ſuiſque moribus degeret, quemadmodum item
„ imperante Samuele, qui Dux ipſorum fuit... (a) Jam
„ igitur & prius natio perturbata fuerat, quod non ferret Or-
„ phanotrophi avaritiam, quando Deleanum ſuum Regem
„ declararunt, quæ ſigillatim ſuperius demonſtrata ſunt: &
„ nunc quoque ad rebellionem ſpectavit: neque enim fere-
„ bat Nicephori avaritiam, & quæ contra omnes ipſe machi-
„ natus fuerat, nihil curante Imperatore, ſed ſolis pueri-
„ bus ludis occupato, Bulgariæ Principes Michaëlem ſuum præ-
„ fectum petunt ſibi opem ferre & opitulari; ſibique tradere

 „ filium,

a Deeſt aliquid. Supplendum tamen ex dictis ſupra pag. 747. „ Nam Baſilius
„ quidem Imp. quo tempore ſubegit Bulgaros, nihil prorſus immutaverat, ſed omnia
„ priſtina conditione manere permiſerat, neque a Samuelis exactione aliam inſtituit.
„ ea autem fuerat, ut quicumque Bulgarus jugum boum poſſidebat, is in publicum
„ conferret unum frumenti, unum milii modium, & vini urnam. Orphanotrophus
„ ea in pecuniam mutarat. Quod moleſte ferentes Nicopolitæ, oblata occaſione,
„ Deleani motu, (anno 1040.) Romano imperio rejecto, ad ſuos gentiles re-
„ dierunt.

„ filium, ut ipſum Bulgariæ Regem declarent, & a Romanorum Imperio & crudelitate vindicentur. Ille autem libenter ipſis obtemperabat; delectiſque e ſuis trecentis, & ſuo filio (*a*) Conſtantino, cui Bodino cognomen erat, traditis, in Bulgariam eum mittit. Exit igitur ad Priſdiana, ubi coacti proceres qui in Scopiis erant, quorum Princeps erat Georgius Boitachus, a Comchanis (*b*) originem ducens, Bulgarorum Regem ipſum declararunt, Petrum pro Conſtantino, mutato nomine, vocantes. Quod quidem audiens qui in Scopiis Ducis imperium adminiſtrabat Nicephorus Carantenus, cum ſuis Ducibus quos habebat, ad Priſdiana ſe confert cum Bulgaricis copiis. Interea vero dum hic ad bellum ſe comparabat, ſupervenit ſucceſſor ipſius Damianus Dalaſſenus: qui cum eo conjunctus, quum multis eum conviciis affeciſſet, & haud mediocriter in ejus milites debacchatus fuiſſet, tamquam imbelles eos irridens, inſtructa acie cum Servis ſtatim prælium committit; fitque horribilis pugna, ſed multo horribilior Romanorum clades. Cadunt enim multi ex Romanis & Bulgaris, & vivi plurimi capiuntur, in quibus ipſe quoque Dux Damianus Dalaſſenus, & qui dicebatur Probatas, & Longibardopulus, & alii frequentes cum ipſis. Capta ſunt item omnia caſtra, & omnia quæ in ipſis erant, direpta. [illegible] aperte Bulgari Bodinum Regem declarant, ut dictum eſt, mutato nomine Petrum appellantes; & in duas partes diviſi, alii cum Bodino ad Niſum ſe contulere; alii Petrilum quemdam, cui primæ apud Bodinum partes deferebantur, ſequuti, adverſus Romanos, qui in Caſtoria erant, profecti ſunt: illic enim muro muniendam urbem curaverant, Romanis faventes, ut dictum eſt, & Achridis prætor Marianus, & Patricius Diaboleos, & Proconſul Theognotus Burtzes, & cum ipſo Caſtoriæ præfectus, quibuſcum Boriſes David, & alii multi, qui veriti indigenarum Bulgarorum minas, in Caſtoriam tamquam ad aſylum confugere. Quum igitur Petrilus ad Caſtoriam perveniſſet cum innumerabili Bulgarorum manu, quæ ad bellum pertinerent comparabat. Romani

a Michaëlis nepotem Bodinum vocat Diocleates: cujus tamen allucinationes notat Cangius in Famil. Dalmat. cap. 3. edit. Pariſ. pag. 281. *b* Fort. *a Comanis*.

„ mani vero etiam ipsi instructi adversus erupere, & ingenti „ impetu cum ipsis congressi, fundunt Petrilum, & in fugam „ conjectum cogunt per invios montes ad suum dominum „ Michaëlem pervenire, & Bulgarorum plurimos occidunt, „ capiuntque eum, qui post Petrilum in Chrobatis secundum „ ordinem ducebat, & ad Imperatorem vinctum perducunt. „ Bodinus autem quum ad Nisum pervenisset, ut jam Impe„ ratorem a Bulgarica Provincia coërceret, omnia obvia præ„ dabatur, eos a quibus non exciperetur, quique recusarent „ ejus imperium, vexans & offendens. Quod quum audisset „ Imperator, cladem videlicet Ducis, & ejus declaratio„ nem, Saronitem adversus eum mittit, antequam malum ac„ cenderetur & in magnam flammam evaderet, extinguere „ festinans; & cum ipso idoneum quoque misit exercitum ex „ Macedonibus, & Romanis Francisque coactum. Verum „ hic ad Scopiorum urbem profectus, nullam eorum, qui „ Nisi erant, rationem habebat. Profectus igitur, & Geor„ gio Boitacho, cui urbs commissa erat, data fide, nihil „ eum detrimenti passurum, Scopiorum urbem expugnat, „ ibique castra locat, & quid faciendum de iis, qui Nisi erant, „ consultabat ac meditabatur. Verum Boitachus, quem jam „ pœnituerat tandiu bonum fuisse & Romanos sequutum „ esse, clam iis qui Nisi degebant indicavit, ut ad se quam„ celerrime venirent, & eos qui cum Saronite erant ignavius „ degentes ac segnius, sine ulla miseratione crudeliter „ omnes ad unum interficerent. Qui accepto nuncio, pro„ fecti Niso, Scopia petebant, cooperta terra nive: hiems „ enim erat, Decembri mense. Quod quum persensissent ii „ qui cum Saronite erant, adversus ipsos cum omnibus copiis „ irrumpunt, & in itinere deprehensos ad quemdam locum „ nomine Taonium, fere omnes interficiunt. Capitur etiam „ Bodinus. Longibardopulus vero, ut dictum est, ad Mi„ chaëlem perductus, data acceptaque fide, ejus filiam uxo„ rem ducit, eique ingens committitur exercitus e Longi„ bardis & Servis conflatus: quocum ad auxilium Bodini „ missus, rursus Romanis repugnat. Saronites autem Bodi„ num misit Imperatori vinctum: relegatus autem in S. Sergii „ Monasterium, paulo post Isaacio Comneno traditur jam

 „ An-

„ Antiochiæ Duci declarato, & perductus est in Antiochiam.
„ Quod quum audisset ipsius pater Michaël, pretio ingenti
„ conductis Venetis quibusdam, quorum opus erat per
„ mare navigare, eum inde furatus, in propriam patriam re-
„ duxit, eique restituit imperium. Atque hic post patris
„ obitum, nostraque tempestate regnavit. Boitachus au-
„ tem vehementer tortus dum rediret ad Imperatorem, non
„ sustinens verberum cruciatus, moritur. Alamanni autem
„ & Franci (sunt hæ nationes Occidentis) per regionem
„ immissi, relictam Bulgarorum Regiam in Prespa destruunt,
„ templumque illic Sancto Achillio constructum ac dedica-
„ tum exspoliant, a nulla re sacra abstinentes earum quæ ibi
„ erant: ex quibus quædam rursus servata sunt; reliqua di-
„ visa exercitus in proprios usus convertit.

IV. S. Gregorii VII. Papæ Epistola ad Michaëlem Serviæ Principem.

Exstat ad Michaëlem Serviæ Principem, Bodini patrem, Epistola (a) S. Gregorii VII. Papæ lib. 5. epist. 12. sic in-scripta: „ Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei, Mi-
„ chaëli Sclavorum Regi, Salutem & Apostolicam Benedictio-
„ nem. Cognoscat debitæ tuæ devotionis circa Sedem Apo-
„ stolicam reverentia, Petrum apud vos dictum nostrum Le-
„ gatum adhuc ad nostram non advenisse præsentiam; suas
„ tamen misisse literas, quæ ita vestris dissonantes existunt,
„ quod vestram causam, seu Ragusanæ Ecclesiæ, penitus fi-
„ nire nequivimus. Quapropter Petrum Antibarensem Epi-
„ scopum, atque Ragusanum, sive alios idoneos Nuncios,
„ ad Nos mittere oportet, per quos de lite quæ inter Spala-
„ tanum Archiepiscopum ac Ragusanum justitia possit inqui-
„ ri, ac canonice definiri, tuique Regni honor a Nobis co-
„ gnosci. Tunc vero re cognita, tuæ petitioni juste satisfa-
„ cere, secundum quod cupimus, valebimus, ac in dono Ve-
„ xilli, & in concessione Pallii, quasi carissimum B. Petri fi-
„ lium, dictante rectitudine audiemus. Data Romæ v. Idus
„ Januarii Indictione prima „ hoc est an. Ch. 1078.

V. Bodinus Michaëlis filius, Serviæ Princeps, unacum filio Michaële.

Testatur Anna Comnena lib. 1. Alexiad. pag. 40, Bodinum unacum filio Michaële Dalmaticas provincias rexisse, imperante Nicephoro Botaniata, hoc est, post annum 1078. quo Michaël pater Bodini Regnum Serviæ tenebat, & ante annum 1081.

a Concil. Labb. Tom. XII. edit. Venet. pag. 425.

1081. quo Nicephorus Botaniata die 1. Aprilis exauctoratus fuit. Superstitem adhuc Bodinum anno 1100. colligitur ex aliquot veteribus tabulis: regnasse autem annos XXVI. scribunt Dalmatici Historici. Ejus mentio occurrit apud Scriptores, qui Hierosolymitanas seu Christianorum in Terram Sanctam expeditiones literis mandarunt, iis potissimum locis, quibus Boamundum Antiochiæ Principem Scutarii seu Scodræ excepisse, quum emensa Sclavonia Constantinopolim perrexit, quo cæteri ex Francis primates jam pervenerant, dicitur.

VI. Rasciæ Regni descriptio, ejusque antiqua nomenclatura. Stephanus Rasciæ Serviæque Princeps. Liubimirus ejus filius. Urosius filius Liubimiri. Dessa fil. Urosii. Nemanias, Cresimirus & Miroslavus, filii Dessæ. Simeon, Stephanus nuocupatus, filius Nemaniæ. Simeonis filii tres ex Geliza uxore, Wksanus, alias Vulcanus Dalmatiæ & Dioeliæ Princeps: Vencianus, seu Stephanus, Serviæ Rasciæque Princeps, & Rascus, postea Sabas appellatus.

Quidquid sit de iis, qui Bodino successisse apud Cangium in Serviæ principatu a num. XL. ad L. dicuntur, certum est, *Neemanis* [quem Dalmatæ Nemagnam vocant] Serviæ Principis filios, Regia dignitate insignitos fuisse. Fuit *Neemanes* Dessæ Serviani filius, Belæ nepos, *Stephanus* a Niceta aliisque Scriptoribus appellatus, Serviæ & Rasciæ Princeps, subjectos sibi habens tam Chelmenses, quam Bosnenses Dynastas, Zentam utramque, superiorem scil. & inferiorem sub ditione sua tenens, de quo hæc Cangius num. LI. „ Neemanes quum in „ Rascia moraretur, Fridericum I. Imperatorem per hosce „ tractus transeuntem, & in Syriam tendentem, Nissi, seu „ ut habet Arnolfus Lubecensis, Nicææ, [Naissum vocant „ Bryennius & Cinnamus] excepit, eique hominium præstitit. Tradunt sacræ istius Friderici expeditionis Scriptores, „ obvios illum habuisse tres fratres, Neemanem, Chrazimi- „ rum, & Mechillavum, magnos Serviæ, & Rasciæ Comites, „ qui haud ita pridem hasce Græcis Augustis abstulerant pro- „ vincias „ Pro Chrazimiro, legendum ex Cangio, *Constantinus*, & pro Mechillavo, *Miroslavus*; Nam eodem Cangio notante, Dessa Serviæ Banus tres filios habuit, *Neemanem*, *Miroslavum*, & *Constantinum*. At Joannes Tomcus Marnavitius, Episcopus Bosnensis, in Vita Sancti Sabbæ Archiepiscopi Serbiæ apud Bollandum ad 14. Januarii Tom. 1. pag. 979. & seq. *Chresimirum*, *Miroslavum*, & *Neemanem* diserte appellat, eorumque originem & Principatum sic describit. „ Ra- „ sciæ Regnum tellurem eandem plane comprehendit, quæ „ ante Romanum Imperium Dardania, mox Mœsia Superior; „ sub Imperatoribus vero, qua Danubium attingit, Daciæ „ Aureliani & Ripensis; sub declinationem Romanæ Maje- „ statis

„ ſtatis iterum priſco nomine Dardaniæ recuperato ; denique
„ inclinato Imperio ac ferme extincto, Sirbia, Serbia, ac
„ Servia, a Sirbis populis a Tanai fluvio populariter eo com-
„ migrantibus ; poſtremo regnantis in ea Nemaniæ familiæ
„ principibus, Raſcia, ſive a Ruſſis vel Ruthenis, qui cum
„ Sirbis Danubium tranſierant; ſive ab antiquis Tauriſcis,
„ Juſtino, Plinio, Ptolemæo, ibidem notis & eodem loco
„ deſcriptis; ſeu demum a Raſca non admodum nobili flu-
„ vio, per tellurem eamdem ſtagnante, dicta eſt. Raſciæ no-
„ men ſub finem duodecimi Chriſtiani ſæculi obtinuit, Nema-
„ nia ſtirpe rerum potiente. Hujus gentis auctor *Stephanus*,
„ in Tuglo Boſnenſi oppido genitus, quum Lyubimirum fi-
„ lium magni animi juvenem reliquiſſet, is virtute quæſitum
„ Tarnovium territorium, ad Drinam fluvium in Savum un-
„ das volventem, Uroſcio filio cum dignitate nominis a Prin-
„ cipibus Boſnenſibus conceſſa, tranſmiſit. Hic Deſſam fi-
„ lium, Deſſa tres liberos, Dynaſtia ſemper adaucta, reliquit
„ hæredes, Miroslavum, nimirum, Chreſſimirum, & Nema-
„ niam, magnos Comites appellatos. Horum poſtremus egre-
„ gia opera vicinis navata Principibus, depreſſis vel loco pul-
„ ſis inferioribus regulis, iis præſertim qui originem ſuam ad
„ Sanctiſſimi Principis Magni Conſtantini poſteros referebant,
„ Niſſenſemque urbem cum adjacenti territorio ſub Conſtan-
„ tinopolitanorum Imperatorum tutela, Archontis titulo, te-
„ nuerant, magnam ſibi auctoritatem inter populares com-
„ paravit. Ea tempeſtate (a) Federicus Romanorum Im-
„ perator, dum ad ſacrum Palæſtinæ bellum, iter per Illyri-
„ canas intendit provincias, a Nemania in urbe Niſſa regiæ
„ opulentiæ excipitur hoſpitio, non ſolum, ſed maximis præ-
„ terea auctus muneribus, magna pompa ad Thracium dedu-
„ citur litus. Imperator indignum ratus, adeo magnanimum
„ hoſpitem abſque aliquo grati animi argumento a ſe dimitte-
„ re, Regis Serviæ titulo decoratum, perpetuum cum poſteri-
„ tate Romani Imperii declaravit amicum. Hac occaſione
„ Regnum ampliſſime dilatatum, Tihomilo, & Simeoni, Ste-
„ phano nuncupato, filiis illud obiens reliquit: ſed majori
„ filio brevi patris fatum ſubeunte, univerſa poteſtas in Si-
„ meo-

(a) Anno ſcil. 1188.

„ meonem recidit, qui per Bulgariæ, Macedoniæ, Epiri, „ Dalmatiæque fines dilatato Regno, Stephani nomine retento, novos titulos inde sibi comparavit: a quo consuetudo in posterum introducta, ut primogenito in Regno succedente, alter ab illo frater, magnus Serviæ Jupanus appelletur. Tanta hic dexteritate regnasse fertur, ut omnium illius ætatis Principum gratiam & amicitiam conciliatam haberet. Constantino Strascimiro dicto, cujus majores Rex Nemania parens suus, Nissensi Principatu spoliarat, non solum ablatas ditiones cum principatu restituit, sed Gelizam quoque sororem ejus uxorem sibi accepit, ex qua nobilissimam filiorum triadem, ut mox dicemus, suscepit; licet ea mortua, Eudociam Alexii Imperatoris filiam, facem familiæ suæ, postea duxerit. Romanum tamen in primis Pontificem coluit, & loco patris in omnibus habuit, ut videre est ex literis Stephani ejus filii, magni Jupani Serviæ, ad Innocentium III. Summum Pontificem datis, quibus postquam illum tamquam patrem suum spiritualem salutat; nos, inquit, semper consideramus in vestigia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicuti bonæ memoriæ Pater noster. Ita ille. Moriens itaque tres filios pius Princeps ex uxore Geliza reliquit, *Wkſanum*, *Venciamum*, & *Rascum*. *Wkſanus*, Latinis *Vulcanus* appellatus, tamquam primogenitus, Regnum Dalmatiæ & Diocliæ obtinuit; fratri *Venciano*, *Stephano* voce Græca interpretato, Serviæ Rasciæque Principatu cum titulo magni Jupani, fraterna æque ac Christiana caritate, concesso: inter quos & præfatum Innocentium Pontificem plures epistolæ intercessere, ut in ejusdem Pontificis Decretali libro est videre. *Rascus* tertio loco genitus, vivente adhuc patre, quum ab infantia animum ad pietatem adjecisset, indeque præ cæteris fratribus a patre diligeretur, ubi primum adolescere cœpit, aulicas turbas pertæsus, insciis genitoribus domo prolapsus, ad sacros viros, qui juga montis Athos, ex Macedonia in Ægeum mare altera crepidine procurrentis, incolebant, sese recepit... Exemplo filii pius pater Regno duobus natis relicto, valedicens Eudociæ Alexii Regis Græcorum filiæ, quam post mortem prioris duxerat conjugis, in Papycio monte, teste Niceta, Monasticam vitam arripuit. De

VII. Vulcanus, & Stephanus, fratres, filii Simeonis, Stephani nuncupati. Primus Dalmatiæ & Diocliæ Rex: alter magnus Serbliæ Jupanus.

De *Rasco*, *Sabba* inter Cœnobitas dicto, mox sermo erit. Nunc de duobus ejus fratribus, *Wksano* & *Stephano*. Nicetas Choniata, post Stephani Neemaniæ filii obitum, non Vuksanum, sed Stephanum Principatu Serviæ potitum scribit, eumque, postquam parens in Papycium montem secessit, Eudociam novercam despondisse, ex eaque liberos procreasse: ac deinde divulsa maritali concordia, Stephanum barbarico prorsus facinore, Eudociam omni vestitu spoliatam, quo libitum esset, abire sivisse: eamque ob rem a Vuksano fratre Stephanum Principatu & patria exactum fuisse. Verba Nicetæ lib. 3. cap. 7. in Alexio Comneno, pag. 342. edit. Paris. accipe. „ Habuit Alexius tertiam quoque filiam, Eudociam nomine: quam, ipso adhuc Andronicum fugiente, & apud Ismaëlitas & in Palæstina oberrante, patruus Isaacius Stephano filio Neemanis despondit, Triballorum principi: Verum exiguo tempore in principatu exacto, in Papycio monte fit monachus. Filius vero ejus eodem nomine Stephanus, (*a*) Eudocia paternæ satrapiæ declarata domina, plusculo tempore exacto liberos ex ea suscipit. Sed tempus omnia innovare, & perpetuo dissimilitudines inducere solitum, ambos a pristina conjunctione & consensione disjungit.... Nam ille uxori pruritum libidinis, ea contra marito bibacitatem a primo diluculo & aliarum mulierum consuetudinem objiciebat. Ita dissidio subinde crescente, Stephanus barbaricum consilium init atque exequitur. Nam sive confisto, sive vere objecto adulterii crimine, Eudociam omni vestitu muliebri spoliat, sola tenui interula relicta, eaque undique præcisa, ut vix pudendas partes tegeret, atque ita ignominiose quo libitum esset abire sinit. Huic pœnæ tam inhonestæ, atroci, & immodicæ, frater ejus, Βόλκος, *Volcus* intercedit: & objurgata ejus inhumanitate, orat, ut deposita iracundia paulo clementius agat, habita ratione illustris generis Eudociæ: & famæ suæ consulat, ac tantam ignominiæ labem caveat. Sed quum pertinax & implacabile ejus ingenium movere non posset, ipse Eudociam ita susce-

„ ptam

a Idem ipse ac *Vencianus*. Sensus est: Stephanus ejus filius, quum paternæ satrapiæ dominam Eudociam declarasset, plusculo exacto tempore, filiorum ex ipsa pater audiit.

,, ptam ut dignitas ejus poſtulabat, Dyrrhachium perducen-
,, dam curat. Quo caſu cognito pater, filiam lectica & orna-
,, mentis muliebribus miſsis, in ædes ſuas recipit. Cæterum
,, ne hi quidem Neemanis filii longo tempore concordes per-
,, manſerunt: ſed inimicitiis ſuſceptis, in cæterorum cœtum
,, tranſierunt, quos ſupra diximus per ambitionem & vecor-
,, diam naturæ oblitos eſſe: & Volcus victor Stephanum &
,, principatu & patria exegit. Nam quum fraternæ cædis
,, exemplum ex urbe Imperatrice promanaſſet, & extremos
,, orbis terrarum fines pervagatum eſſet, non Perſæ tantum &
,, Tauroſcythæ, & hi Dalmatæ, & poſtea Pannonii, ſed & alii
,, plures cæterarum gentium principes, enſibus in cognatos ſuos
,, ſtrictis, ſeditionum & cædium patrias ſuas compleverunt.

VIII. Innocentii III. Papæ Epiſtolæ VIII. ad Reges, Jupanum, uxores eorum, Archiepiſcopum, Epiſcopos aliosque per Dalmatiam & Diocliā, de Legatione Joannis Capellani, & Simonis Subdiaconi.

Id factum a Stephano & Vulcano oportuit ante ann. 1198. Nam hoc anno conſtat, Vulcanum Principatu ſeu Regno Dalmatiæ & Diocliæ potitum, & Stephanum ejus fratrem, magnum Serviæ Jupanum effectum fuiſſe, atque cum uxore (ſive ea fuerit Eudocia, ſive alia) in gratiam rediiſſe. Uterque quippe frater una cum ſuis conjugibus, & unacum Præſulibus Dalmatiæ & Diocliæ, anno Chr. 1198., quo Innocentius III. ad S. Petri Cathedram (*a*) evectus eſt, dicuntur eundem Pontificem per nuncios rogaſſe, ut legatum ſuum mitteret, & quidquid reformandum inveniret, reformaret. In Regeſto Innocentii III. exſtant plures Epiſtolæ (*b*) hac de re datæ *Laterani* VI. *Idus Januar.*, ideſt Anno 1199. nimirum, Epiſtola I. *ad Jo. Capellanum & Simonem Subdiaconum noſtrum*, *Apoſtolicæ Sedis Legatos*, *lib.* I. *epiſt.* 525. quæ incipit: *Apoſtolicæ Sedis auctoritas*. Illos ad Regem Dalmatiæ Legatos facit, his
,, verbis: ,, Hac itaque conſideratione diligenter inducti, &
,, cariſsimi in Chriſto filii V. (*Vulcani*) illuſtris Regis Dalma-
,, tiæ & Diocliæ precibus inclinati, qui ut ad eum Legatos
,, mittere deberemus, inſtantiſsime poſtulavit, vos, de quo-
,, rum probitate nos & fratres noſtri plenam fiduciam obtine-

 ,, mus,

a Innoc. III. creatus fuit Pontifex VI. Idus Jan. anno 1198. & VIII. Idus Martii conſecratus.

b Raynaldus ad ann. 1199. num. LV. ,, De quo Regi Reginæque, tum ſpectatiſſimo in iis regionibus viro S.... Magno Jupano, uxorique ejus; tum Diocleníi ,, Archiepiſcopo, tum denique regionum illarum Archiepiſc. Epiſc. Abbatibus ,, atque Clericis, literas miſit.

„ mus, ad Dalmatiam & Diocliam provinciam duximus transſ-
„ mittendos: in provinciis ipſis vobis, auctoritate præſen-
„ tium, legationis officium injungentes; ut quæ inveneritis
„ corrigenda corrigatis, deſtruatis & evellatis ſuperflua & no-
„ civa, ædificetis & plantetis utilia & honeſta „. Epiſtola II.
(in Regeſto lib. I. epiſt. 526.) *Vulcano illuſtri Regi Dalmatiæ & Diocliæ*. Initium: *Ut evidentius Evangelica doctrina pateret*. Monet, ut Legatos Apoſtolicos, quos ipſe petierat, reverenter accipiat, & officium ſuum exequi patiatur. „ In-
„ telligentes igitur per literas tuas noſtro Apoſtolatui præſen-
„ tatas tuæ devotionis ardorem, quod videlicet Romanam
„ Eccleſiam matrem tuam ſuper omnia poſt Deum diligere &
„ honorare proponis, & mandatis noſtris omnimodis inhære-
„ re, juxta quod a nobis tua nobilitas poſtulavit, dilectos fi-
„ lios Jo: Capellanum, & Simonem Subdiaconum noſtros, de
„ quorum ſcientia & probitate nos & fratres noſtri plenam fi-
„ duciam obtinemus, de fratrum noſtrorum conſilio ad par-
„ tes tuas duximus dirigendos; per Apoſtolica tibi ſcripta man-
„ dantes, quatenus eos tamquam Apoſtolicæ Sedis Legatos
„ benigne recipias & honeſte pertractes, & quæ ſecundum
„ Deum in partibus ipſis duxerint ſtatuenda, ſuſcipias humili-
„ ter, & ſine refragatione conſerves... Nos enim eis dedi-
„ mus in mandatis ut Apoſtolicam in te confirmantes doctri-
„ nam, reforment quidquid invenerint reformandum, &
„ tamquam membra capiti, Apoſtolicæ Sedi conforment, in
„ ipſius devotione pariter & obedientia ſolidantes: per quos
„ etiam Pallium, plenitudinem ſcilicet Pontificalis officii,
„ V. fratri noſtro Dioclienſi Archiepiſcopo tranſmittimus „. Epi-
„ ſtola III. IV. & V. (in eod. Reg. lib. I.) ſcriptum eſt ſuper
„ hoc in eundem fere modum uxori ejuſdem Regis. In eun-
„ dem fere modum nobili viro S. (*Stephano magno Jupano*.
„ In eundem fere modum uxori ejuſdem S. (*Stephani magni*
„ *Jupani*) Epiſt. VI. (in eod. Reg. lib. I. p. 527.) In eundem
„ fere modum Dioclienſi Archiepiſcopo, uſque ad verbum,
„ Adimplere. Quibus etiam pro nobis & ſucceſſoribus noſtris,
„ fidelitatis juramentum, quod Tibi ſub Bulla noſtra mittimus
„ incluſum, devote ſtudeas & humiliter exhibere „. Epiſto-
la VII. (in eod. Reg lib. I. ep. 528.) „ In eundem fere mo-
„ dum

„ dum Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Eccleſiarum „ Prælatis, & aliis Clericis per Dalmatiam, & Diocliam in „ Regno cariſſimi in Chriſto filii noſtri Vulcani illuſtris Regis „ Diocliæ & Dalmatiæ conſtitutis, uſque ad verbum, Solidan„ tes „. Epiſtola VIII. (in eod. Reg. lib. I. ep. 535. *Dat. Laterani* VII. *Kal. Febr. anno* 1199.) „ Joanni Capellano, & „ Simoni Subdiacono, familiaribus noſtris, Apoſtolicæ Sedis „ Legatis. Pallium non concedi, niſi Metropolitanis. Poſt „ dies aliquot, ex quo a noſtra præſentia receſſiſtis, ex relatio„ ne quorundam & inſpectione libri Cenſualis Cameræ noſtræ, „ nobis innotuit, quod (*a*) Antibarenſis Eccleſia inter Suf„ fraganeas Raguſinæ Metropolis numeretur. Unde quum tu, „ fili Joannes, librum illum inſpexeris, miramur, quod fa„ cta tibi copia libri præmiſſi, nobis non aperuiſti expreſſius „ veritatem. Quia vero non eſt noſtræ intentionis ſtatum Ec„ cleſiarum evertere, devotioni veſtræ, auctoritate præſen„ tium, diſtrictius inhibemus, ne Antibarenſi electo Pallium „ aliquatenus concedatis, niſi vobis conſtiterit, ejus præde„ ceſſores fuiſſe Palliis decoratos, & dignitatem Metropoliti„ cam habuiſſe. Ne autem iter veſtrum & legationis proceſſus „ valeat aliquatenus impediri, eiſdem perſonis, quibus per „ vos Apoſtolica ſcripta dirigimus, ſub eodem tenore literas „ noſtras tranſmittimus, dempto capitulo, quod faciebat de „ Pallio mentionem, ut utraſque penes vos habentes, vel „ primas vel ſecundas, prout opus fuerit, præſentetis.

IX. Vulcani Dalmatiæ & Diocliæ Regis epiſtola ad Inn. III de Synodo in Dalmatia celebrata, deque hæreſi Banculini Boſniæ Bani.

Exſtant itidem a Rege Vulcano aliiſque redditæ ad Innocentium Papam literæ: quibus ei ſignificant, quomodo Legatos ſuos acceperint, omniaque ab iis præſcripta ſervaturos ſe pollicentur. Prima epiſtola Regis Vulcani (in Regeſto Innocent. III. lib. 2. epiſt. 176.) Dat. menſe Septembri anno 1199. qua ſe & Regnum ſuum Pontifici commendat: de celebrata a Legatis ſuis Synodo ſignificat: hortatur denique, ut ad Ungariæ Regem ſcribat de expulſione hæreticorum, qui in Boſnia Banculinum alioſque infecerant. „ Beatiſſimo atque Sanctiſſimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Summo Pontifici & Univerſali Papæ: Vulcanus

D 2 „ eadem

a Atqui Alexander PP. II. anno 1062. Petro Dioclienſis atque Antibarenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo Pallium miſit. Vide Baron. ad ann. 1062. num. 96.

„ eadem gratia Diocliæ atque Dalmatiæ Rex, salutem & de-
„ votionis affectum. Venientibus ad nostram præsentiam Do-
„ mino Johanne Capellano & Domino Simone religiosis & di-
„ scretis Sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Sedis Legatis, amo-
„ do jocundati sumus. *Et post pauca.* Illorum itaque probi-
„ tate & scientia nos informati, Deo & Paternitati vestræ in-
„ numeras grates rependere curamus, quia tales ad nos misi-
„ stis, quales in voto semper habuimus suscipiendos, divino
„ munere præditos: quia omne datum optimum & omne do-
„ num perfectum desursum est. Præsentatis igitur Literis ve-
„ stris, intelleximus, quia postulationibus nostris Apostolatus
„ vestri beatitudo misericorditer acquievit. Unde nos cum
„ magna devotione præcepimus, ut per totum Regnum no-
„ strum omnia quæ secundum Deum sunt, ordinent & confir-
„ ment; quæ autem contraria sunt, juxta illud propheticum
„ evellant & destruant. Accedentes itaque ad locum, ubi an-
„ tiquitus Concilium celebrari solitum fuit, Sanctam Syno-
„ dum celebrare studuerunt, de vitiis & virtutibus subtiliter
„ differentes, in communi Deo, & Beatissimæ Mariæ perpe-
„ tuæ Virginis, & Beato Petro Apostolorum Principi, necnon
„ & Apostolatui vestro laudum præconia persolventes. Inter-
„ ea noverit Paternitas vestra, quia Augustali Stemmate un-
„ dique insignimur, & quod gloriosius & beatius est, vestri
„ generosi sanguinis (*a*) affinitatem habere cognovimus.
„ Igitur innotescimus, quia in voto habuimus nunc legatos
„ no-

a Innocentius III. ex patre Transmundo de Comitibus Signiæ, matre vero Claricia de nobilibus Urbis fuit. Vulcanus autem Dalmatiæ & Diocliæ Rex, originem duxit ex Neemane, filio Dessæ, filii Belæ sive Belusis, fratris Primislavi, filii Urosii. De quorum origine hæc Cangius in Fam. Dalm cap. 3. num 47. pag. 284. edit. Parif. & 227. edit. Venetæ. „ Verum ut res admodum intricata & nebulis involuta expe-
„ diatur ac explicetur, unde orti hi Principes, qui a Radoslavo primum defecere,
„ & qui in Serviano Principatu ei successere; horum generis origo paulo altius vide-
„ tur repetenda. Gliubomirus (*juxta Orbinum & Lucarium* Stephani Græci
„ Presbyteri ex Lucensi tractu in Chelmensi Comitatu oriundi, seu, ut aliis placet,
„ in Tucheglienfis Bosinæ oppidi Ecclesia Curionis officio fungentis, filius, tantam
„ in bellicis expeditionibus fortitudinis, & experientiæ famam adeptus est, ut Chel-
„ mensis Princeps, Tarnovensis regionis Jupanum constituerit, quæ etiamnum ejus
„ nomen inde servat. Ex eo natus filius Urosius, qui paternis insistens vestigiis, da-
„ tisque haud vulgaribus virtutis militaris argumentis, a Georgio Serviæ Rege (*fuit*
„ *hic Bodini & Jaquintæ filius, Servianique Regni possessionem adiit circa ann.* 1115.
„ *Vide Cangium num.* 43. *& seqq.*) in paterna præfectura confirmatus est, cui quum
„ variis

,, nostros ad pedes beatitudinis vestræ transmittere. Sed quia ,, terram illam turbatam esse audivimus, facere non potuimus: quia vestris Legatis ubique debita reverentia exhibetur; sed nostri, dum illuc ire voluerint cum magna honoris ,, magnificentia, damna forsitan & exitium patientur. Sed ,, dum opportunum aut congruum tempus affuerit, honorificentius faciemus: qui sanctæ exhortationis vestræ verba perferant, quæ dulciora nobis sunt super mel & favum. Siquidem sperantes & certum tenentes, quia ex quo Vicarius Domini nostri Jesu Christi existis, ipse per te nobis aditum Regni cælestis aperire dignetur. Et quia nullo in hoc sæculo ,, indigemus, multum rogamus, ut pro nobis peccatoribus ,, preces ad Dominum fundatis. Demum vero Paternitatem ,, vestram nolumus latere, quia hæresis non modica in terra ,, Regis Ungariæ, videlicet Bessina, pullulare videtur, in tantum quod, peccatis exigentibus, ipse Bacilinus cum ,, uxore sua, & cum sorore sua, quæ fuit defuncti Miroslavi ,, Chelmensis, & cum pluribus consanguineis suis seductus, ,, plusquam decem millia Christianorum in eandem hæresim ,, introduxit. Unde Rex Ungariæ exacerbatus, illos ad vestram præsentiam compulit venire, a vobis examinandos. ,, Illi autem simulatis literis redierunt, dicentes, a vobis con- ,, ces-

---

,, variis occasionibus operam suam contulisset, a Draghinha Rege (*qui Georgio Regi dejecto, ut idem Cangius num. 46. scribit, successit, successoremque habuit filium Rodoslavum num. 47.*) in prælio captus, in Rasciam abductus est, ubi tandiu est detentus, donec hancce provinciam in suam potestatem redegit Georgius, uti supra ,, diximus. Is porro est Urosius seu Uroscus, quem rerum Hungaticarum Scriptores (*Thurocz. cap.* 63. 65.) Banum, & magnum Serviæ Comitem appellant, cujus ,, filiam Helenam in uxorem duxit Bela, cognomento Cæcus, Hungariæ Rex, Belæ ,, Serviæ Bani sororem, quem Otho Frisingensis (*lib. de gest. Friderici cap.* 32.) & ,, Guntherus (*lib. 6. Ligur*) Geisæ II. Regis avunculum vocant. Ita ut Bela iste ,, Servianus non alius fuerit ab eo, quem Belusem nominant Cinnamus (*libr. 3. num.* 7. 11.) & Primislavi & Dessæ fratrem facit, quique magni Serviæ Jupani sororem in conjugio habuit ,,. Cetera legesis apud eund. Cangium. num. 47. ad 51. ubi de filiis Urosii *Primislavo*, *Bela*, & *Dessa*: deque filio Dessæ *Neemane*, a quo Vulcanus, ut supra dixi, genus traxit. Reliquos Serviæ e Nemania gente Reges, qui post Vulcanum & Stephanum ad annum fere 1368. regnarunt, vide apud eund. Cangium a pag 288. ad 293. Horum nummos exhibet exponitque cl. Hieronymus Zanetti in Commentario *de Nummis Regum Mysiæ seu Rasciæ ad Venetos typos percussis*: quem legesis apud cl. Philippum Argelatum Par. 3. de monetis Italiæ, edit. Mediolani anno 1750 in Appendice a pag. 15. ad 22. ubi ad Stephanum Neemanis filium & Vulcani atque Sancti Sabbæ fratrem refert sigillum illud, quod Cangius pag. 288. attribuit Stephano Nemaniæ, Crapalo appellato, antedicti Stephani filio.

„ cessam sibi legem. Unde rogamus, ut Regi Ungariæ suggeratis, ut eos a Regno suo evellat, tamquam zizania a tritico „. Quæ in epistola Vulcani *Bessina* dicitur, eadem *Bossina* vel *Bosna*, a *Bessis* inferioris Moesiæ populis qui eam inhabitarunt, appellationem accepit, vel, quod probabilius videtur, a *Bosna* fluvio quo irrigatur. *Bosonam* Porphyrogenitus in lib. de Adm. Imp. cap. 32. appellat, & intra veteris Serviæ regni, cujus olim pars fuit, terminos constituit. *Culinus* seu *Culienus*, Banus, Borichii in eam dignitatem successor, *Bacilinus* in epist. Innocentii perperam dictus, rectius *Ban culinus*, vivebat ab anno 1171. quem tradunt scriptores, initio principatus pium admodum fuisse ac religiosum, atque adeo Romanæ religioni & Sedi Apostolicæ impensius addictum; sed postmodum Patarenorum, quæ eadem est cum Valdensi, amplexum hæresim, una cum uxore & sorore Miroslavi Chelmensis Comitis, Neemanis Serviæ Regis fratris, tum vidua, Rex Ungariæ, cui clientelæ jure obnoxius erat, Summum Pontificem adire coëgit, ut super opinionibus, quas profiteri dicebatur, ejus examen subiret, quod ii statim executi. At quum fictam esse horum conversionem accepisset Innocentius III., easdemque non modo hæreses profiteri, sed & hæreticos, qui Spalato & Tragurio nuper fuerant exacti, suas in ditiones recepisse, ad Emericum (*a*) Hungariæ Regem scripsit circa annum 1200. ut sub bonorum amissionis ac etiam proscriptionis pœna, hæresim

a Hemmeradus etiam vocatur, ad quem Innoc. III. lib. 3. epist. 2. sic scribit, *Laterani v. Idus Octob.* anno 1200. „ Accepimus, quod quum nuper Ven. frater noster Spalatensis Archiepiscopus Patarenos non paucos de Spalaten. & Tragurien. civitatibus effugasset, nobilis vir Culinus Banus Bossinus iniquitati eorum non solum tutum latibulum, sed & præsidium contulit manifestum, & perversitati eorumdem terram suam, & seipsum exponens, ipsos pro catholicis, imo ultra Catholicos honoravit, vocans eos antonomastice Christianos. Ne igitur hujusmodi morbus, si ejus non obsistatur principiis, vicina corrumpat, & in Regnum (quod absit) Ungariæ defluat labes ejus, Serenitatem regiam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, in remissionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ad vindicandam tantam Christi & Christianorum injuriam, potenter & regaliter accingaris. & nisi Banus prædictus universos hæreticos de terra suæ potestati subjecta proscripserit, bonis eorum omnibus confiscatis, tu ipsum, & hæreticos ipsos non solum de terra ejus, sed de toto Ungariæ regno proscribas, & bona talium, ubicumque per terram tuam poterunt inveniri, confisces, nec parcat oculus tuus Bano prædicto, quia contra eum jurisdictionem exerceas temporalem, si alias ad viam rectitudinis non poterit revocari. Nicolaum quoque quondam Farensem Episcopum.

fim dimittere, hæreticofque ex ditionibus fuis pellere Banum cogeret. Quod Emericus continuo perfecit, miffis per (*a*) Culini filium, qui tum in aula morabatur, conceptis fub certis pœnis mandatis, quibus hærefim abjuraret, hæreticofque abigere jubebatur. Neque tamen hifce in Regionibus, quæ jam altius radices egerat, avelli potuit Patarenorum hærefis, fruftra obnitentibus Summis Pontificibus ac Hungariæ Regibus. Vide Cangium in Fam. Dalm. cap. 8. num. x. & feqq.

X. Epiftola Stephani magni Jupani totius Serviæ ad Innoc. III. Papam de Legatorum fufceptione.

Epiftola fecunda (*b*) *Stephani Magni Jupani totius Serviæ* (in Reg. lib. 2. ep. 177.) de Legatorum fufceptione. „ Innocentio Dei gratia Summo Pontifici, & univerfali Papæ „ Romanæ Ecclefiæ BB. Apoftol. Petri & Pauli, S. (*Stephanus*) „ eadem gratia & fancta oratione veftra Magnus Jupanus to„ tius Serviæ, falutem, tamquam patri fuo fpirituali. Li„ teras Sactitatis veftræ recepimus, & bene intelleximus ea „ quæ

„ pum, qui non folum præter auctoritatem noftram, fed etiam contra prohibitionem „ expreffam, Jadertinam Metropolim, quam præfumpfit invadere, detinere præfu„ mit; unde fufpenfus a nobis anathematizari mandatur, ut a fuo refipifcat errore, „ tradita tibi poteftate compellas „. Hæc Innocentius Papa. Thomas Archidiaconus Spalaten. cap. 23. de Nicolao Pharenfi fic fcribit. „ His temporibus defuncto Mar„ tino Infulat. Epifcopo Nicolaus nepos ejus ambitionis ardore fuccenfus, tantum „ follicitaverat infulanos, quod ab eis in Epifcopum eft electus. Præfentatus ergo „ Spalatenfi Archiepifcopo, manus confecrationis fibi poftulabat imponi. Archipræ„ ful vero ejus devitans verfutias, fciens eum callidum & dolofum, minime admitteba„ bat. Tandem inftantia civium fuperatus, promifit fe die Dominica, quæ craftina „ futura erat, eorum fatisfacere voluntati. Nicolaus vero indigne ferens dilatio„ nem Archiepifcopi, ipfa nocte iter arripiens, perrexit Vernnam, ibique Dominum „ Papam Lucium quibufdam machinationibus circumveniens, confecrationem ab eo „ petiit & accepit. Vacante autem Ecclefia Jadrenfi, Nicolaus ifte in Archiepifco„ pum eft electus. Qui electionem temere fufcipiens, abfque licentia Apoftolicæ Se„ dis, adminiftrationi Jadrenfis Ecclefiæ fe impudenter immerfit. Quam ob rem Do„ minus Innocentius Papa eum utraque dignitate privavit: Infulani vero Spalatum „ accedentes, elegêrunt in fuum Epifcopum Micham nepotem Petri Canonicum Ec„ clefiæ Spalatenfis. Hic in Spalatina Ecclefia confecrationem fufcepit, & pergens „ ad Apoftolicæ Sedis Præfulem, confirmationis refcriptum obtinuit, ut deinceps „ Epifcopatus Pharenfis antiquæ Metropoli Spalatinæ, tamquam matri fuæ, jure „ perpetuo adhæreret.

a Sub exitum anni 1202. Innocentius PP. Spalatenfi Archiepifcopo, & Ioanni Capellano fuo præcepit, ut Culini Bani regionem luftraret, ejufque mores diligenter perquireret: feque ad Hemmeradum feu Emericum Hungariæ Regem, ea de re fcripfiffe. Quid vero ab eo refponfi anno 1204. acceperit, aperte colligitur ex ipfius Regis Hungariæ epiftola ad Innoc. Papam, apud Raynald. ann. 1202. num. 8. fic infcripta. „ Venerabili in Chrifto Patri Innocentio Dei gr. Sacrof. Romanæ Ecclefiæ „ Summo Pontifici H. ead. gr. Hungariæ, Dalmatiæ, Ramæ, Serviæque Rex, fal. „ & filialem in omnibus reverentiam. Licet univerfi. Cætera.

b In edit. Baluziana Parif. 1687. pag. 452. titulus: *Litteræ B. magni Jupani totius Serviæ*. Scribe *S.* pro *B.* nam Stephanus erat nomen ejus.

„ quæ venerabiles Legati veſtri, ſcilicet Joannes Capellanus „ & Simon Subdiaconus tam in literis, quam in ore eorum „ narraverunt nobis. Gratulamur itaque magnæ Sanctitati „ Veſtræ, quia non tradidiſti nos in oblivionem filios tuos, ſed „ recordatus es de nobis. Nos autem ſemper conſideramus „ in veſtigia Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ſicut bonæ memoriæ „ pater meus, & præceptum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ ſem„ per cuſtodire; & in proximo legatos noſtros vellemus „ tranſmittere ad Sanctitatem Veſtram. Nos autem locuti „ ſumus dictis venerabilibus tuis Legatis, quoniam ipſi cum „ ore eorum narrabunt Sanctitati Veſtræ eloquia mea.

XI. Jo: Dioclien. & Antibaren. Archiepiſcopi epiſtola ad Innoc. III. de tra ſmiſſo ſibi Pallio, & quid Legati in Synodo egerint.

Epiſtola tertia *Joannis Dioclien. & Antibaren. Archiepiſcopi* (in Reg. l. 2. ep. 178.) Gratias agit de tranſmiſſo Pallio, & quid Legati in corrigendis moribus effecerint declarat. „ Sanctiſſimo Patri & Domino Innocentio Dei gratia Summo „ Pontifici, Johannes Diocleinſis & Antibarenſis Eccleſiæ „ humilis miniſter, tam debitam quam devotam obedientiam. „ Gratias uberes refero SS. Paternitati Veſtræ de honore Pallii „ & Pontificalis officii plenitudine, quam mihi per Dominum „ Johannem & Dominum Simonem familiares & Legatos ve„ ſtros concedere dignati eſtis. Ego autem omni tempore vi„ tæ meæ ad devotionem veſtram & fidelitatem Sanctæ Ro„ manæ Eccleſiæ promptum habeo animum modis omnibus & „ paratum. Notum ſiquidem facio Sanctitati Veſtræ, quod „ præfati Legati veſtri ea quæ corrigenda & ordinanda fue„ runt, ita cum prudentia & honeſtate per Dei gratiam ad „ honorem veſtrum & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ tractaverunt, „ quod Dominus Rex, & totus populus eorum opera com„ mendantes, ad pedes veſtræ Sanctitatis effecti ſunt modis „ omnibus promptiores. Ego vero in proximo nuncios meos „ ad pedes veſtræ Sanctitatis tranſmittam, qui devotionem „ meam Paternitati Veſtræ plenius declarabunt.

XII. Acta Synodi Dalmatiæ & Diocliæ anno 1199. celebratæ.

Hactenus epiſtolæ reſponſivæ ad Innocentium Papam: poſt quas Synodalia Acta leguntur, ubi nonnulla decreta ex Sanctorum Patrum conciliis, quod Legati profitentur, renovata in Synodo, de qua ſupra Vulcanus Rex: „ Accedentes „ ad locum, ubi antiquitus Concilium celebrari ſolitum fuit, „ Sanctam Synodum celebrare ſtuduerunt „: Nimirum in urbe

urbe Antibarensi, ut (*a*) videtur: Prodiit hæc Synodus Tom. XIII. Concil. Labb. edit. Venet. pag. 743. hoc titulo: „ Concilium in Dalmatiæ & Diocliæ Regnis, per Legatos „ Sedis Apostolicæ in causa reformandæ Ecclesiasticæ disci- „ plinæ Anno 1199. celebratum sub Innocentio Papa III. „ Eadem Synodus absque titulo inserta est in Regesto Innocentii III. post epistolam Joannis Dioclien. & Antibaren. Archiepiscopi, cujus modo facta est mentio. Præfatio. „ In „ nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Nos Johannes Ca- „ pellanus, & Simon Subdiaconus Domini Innocentii Papæ „ tertii, Apostolicæ Sedis Legati, ad evellenda nociva de „ agro Dominico, & virtutum plantaria utiliter inserenda, „ videntes plura in Clero & Populo Dalmatiæ & Diocliæ cor- „ rigenda, de Sanctorum Patrum Conciliis decreta præsentis „ duximus innovanda „. Capitula seu Canones sunt num. XII. quibus subscribunt „ Ego Frater Johannes Domini Papæ Ca- „ pellanus, Apostolicæ Sedis Legatus, scripsi & subscripsi. „ Ego Frater Simon Domini Papæ Subdiaconus, Apostolicæ „ Sedis Legatus, subscripsi. Ego Johannes Dioclienfis & „ Antibarensis Archiepiscopus subscripsi. Ego Dominicus Ar- „ chipresbyter Arbensis subscripsi. Ego Petrus Scuarin. „ Episcopus subscripsi. Ego Johannes Polatinen. Episc. sub- „ scripsi. Ego Petrus Arvastinen. Episc. subscripsi. Ego Do- „ minicus Soacinen. Episc. subscripsi. Ego Natalis Dulcinen. „ Episc. subscripsi. Ego Theodorus Sareanen. Episc. sub- „ scripsi „. Pro *Scuarin.* omnino legendum *Scutarinen.* & pro *Arvastinen. Drivasten.* & pro Soacinen. *Suacen.* & pro *Sareanen.* substituendum *Servien.* seu *Serbien.* quemadmodum legit Joannes Tomcus Marnavitius in *vita Sancti Sabbæ Archiepiscopi Serviæ* apud Bolland. Tom. 1. ad diem 14. Januar. pag. 981. ubi de *Rasco* seu *Sabba*, Vulcani & Stephani fratre, qui Theodoro in Serviensi Episcopatu successit, cap. 2. sic scribit. „ Quo in negotio, Pastorali ipsius sollicitudini

a. Id etiam colligitur ex epist. Innoc. III. Papæ ad Antibaren. Archiepiscopum in Reg lib. 2. epist. 160. ubi de Dominici Soacensis Episcopi causa hæc leguntur: „ Et per receptionem testium productorum in Concilio apud Antibarum congre- „ gato „. Et infra. „ Die sequenti Mitram eis & Anulum in sua & Episcopo- „ rum præsentia, qui convenerant ad Concilium resignavit.

„ magno adjumento fuit, auctoritas Regii sanguinis, fratrumque regnantium favor, spectatissimæ pietati conjunctus. Præsertim quum non ita pridem, utriusque Principis Christiana industria, Concilium nationale in illis partibus, Romani Pontificis Innocentii (*a*) auctoritate, fuisset celebratum, præsidentibus Joanne Sedis Apostolicæ Capellano & Simone Subdiacono Legatis: in eoque saluberrimæ constitutiones pro reformatione Cleri tam Dalmatiæ, quam Serviæ & Diocliæ, editæ fuissent, subscribentibus Joanne Dioclen. & Antibaren. Archiepiscopo, Dominico Archipresbytero (*b*) Antibaren. Episcopisque Petro Scutaren. Joanne Polatien. Petro Drivasten. Dominico Svacien. Natali Dulcinen. Theodoroque Servien., magno applausu Wksani Regis, Vencianique (*idest Stephani*) Principis.

XIII. De causa Dominici Suacensis Episcopi.

Dum Joannes ac Simon in Diocliæ partibus legationis munere fungerentur (verba Raynaldi recito ad ann. 1199. num 57.) accusatus est homicidii Dominicus Saocinensis (*seu Svacensis*) Episcopus: celebratoque Concilio (cui & subscripserat) ut illius causa agitaretur, convictus est solummodo homicidam scienter ad Sacros Ordines promovisse: ob quam culpam ultro Mitra abjecta, se Episcopatu abdicavit: dein facti pœnitens, repetitis dignitatis insignibus, ad Sedem Apostolicam provocavit: reque discussa, hanc tulit sententiam Innocentius Pontifex, quam Joanni Antibarensi Archiepiscopo significavit Literis datis *Laterani* VII. *Idus Septembris*, anno 1199. (in Reg. lib. 2. epist. 180.) „ Quum accessisset nu-
„ per

a Non est dissimulanda hic Bollandi, viri cæteroquin acutissimi, allucinatio, qui ad hæc verba „ *Innocentii auctoritate*, apponit pag. 982. ad diem 14. Jan. lit. D., hanc adnotationem: „ Hic est Innocentius IV. qui sedit a 24. Junii 1243. ad 13. „ Decemb. 1254. „ Atqui res est certa, Concilium illud Dalmatiæ & Diocliæ celebratum fuisse non sub Innoc. IV. sed sub Innoc. III. anno 1199.

b Deceptum existimo Tomcum, qui *Arbanensem* Archipresbyterum Dominicum, in *Antibarensem* commutat. *Arben.* enim, & *Arbanen.* constanter legitur tum in Regesto Innoc. III. tum in Tom Concil. Labb. Erat autem, ut opinor, Archipresbyter *Albaniæ* inferioris, quæ *Arbania* dicitur, ubi nullus tunc temporis institutus fuerat Episcopus, sed Episcopi loco ministrabat Archipresbyter Antibarensi Archiepiscopo subjectus. Apud Thomam Archidiaconum occurrunt Archipresbyteri hujusmodi in insulis olim constituti, antequam Episcopalis ibi Cathedra erigeretur. Recole quæ supra c. I. num. 2. dixi de *Albaniæ . piscopo*, qui anno 1250. sub Innoc. IV. ad Romanam Ecclesiam sese adjunxit, Græco ejurato Schismate.

„ per ad Apostolicam Sedem venerabilis frater noster (*a*) „ B. *Soacensis* Episcopus, super eo quod dicebatur de homi- „ cidii crimine infamatus, coram nobis & fratribus nostris „ misericordiam Sedis Apostolicæ suppliciter implorabat. „ Quum autem nobis de facti serie non constaret, de processu „ ipsius a dilectis filiis Johanne Capellano & Simone Subdia- „ cono nostris, qui rei veritatem plenius cognoverunt, dum „ in partibus Diocliæ legationis officio fungerentur, inquisi- „ vimus diligenter: ex quorum assertione tenuimus, quod „ quum ingressi Provinciam Dalmatiæ Superioris fuissent, a „ majore parte Cleri & populi Soacensis de reatu homicidii „ dictum invenerunt Episcopum infamatum „. Cætera. Subdit, ut certos Episcopatus reditus ad vitam sustentandam ei tribuat, atque in eos, qui ipsum exagitarent, anathema denunciet. Qua vero ratione *Dominicus* temere dignitatem recuperare pertentarit, suppressis Apostolicis, atque adulterinis adhibitis literis, idem Pontifex Innocentius epist. 35. lib. 3. ad eund. Antibaren. Archiep. dat. *Laterani nonis Decembris*, *Pontificatus anno* 3. (Chr. 1200.) significat: „ Fra- „ ternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, & districte „ præcipimus, quatenus, si forte occasione literarum illa- „ rum in aliquo processisti, irritum denuncians penitus & „ inane, jam dictum Dominicum, si denuo venire ad partes „ illas præsumpserit, omi dilationis occasione & appellatione „ postposita, in aliquo facias Monasterio districti ordinis ad „ agendam pœnitentiam arcte retrudi. Prænominatum au- „ tem G. Episcopum, si præmissis veritas suffragatur, in loco „ suo & dignitate, sublato contradictionis & appellationis „ obstaculo, restituas, & facias in Episcopatu suo pacifice „ permanere, illos Ecclesiastica districtione compescens, qui „ se tibi duxerunt temeritate qualibet opponendos.

XIV. Vulcanus a Stephano fratre Regno exutus, ab Hungariæ Rege restituitur; postquam is Serviam suæ ditioni subegisset.

Cangius de Rege Serviæ Vulcano, cujus hactenus facta est mentio, edit. Parif. pag. 287. num. LV. sic scribit. „ Vul- „ cus, seu Vulcanus, Stephanum fratrem principatu & patria „ exegit, Hungariæ Regis copiis adjutus, qui continuo Inno- „ centium III. PP. per Nuncios rogavit, ut ad Ecclesiæ Roma-

E 2 „ næ

a Leg. *D.* idest *Dominicus*.

„ næ obedientiam Serviam reduceret, eique significarent,
„ haud gravate passurum, si salvo in temporalibus jure suo,
„ Vulcus Regalem susciperet ab Apostolica Sede Coronam.
„ Cujus postulationi annuens Pontifex, Archiepiscopum Co-
„ locensem hujus executioni negotii commisit. Sed res per
„ biennium saltem inacta permansit, ut idem Pontifex testa-
„ tur in ea epistola, quam ad Regem Hungariæ scripsit anno
„ 1204.„. Citat Cangius Acta Innocentii num. 68. & Raynaldum ad ann. 1204. num. 46. tum subjungit: „ Ex qua
„ licet conjicere, Vulcum Regnum Serviæ invasisse circa an-
„ num 1201. vel 1202. Quod præterea firmare videntur Epi-
„ stolæ aliæ ejusdem Pontificis [*Innoc. III. lib. 6. Ep.* 18. *Raynald. anno* 1202. *num.* 9.] Et concludit. „ Atque hæc qui-
„ dem ita accipienda videntur, non quod Vulcus seu Vulca-
„ nus tum primo Regio titulo donatus fuerit, sed quod ab
„ ipso Pontifice, Regio diademate insigniri expetierit. Le-
„ guntur enim ejusdem Pontificis scriptæ ad Vulcanum Epi-
„ stolæ anno 1198. & 1199. in quibus Dalmatiæ & Diocliæ
„ Rex indigitatur „. Hæc Cangius. Verum si Epistolas Innocentii attente consideremus, nil aliud ex iis colligitur, quam Vulcanum Regnum Serviæ usque ad ann. 1202. tenuisse, ejecto Stephano, eique sola Megajupani dignitate concessa, uti ex allatis epistolis liquet. Anno autem 1202. Servia a Stephano occupata, hunc petiisse a Romano Pontifice coronari, consentiente etiam Emerico Hungariæ Rege: at dilata usque ad biennium coronatione, amoto Stephano, & Vulcano in ejus locum substituto, per Nuncios Emerici, rogatum Papam, ut Vulcanus ipse coronaretur. Verba Innocen. ad Regem Hungariæ hæc sunt: „ Tu quoque, si bene recolimus, sug-
„ gessisti, quod tuæ serenitati placebat, ut Megajupanus Ser-
„ viæ debitam & devotam Apostolicæ Sedi reverentiam &
„ obedientiam exhiberet, & a Nobis, salvo in temporalibus
„ jure tuo, Regium susciperet Diadema. Unde Nos hujus
„ executionem negotii, Ven. Fratri nostro Colocensi Archie-
„ piscopo meminimus injunxisse „. Et *num.* 79. in Epistola Innocentii Papæ responsiva ad Emericum Hungariæ Regem:
„ Verum & illud non ab re potuissemus attendere in hoc casu,
„ quod quum nobilis vir Stephanus Megajupanus Serviæ per
„ vene-

„ venerabiles Nuncios Nobis humiliter supplicaverit, ut in „ terram suam dirigeremus Legatum, qui eam ad obedien- „ tiam Ecclesiæ Romanæ reduceret, & Regium sibi Diadema „ conferret, Nosque petitionem ipsius de communi fratrum „ nostrorum consilio decreverimus admittendam, hujus Le- „ gationis officium Venerabili Fratri nostro Johanni Albanensi „ Episcopo injungentes, intellecto tandem, quod hoc tuæ „ Serenitati plurimum displicebat, ob tui gratiam non sine „ quadam nostra confusione destitimus ab incepto. Tu vero „ postquam expugnasti Serviam, amoto Stephano, & Vulco „ substituto in locum ipsius, per tuos Nuncios intimasti, quod „ terram illam ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducere „ cupiebas, &, salvo in temporalibus jure tuo, æquanimiter „ sustinebas, ut dictus Vulcus regalem susciperet ab Apostoli- „ ca Sede coronam. Unde Nos hujus executionem negotii, „ de consilio Nunciorum tuorum, Ven. Fratri nostro Colo- „ censi Archiepiscopo duximus committendam. Sed quum „ jam biennium sit transactum, in nullo novimus esse proces- „ sum „. Et Serviam quidem ab Hungariæ Rege fuisse expugnatam anno 1202., constat ex Epistola 18. Innocentii Papæ lib. 6. ad *Emericum Hungariæ Regem*. Quum enim ille Pontifici per Nuncium significasset, Megajupani (*a*) [Stephani scilicet] terras in ditionem suam feliciter se redegisse, Innocentius gratulatur ei, additque: „ Monemus igitur magnifi- „ centiam tuam, & exhortamur in Domino, quia sicut Nos „ tibi & Regno tuo in hac parte detulimus, sic celsitudo re- „ galis curet Nobis & Apostolicæ Sedi deferre, institutiones „ Ecclesiæ Romanæ in terra ipsa servari præcipiens, & eam „ plenius ad obedientiam nostram reducens, ut fiat unum „ ovile, & unus Pastor: quum hoc ipsum tibi & Regno tuo „ videatur plurimum expedire „. Amoto vero Stephano, *Vulcanum* toti Regno Serviæ præfuisse, idem Innocentius Papa docet in Epistola *dat.* XI. *Kal. April.* anno 1203. ad *Colocensem Archiepiscopum*, cui mandat, ut *VV.* [*Vulcanum*] *Megajupanum* inviseret, eumque ac Serviæ Principes in Romani Pontificis obedientia confirmaret, atque a Constantinopolitani Patriarchæ, qui Apostolicæ Sedi obtemperare renuebat, juris-

a Apud Raynald. anno 1202. num. 9. perperam legitur, *Meganipani*.

jurisdictione liberaret. Quo pariter die ad ipsum Magajupanum scribens, primatum Ecclesiæ Romanæ, atque in cæteras supremum imperium, dignitatemque commendat; ejusdemque argumenti literas Ungarorum Regi, & Serviæ Archiepiscopis, Episcopis, Principibus atque Optimatibus misit.

XV. Stephanus Vulcano fratre sive mortuo, sive dejecto Regnum occupat, & ab Honor. III. Papa coronam regiumque nomen impetrat.

Sive mortuo, sive iterum dejecto Vulcano, Stephanus frater Regnum Serviæ occupavit. „ Cangius loc. supra citato „ De rebus a Vulcano gestis nihil præterea a Scriptoribus tra„ ditum observavimus, ut &, si diu vixerit regnaveritque. „ At si Stephanus XXVIII. annis imperaverit, uti volunt, di„ tiones suas quibus a fratre exutus fuerat, rursum recuperas„ se dicendum est, eumque esse Stephanum magnum Serviæ „ & Rasciæ Jupanum, qui destinatis ad Romanam Sedem apo„ crisiariis, impetravit ab Honorio III. Summo Pontifice, ut „ Legatum mitteret, a quo ritu solemni coronaretur, pri„ musque Serviæ Rex diceretur. Legitur exinde Stephani ad „ eumdem Pontificem epistola, in qua ita inscribitur: „ Ste„ phanus Dei gratia Serviæ, Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, „ atque Ochlumiæ Rex coronatus. Unde verosimile est, „ Vulcani fratris ditiones suis deinceps adjunxisse dominiis, eo, „ ut par est credere, sublato „. Hoc ipsum de Stephani coronatione testatur Thomas Archidiaconus Spalatensis cap. 26. in hæc verba: „ Eodem tempore Stephanus Dominus Serviæ sive „ Rasciæ, qui Megajupanus appellabatur, missis apocrisiariis „ ad Romanam Sedem, impetravit ab Honorio Summo Pon„ tifice coronam Regni. Direxit namque Legatum a latere „ suo, qui veniens coronavit eum, primumque constituit Re„ gem Terræ suæ „. Andreas Dandulus in Chron. lib. 10. cap. 4. Par. 29. scribit, Stephanum in uxorem duxisse neptim Venetorum Ducis, illiusque suasu, ejurato Schismate, obtinuisse ab Honorio Romano Pontifice, ut ab illius Legato Rex coronaretur. Sic enim ad (a) annum XII. Petri Ziani Ducis, hoc est, Chr. 1217. „ Stephanus quoque Dominus Raxiæ & „ Serviæ, qui Megajupanus appellatur, dum neptem quon„ dam Henrici Dandulo Ducis accepisset in conjugem, ex sua„ sione

a Petrus Ziano Dux Venetorum ordinatur anno Dom. 1205. Andreas Dandulus in Chron. l. 10. cap. 4. part. 1. Apud Murat. Tom. 12. Rer. Ital. pag. 333.

„ sione uxoris abjecto Schismate, per Nuncios a Papa obti-„ nuit, ut Regio titulo decoratus esset, & per Legatum Car-„ dinalem ad hoc missum, unacum conjuge coronati sunt „. Ex his porro enitescit, primo, Serviæ Reges *Vulcanum* & *Stephanum* Schismate Græcanico fuisse aliquandiu implicitos, ac proinde Græcanici ritus, idiomate tamen Slavico, Bulgarorum & Ulachorum adinstar, cultores: deinde, non Vulcanum, sed Stephanum, neque sub Innocentio, sed sub Honorio Papa, Regio fuisse Diademate coronatum. Id enim sibi volunt ea ipsius Innocentii verba, *quum jam biennium sit transactum, in nullo novimus esse processum*: Et Archidiaconus Thomas disertim ait, *primumque constituit Regem terræ suæ*: cui suffragatur Andr. Dandulus „ Abjecto Schismate, per Nuncios „ a Papa obtinuit, ut Regio titulo decoratus esset, & per Le-„ gatum Cardinalem ad hoc missum, unacum conjuge coro-„ nati sunt „. Exstant hujus Stephani Serviæ Regis (*a*) literæ ad Honorium III. Papam datæ anno 1220. unacum Oratoribus missæ, ut exolescentem cum Romana Ecclesia conjunctionem [recepti enim antea ab Innocentio, atque a Schismate Dioclii Dalmatæque revocati fuerant] redintegraret. „ Sanctissimo Patri & Domino Honorio Romanæ Sedis Eccle-„ siæ universali Pontifici, Stephanus Dei gratia totius Serviæ, „ Diocliæ, Tribuniæ, Dalmatiæ, atque Ochlumiæ Rex co-„ ronatus, inclinationem summæ fidelitatis constantia. Quem-„ admodum omnes Christiani diligunt vos & honorant, & pro „ Patre & Domino retinent, ita Nos desideramus Sanctæ Ro-„ manæ Ecclesiæ & vestræ fidelem filium nominari affectans, „ quod benedictio & confirmatio Dei & vestra sit, si placet, „ super Coronam & Terram nostram semper manifeste: & ob „ hoc vobis nostrum Episcopum Methodium nomine destina-„ mus, ut quidquid ex vestra sanctitate & voluntate proces-„ serit, Nobis per Latorem præsentium literis, si placet, re-„ scribatis.

XVI. Theodorus Serviæ Episcop. Pecium seu Servia Metropolis, eique subjectæ Episcopales Sedes.

Ad Sanctum Sabam, antedictorum Regum Stephani & Vulcani fratrem, redeat oratio. In Synodo Antibarensi anno 1199. congregata, inter alios Episcopos [ut supra vidimus] subscripsit *Theodorus Serviæ Episcopus*, applaudente Vulcano Rege,

a Apud Raynald. anno 1220. num. 37.

Rege, & Stephano Megajupano ipsius fratre. Quienus Tom.2. Orient. Christiani pag. 319. de Episcopali Serviæ Sede, quæ in Archiepiscopalem & Patriarchalem postea excrevit, sic scribit. „ Regni Serviæ caput Metropolisque fuit (*a*) *Pec*, sive „ *Pecium*, eadem, ni fallor, quæ *Pessium* Ptolemæo, qui in „ eadem regione *Picentios* statuit „. Tomcus Marnavitius in Vita Sancti Sabbæ cap. 2. „ Mortuo Theodoro Serviensi „ Episcopo, in ejus locum [*regius adolescens Rasco*, *Sabba* „ *inter Cœnobitas dictus*] vel invitus sufficitur. Urbem Serviæ, ne quis totum Regnum pro ea accipiat, Joannes Cantacuzenus Imperator ita illam describit: Servia urbs non „ parva, ad confinia Botiææ & Thessaliæ jacet; ædificata est „ super montis ardua prominentia, statimque a principio semetipsa altior, sicut est, accedenti apparet. In ipso autem „ jugo montis desinit triplici muro distincta & intersepta, ut „ foris existimes tria esse oppida, aliud post aliud, utrinque „ vallibus profundis circumdatur. Hæc & plura c.19. lib.4. „ Bollandus in Not. ad Tomci Marnavitii textum, die 14. Januarii pag. 982. „ Botiça [inquit] regio Macedoniæ inter „ Albaniam & Thessaliam modernam. Hinc apud Cantacuzenum lib. 2. cap. 32. ex Albania per Botiæam & Thessaliam „ devenitur Thessalonicam. Urbs in ea magna apud eundem „ auctorem cap. 24. *Castoria*, quæ lib. 1. cap. 54. munitissima „ dicitur, propter lacum, quo cingitur, quo modo exhibetur a modernis Geographis. Ex lacu fluvius *Castor* in Thermaicum, nunc Thessalonicensem, sinum effluit, eaque ora „ Botiææ importuosa est Cantacuzeno lib. 3. cap. 63. „. Subjungit ibidem Bollandus. „ Idem Cantacuzenus lib. 3. cap. 58. „ Servia urbs ad confinia Thessaliæ; & lib. 2. cap. 28. Thessalia Botiææ confinis. Est ergo Thessalia apud eum pars Macedoniæ ad Thessalonicam urbem, uti suprà num. 4. Regnum Thessaliæ constituit Bonifacius Marchio Montisferrati „. Ex quibus conjicere fas est, eadem urbem, quæ olim Servia dicebatur, *Pecium* fuisse postea appellatam. Pergit Quienus loc. cit. „ Ejus itaque Præsul, totius gentis Archiepiscopus, ac Primas, Sabbas ille, de quo mox dice- „ bam,

a *Pechla* appellatur in Tabula Dalmatiæ Venetæ sive hodiernæ Farlati, Tom. 1. Illyr. Sacr. pag. 135.

,, bam, quum Stephanum fratrem Regni corona (*a*) redimisset, Episcopos XII. per ejus ditionem instituit, qui in ,, Monasteriis morarentur. Primum (*b*) Zalumæ in Monasterio Panagiæ. 2. In terra Diocletiæ in Ecclesia S. Michaëlis Archangeli. 3. Tembre, in S. Nicolai. 4. Butumliæ, ,, in S. Georgii. 5. Barasii, in SS. Apostolorum. 6. Rhosnæ, ,, in Panagiæ in Studenitza. 7. Prizreni, in Panagiæ. 8. Ugracianitzæ in Panagiæ. 9. Utonitzæ in S. Nicolai. 10. Ubranitzebi in S. Nicolai. 11. Belegradi in Panagiæ. 12. Moraviæ, in S. Achillei. Hæc narrat Dositheus lib. 8. de Patriarchis Hierosolymitanis cap. 13. Quum vero Illustrissimus Chrysanthus scriberet, Pecii Archiepiscopo suberant, ,, primo quidem eorum qui Turcici Imperii erant, Metropolitæ, Scopiorum, Prisrenæ, Ursicii, Stariblachæ sive Rasciæ, Bosnæ Saragii, Belegradii, Timisvarii, Balisti. Archiepiscopi, Samocabii, Cestentilii, Nyssæ, Sebetii, & ,, Episcopus Tzetinæ. Qui vero Germanici Imperii, Metropolitæ Buntumii & Carlowitzæ, & Stremii: Archiepiscopus Batzinæ: Episcopi, Enobi & Junopolis, Giulæ & Lipobi, Pozieræ.

XVII.
Sabas Stephani Rasciæ seu Serviæ Principis filius, Monasticam vitam agit in monte Atho, in Monasterio Chilantarii, ubi & pater Monachum induit. Serviæ Archiepiscopus designatur.

Hactenus de Catalogo Antistitum Serviensi, ut ajunt, Patriarchæ subjectorum Quienus: qui de sancto Sabba hæc addit pag. 321. ,, Sabbas Simeonis Stephani Rasciæ seu Serviæ filius, ab adolescentia aulicis turbis evitatis, Monasticam in ,, monte Atho vitam egit; subindeque Constantinopoli in ,, Monasterio Chilantario,,. Fallitur Quienus. Monasterium *Chilantarii*, non Constantinopoli situm erat, sed in *monte*

a Allucinatur Quienus. Non Sabbas Archiepiscopus, sed Cardinalis Legatus ab Honorio III. Papa missus, Stephanum Regem coronavit. Vide supra.

b Baudrand. in voc. Servia. ,, Dividitur in Maritimam & Mediterraneam, teste Jo. Lucio. Servia Maritima, olim Chulmia, hodie Herzegovina dicitur, sive ,, Ducatus S. Sabæ, vulgo *L'Hersegovina*: extenditurque versus Dalmatiam & Albaniam. Dicitur aliter Servia Superior. Servia Mediterranea, quæ & Servia propria, & inferior, dividitur iterum in duas partes. Pars Drino fluvio Orientalis, ,, vulgo *La Servie*, aliquando etiam Rascia dicitur, estque inter Moravam fl. ad ,, ortum, quo a Bulgaria separatur, Istrum ad Septentrionem illam ab Hungaria dividentem, Drinum fl. ad occasum, versus Bosniam, & Herzegovinam, & montes Albaniæ & Macedoniæ ad meridiem. Pars vero Drino fluvio Occidentalis, seu ,, inter Drinum ad ortum, & Croatiam ad occasum, *Bosna* seu *Bosnia* dicitur. *Et mox*. Serviæ urbes. Alba Græca, *Belgrade*. Justiniana secunda & Ulpiana, *Prisren*. Novus mercatus, *Novibazar*. Procupia, *Procupie*. Semandria, *Semander*. ,, Scupi, *Scopia*, Regni caput. Hæc Baudrand.

Atho: de quo hæc ſcribit *Joannes Comnenus medicus in Proſcynetario ſancti montis Atho*, conſcripto & typis dato ſub Authente & Duce Ungaro Ulachiæ *Conſtantino Beſſaraba* Voëvodo; dedicato autem *Theodoſio* Metropolitano Ungaro Ulachiæ, typis Anthimi Hieromonachi ex Iberia in Monaſterio Synagobi anno Chr. 1701. apud Montfauconium in Palæographia Græca pag. 471. „ Divinum ſacrumque Monaſterium Chilan-
„ tarii, *τῦ Χιλανταρίυ*, ad litus maris habet pulchrum navale
„ cum turri excelſa & murorum ſepto ſpectabili. Monaſte-
„ rium autem ſurſum in monte poſitum eſt, vere magnum &
„ jucundum aſpectu: cujus Templum ornatur nomine San-
„ ctiſſimæ (*a*) Deiparæ *τῶν εἰσοδίων*, totumque plumbo
„ opertum eſt. Fundatumque fuit ſumtibus Stephani (*b*)
„ Serviæ & Romaniæ Regis qui Romani Romanorum Impera-
„ toris gener erat. *Et poſt pauca*. Fundatores hujus templi
„ præterea ſunt ſancti Sabbas, & Symeon pater ejus ex Ser-
„ via „. Ad Sabam redeo: de quo pergit Quienus enarrans:
„ Urgentiſſimis populorum, Regiſque, & magni Jupani fra-
„ trum ſuorum precibus exoratus, Serviæ Archiepiſcopus ſæ-
„ culo decimo tertio deſignatus fuit, & ab Arſenio Patriar-
„ cha Conſtantinopolitano, ſi ſua ſit Doſitheo Hieroſolymita-
„ no fides, ordinatus anno mundi *6726*. ſeu Chriſti 1218. „
Atqui anno Chr. 1218. Conſtantinopolitanam Græcorum Cathedram tenebat *Theodorus Irenicus*, cognomento *Copas*, qui *Michaeli Autoriano* anno 1214. defuncto, poſt vacationem decem menſium ſubrogatus eſt die 8. Septembris anno 1215. obiitque die 3. Junii anno 1222. At vero *Arſenius*, cognomento *Autorianus*, nonniſi anno 1255. poſt Manuelem inauguratus fuit, de quo vide Allatium de Conſenſu pag. 724. & Bandurium pag. *93*1.

Poſt

a Ideſt, Præſentationis Deiparæ ad Templum.

b Stephanus Neemanes deſignatur, Deſſæ filius, Serviæ & Raſeiæ (ſeu Romaniæ) Rex, pater Simeonis, & avus Sabbæ. Deceptus eſt autem Joannes Comnenus, dum Stephanum hunc Neemanem vocat *generum Romani Romanorum Imperatoris*: Non enim hic Neemanes, ſed filius ejus Simeon (qui & ipſe Stephanus dictus eſt) uxorem habuit *Eudociam*, Alexii fratris Iſaaci Angeli Imperatoris, neptim. Chilantarium itaque Serviorum Monaſterium in monte Atho primus fundavit Stephanus Neemanes, deinde ampliavit aut perfecit Stephanus Simeon, ejuſque filius Raſeus, qui ibidem factus Monachus, Sabæ nomen aſſumſit. Servios, Bulgaros, Iberos, & Ruſſos in eodem monte Atho ſua cœnobia habuiſſe, conſtat ex laudato *Proſcynetario* apud Montfauconium in Palæographia Græca.

Post vero quum Romanæ Sedis (*a*) communionis consors factus esset, [*inquit Quienus*] „ Latini generis Patriar„ cha, qui Constantinopoli sedebat, vices illi suas in complu„ res Illyrici provincias commisit, ut deinceps instar Patriar„ chæ haberetur. Nimirum non ita pridem Christiana utriusque Principis industria Concilium nationale Innocentii Pa„ pæ IV. [*leg.* III.] nutu celebratum erat, in quo præsiden„ tibus Joanne Sedis Apostolicæ Capellano & Simone Subdia„ cono Legatis, saluberrima statuta condita erant pro refor„ matione Ecclesiarum Dalmatiæ, Serviæ, & Diocliæ, qui„ bus subscripserunt Joannes Diocliæ & Antibari Archiepisco„ pus, cum Dominico Archipresbytero Antibarensi; necnon „ Episcopi, Petrus Scutari, Joannes Polatii, Petrus Driva„ sti, Dominicus Svacii, Natalis Dulcinæ, Theodorus Ser„ viæ, applaudente Vuksano Rege, & Venciano Principe. „ Quocirca Sabbas per omnem Diœcesim suam nullas optimi „ Pastoris partes omisit. Montis Atho interim Monachos iden„ tidem invisebat, ad quos tandem, Ecclesiæ suæ vinculis so„ lutus, se recipiens, in Monasterio Milescevo intra avitas di„ tiones structo, meritis plenus ad cælos evolavit die 14. Ja„ nuarii anno 1250. „ Hæc fere verbatim ex Jo: Tomco Marnavitio: qui addit: „ Pastorali ejus indefessæ sollicitudini, „ regio sanguine roboratæ, dos altera summis quibusque Præ„ sulibus inprimis necessaria, discretio nimirum, proxime jun„ cta accessit. Quum enim populi sibi per vices Constantino„ politani Throni commissi, ex Græcis, Latinis, Illyricisque, „ ritu scituque discrepantibus, constarent, mistisque sedibus „ plerumque inter se agerent; ita eorum saluti promovendæ, „ ita pacis inter eos conciliandæ, Christiana dexteritate pru„ dentiaque se gessit, ut ex diversissimis gentibus, moribus, „ animis, omnium in sui amorem & observantiam adtractis, „ eos tamquam unius familiæ plebeculam, caritate mutua „ conjunctos efficeret. *Et paucis interjectis*. Hisce dotibus

XVIII. S. Sabas, Vicarius Latini Patriarchæ Constantinopolitani, Patriarcha Serviæ & ipse dictus, Græcis, Latinis, Sclavisque in Serviæ Regno habitantibus præerat. Abdicato Episcopatu in montem Athon se confert, & in Milescevo cœnobio moritur circa ann. 1250. ejus Reliquiæ a Turcis exustæ. Illius in Episcopatu successor nuncupat se, Archiepiscopum Pekensem, & omnium Serbiorum & Bulgarorum, atque totius Illyrici Patriarcham.

a Anno nempe 1220. quo Stephanus Rex, ipsius Sabæ frater, abjecto Græcanico Schismate, per Legatum Sedis Apostolicæ coronatus fuit, uti supra dixi. Erat eo anno Latinus Constantinopolitanus Patriarcha *Gervasius Tuscus*, qui *Thomæ* Mauroceno Latinorum primo Patriarchæ anno 1214. defuncto subrogatus, anno 1220. decessit, successorem habens *Matthaeum* sive *Mattheam* usque ad annum 1226. Sede illa potitum.

„ Servienſi Eccleſia, aliiſque plebibus egregie inſtitutis; poſt
„ plures annos in paſtorali officio utiliter exanthlatos, priſtinæ
„ ſolitudinis & uni ſibi vacandi deſiderio, tandem obtinuit,
„ ut ſolutus ab Eccleſiæ ſuæ vinculo, antiquos montis Athos
„ receſſus repeteret; ita tamen, ut & alibi Monaſticam vitam
„ agentibus aliquando ſui præſentiam non denegaret. Hinc
„ dierum meritorumque plenus, demum in Mileſcevo Cœ-
„ nobio intra avitas ditiones conſtituto, terrena ſarcina depo-
„ ſita, volavit ad cælos die 14. Januarii circa quinquageſi-
„ mum tertii decimi ſæculi annum „: Corpus ejus poſt annos fere 350. in ſumma omnium veneratione ſemper habitum, ab impio Turcorum Duce anno 1595. combuſtum fuit. Sic enim idem Marnavitius de Sinano ſummo Othomanicæ aulæ Duce:
„ qui nonageſimo quinto anno ſextidecimi Chriſtiani ſæculi,
„ coacto centum millium militum exercitu in Serviam irrum-
„ pens, bello reliquiis ſancti Epiſcopi indicto, ad Mileſcevum
„ oppidum, ubi magna veneratione cultæ habebantur, advo-
„ lans, ſacrum corpus tumulo extractum flammis incendit ſa-
„ crilegis „. Qui tamen Regum Serviæ ac Boſniæ beneficio Herzegovinam obtinuere, non alio, quam *S. Sabæ Ducatus* nomine illam appellantes, ſe ipſos *Cuſtodes Sepulcri Sancti Sabæ* dici voluere. Serviæ quoque Archiepiſcopus, qui ſe *Patriarcham* in ſuis diplomatibus appellat, præfixis *Jeſu Chriſti* in medio, & hinc inde *Sanctorum Sabæ* atque *Simeonis* nominibus, hunc ſibi titulum vendicat: „ Sanctus Sabas Archiepiſcopus
„ Serbienſis. Jeſus Chriſtus. Sanctus Simeon Serbienſis. Moy-
„ ſes miſeratione divina Archiepiſcopus Pekenſis, & omnium
„ Serblorum & Bulgarorum, atque totius Illyrici Patriarcha: quemadmodum videre eſt in iis (*a*) Chartis, quas *Commendati-*

---

a Cl. Matthæus Caramanus Archiep. Jadren. in ſua Diſſert. de Slavica lingua Literali in ſacris adhibenda num. LXVI. recitat literas Moyſis Archiepiſcopi Pecenſis, quibus ſic ſubſcribit: „ Orthodoxus Archiepiſcopus Pekenſis & Patriarcha Serblo-
„ Slavorum Moyſes Raik „. Idem Caramanus num. LXXI. oſtendit, Archiepiſcopos *Montis nigri* eodem Slavico ſermone in ſuis literis uti, proferens hancce eorundem Archiepiſcoporum, qua ſe exornant, Inſcriptionem: *Nos Sabas Cernoevich, miſeratione D'v'na, Orthodoxus Archiepiſcopus*, Zετινως, и Σκανδερι'ε, и Пερиморια, Zερυια Γορι Пοβελυωλ, *Zetinæ, Scanderiæ (ideſt, Albaniæ, ſic dicta a Scander-Bego Caſtrioto olim ipſius regionis Domino) & Maritimæ, Montis nigri Imperator*. Subjungit Commentitium Diploma Leonis Papæ IV. Slavico ſermone exaratum, quo Archiepiſcopus Montis nigri ſuam Primatialem tueri conatur poteſtatem, in hæc verba. „ Miſeratio-
„ ne

datitias vocant, & in aliis, in quibus *Indulgentiam* largiri se jactitat.

XIX.
Stephanus Urosius, Sancti Sabæ ex Stephano Rege nepos, Serviæ Rex, cum Helena uxore. Eorum filii Stephanus Dragutinus, & Urosius Milutinus. Nicolai IV. Papæ ad Urosium & Helenam epistolæ.

Stephanus sancti Sabbæ ex Stephano Rege nepos, *Urosius* dictus, uxorem duxit *Helenam*, ut volunt, ex Francia ortam: ex qua filios suscepit *Stephanum*, cognomento *Dragutinum*, & *Urosium*, dictum *Milutinum*. Uterque frater, una cum matre, vivebat anno 1288. quo Nicolaus Papa IV. missis ad ipsos Marino & Cypriano Ordinis Minorum, ad Ecclesiæ Romanæ obsequium illos adducere conatus est. Exstant apud Raynaldum ann. 1288. num. 29. & 31. binæ hac de re Pontificiæ literæ, quarum prima inscribitur: „ Viro magnifico Urosio illustri „ Regi Sclavorum, gratiam per quam gloriam obtineat in fu„ turo „ Altera: „ Charissimæ in Christo filiæ Helenæ Reginæ „ Sclavorum illustri sal. & Apost. Bened. *Et post pauca*. Hanc „ itaque fidem vigere in tua progenie cupientes, magnificos „ viros Stephanum & Urosium illustres Reges Sclavorum, natos „ tuos, per nostras literas hortandos duximus & monendos.

XX.
Stephani Urosii, & Helenæ, Serviæ Regum, studia pro Bulgaris ad fidem catholicam revocandis, & pro hæreticis in Bosnia profligandis. Nicolai IV. Papæ ad illos epistolæ, qui

Idem Nicolaus IV. quum anno 1291. accepisset, Helenam Serviæ Reginam Stephani uxorem, proxima æstate cum Georgio Bulgarorum Imperatore colloquium habituram, ut illum ad S. R. E. communionem perduceret, hanc ei scripsit Epistolam (*a*) Dat. apud urbem veterem x. Kal. Apr. anno IV. idest Chr. 1291. „ Charissimæ in Christo filiæ Helenæ „ Reginæ Serviæ illustri. Gaudemus, filia charissima... quod „ sicut per dilectum filium Marinum Archidiaconum Antiba„ ren.

„ ne Divina, nos Leo Quartus Papa veteris Romæ, & Judex universalis, successor „ sancti Coryphæi Apostoli Petri, damus & impertimur Episcopatus juxta Canones „ Sanctorum Apostolorum; & damus potestatem sacratissimo Metropolitano Albanensi, ut habeat virtutem & potestatem spiritualem, & per ullum Regem, aut „ Dynastam non sit removibilis, sed confirmata, & conservata juxta Canones Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & reliquorum: Et sint huic Episcopo confinia ab Oriente de Albania ut consistit Scodra usque ad Album campum: ab occidente, ut consistit Adriaticum mare usque ad Ragusium: a septentrione habeat „ usque ad Zachulmiam: virtutem spiritualis potestatis habeat ligandi & solvendi, „ datum anno Christi 443. in vetere Roma „. Nullus est ambigendi locus, quin spurium sit hoc diploma: videtur tamen ab Archiepiscopis *Montis nigri* tum confictum, quum Græci Byzantini Patriarchæ conati sunt eos Archiepiscopos, (quibus Latini Patriarchæ Constantinopolitani suas vices in totam eam provinciam, Summis Romanis Pontificibus annuentibus, concesserant, ut deinceps instar Patriarcharum haberentur) suæ ditioni subjicere. Vide quæ supra dicta sunt de Sancti Sabæ Vicaria potestate.

a Apud Raynald. ad ann. 1291. num. 40. 41. 42. 43.

& eos in clientelam Sedis Apostolicæ recipit, & Petrum in urbe Sava Episcopum, iisdem rogantibus, instituit.

„ ren. tuæ celsitudinis nuncium læta mente suscepimus, tu lumine fidei catholicæ divinitus illustrata, ipsam non solum „ observare devotis affectibus comprobaris, sed alios etiam „ ad illius agnitionem, & ejus terminos propensius dilatandos „ opem & operam multæ sollicitudinis studio non desinis exhi- „ bere ... Sane quum dictus Archidiaconus nobis ex parte tuæ „ celsitudinis duxerit supplicandum, ut magnifico Principi „ Georgio Imperatori Bulgarorum illustri, cum quo super „ reductione ipsius ad devotionem Sacrosanctæ Romanæ Ec- „ clesiæ ac ad Fidei Catholicæ unionem proponis habere col- „ loquium hac æstate, nostras exhortationis literas scribere „ dignaremur; nos hujusmodi tuæ Serenitatis salubre propo- „ situm condignis laudum præconiis attollentes, eidem Im- „ peratori juxta præfatæ supplicationis oraculum, necnon & „ Ven. fratri nostro ... Archiepiscopo Bulgarorum, qui ut „ nostris ac tuis in hac parte desideriis satisfiat, potest existere „ plurimum fructuosus, nostras exhortatorias literas, prout „ expedire vidimus, duximus dirigendas „ . Complexus est eandem Reginam multis Apostolicis beneficiis Nicolaus: atque una cum Stephano viro Rege in Apostolicæ Sedis clientelam accepit, literis dat. *apud Urbem veterem Id. Martii Anno* IV. *Chr.* 1291. „ Charissimo in Christo filio Stephano Regi Serviæ „ illustri. Quanto devotiori studio Sacrosanctam Romanam „ Ecclesiam revereris. *Cetera* „ . Flagitantibus eadem Regina Helena, atque Archiepiscopo Antibarensi, ut in urbe Sava, quæ antea bellorum injuria eversa conciderat, dein fuerat instaurata, Episcopalem Sedem erigeret, idem Nicolaus PP. annuit, ac Petrum, qui ab urbis illius Clericis electus fuerat, consecrari jussit, Epistola *dat. apud Urbem veterem* III. *Id. Junii Anno* 14. Chr. 1291. „ Archiepiscopo Anti- „ barensi. Per tuos, & etiam charissimæ in Christo filiæ nostræ „ Helenæ Reginæ Serviæ illustris literas nuper nobis transmissas „ accepimus, quod in Albaniæ partibus juxta Sclavos quædam „ habetur civitas, Sava nomine, quæ jam longi temporis „ spatio destructioni succubuit, ejus incolis per diversa loca „ dispersis; sed de novo in civitate prædicta quamplures viri „ Catholici de incolarum ipsorum progenie, ut dicitur, existen- „ tes, & alii etiam diversarum partium convenerunt, moram-

„ que

„ que in illa continuam contrahunt, Episcopum cum instantia „ postulantes. Propter quod prædictæ civitatis Clerici ad electionem procedentes Episcopi, quemdam Presbyterum „ Petrum nomine, virum utique catholicum & fidelem, in „ suum, & ejusdem civitatis elegerunt Episcopum & Pastorem, petendo a Te, utpote Metropolitano ipsorum, humiliter & instanter, ut electionem hujusmodi auctoritate „ tibi tradita confirmares: sed petitioni eorum annuere noluisti, nisi prius super hoc a nobis licentiam obtineres. Quare „ tu, & præfata Regina nobis supplicastis humiliter, ut per „ hoc providere de benignitate solita dignaremur. Nos igitur ... fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, „ quatenus, si inquisita de modo electionis, eligentium studiis, & electi meritis diligentius veritate, dictam electionem canonicam, & de persona idonea inveneris celebratam, ipsam de consilio dilecti filii ... Prioris Prædicatorum, &... Guardiani Minorum Fratrum Ord. de Ragusio, „ auctoritate nostra confirmare procures, ac eidem electo „ munus consecrationis impendas. *Cetera* „. Insignis quoque Regis ac Reginæ Serviæ ad servandum religionis primævum florem zelus extitit. Qua enim cura Bulgaros ad Latinæ Ecclesiæ obsequium pellicere studuerunt, ea hæreseos luem, quæ in Bosnia sibi obnoxia serpebat, delere contenderunt, atque oratorum opera flagitarunt, ut fidei Censores ad exscindendos hæreticos constitueret. Proinde Nicolaus Papa egregio in Romanam Ecclesiam eorum studio gratulatus, sic ad Stephanum Regem scripsit Epist. Dat. apud Urbem veterem x. Kal. Apr. anno iv. Chr. 1291. „ Charissimo in Christo „ filio Stephano Regi Serviæ illustri. Quoniam inter cetera „ mentis nostræ desideria illud insidet potissimùm cordi nostro, ut fides catholica, quam tenet, profitetur & docet „ Sacrosancta Romana Ecclesia, mater universorum fidelium „ & magistra, ... Sane quum tu, fili charissime, zelo fidei „ ac devotionis accensus, per dilectum filium Marinum Archidiaconum Antibarensem, tuæ celsitudinis nuncium, „ Apostolatui nostro duxeris humiliter supplicandum, quod, „ quum in partibus Bosniæ tuæ ditioni subjectis sint quamplurimi hæretica pravitate infecti ... aliquas personas idoneas,

„ regio-

„ regionis illius idiomatis non ignaros, ... mittere dignare„ mur ad partes easdem „ .... Subdit, se Minoritarum Sclavoniæ supremo Magistro imperasse, ut duos religiosos viros ad id obeundum munus deligat, quos Apostolica instruit auctoritate, ac Stephano Regi commendat. Helenam denique Reginam hortatur, ut in exstirpandis in Bosnia hæresibus, regia studia conjungeret, fideique Censoribus faveret, quibus eam provinciam imponebat.

XXI.

Ad Helenam Reginam scribit Nicolaus IV. ut Stephanum Dragutinum & Urosium Milutinum, ipsius filios, ad catholicam fidem revocare studeat. Benedictus XI. de Schismate in Serviam illato ad Martinũ Archiep. Antibarensem & ad Regem Serviæ literas mittit.

Atque hæc, quæ sub Nicolao IV. Papa gesta scriptaque hactenus narravi, ad Stephanum Sancti Sabæ ex Stephano Rege nepotem, ejusque uxorem Helenam spectant. Uterque enim Catholicam Religionem impense coluit. Non sic eorum filii Stephanus Dragutinus & Urosius Milutinus: quos proinde, tamquam a catholica communione alienos idem Nicolaus IV. per suas literas hortandos & monendos duxerat anno 1288. Benedictus autem XI. qui anno 1303. in locum Bonifacii VIII. substitutus fuit, in Epistola ad Martinum Archiep. Antibarensem dat. XIV. *Kal. Decemb. anno* 1. idest, exeunte anno Chr. 1303. (apud Raynald. num. 58.) ingentia mala a Schismate Græcanico in Serviam aliasque regiones invecta testatur. „ Ad audientiam nostram (inquiens) pervenit, quod in Ar„ bania, Polato, Canavia, Duratio, Cataro, Dulanio „ (*leg. Dulcinio*) Suacio, Scodro, Drivasco (*leg. Drivasto*) „ Antibaro, & quibusdam aliis locis sub dominio Andronici „ Imperatoris Græcorum, ac Orosii Regis Serviæ, & fratris „ ejus S. (*idest*, *Stephani*) necnon charissimæ in Christo filiæ „ Helenæ matris eorum, Reginæ Serviæ illustris, positis, tem„ poris nequam faciente malitia, adeo in Prælatis & Clericis, „ Religiosis quoque personis, & aliis, propter diversa & enor„ mia ... criminum, quæ committuntur ab ipsis, Ecclesiasti„ cæ religionis est deformata honestas „. Ea vitia enumerantur, iisque abolendis ut operam suam impendat Antibarensis Archiepiscopus, monetur. Tum num. 59. subjicitur Pontificia ad Regem Serviæ hæc epistola Dat. Laterani x. Kal. Januarii eodem anno. „ Magnifico Principi & Regi Serviæ, „ ad unitatem matris Ecclesiæ sollicite properare. Romana „ mater Ecclesia salutem quærens jugiter filiorum, dolet ab „ intimis, quum eorum quempiam conspicit a suo gremio de„ viare,

„ viate, ipsosque studet ad viam reducere veritatis. Gaude-
„ mus quidem in Domino, quod sicut fide dignorum relatione
„ didicimus, ac alias evidentibus apparere dicitur argumentis,
„ licet tu hactenus, ac Barones & populus Regni tui ab ipsius
„ Ecclesiæ obedientia recedentes, via lucis dimissa, diu per
„ semitas ambulaveritis tenebrarum; nunc tamen tu inspira-
„ tione divina ad iter aspiras redire salutis, ejusdem videlicet
„ Ecclesiæ unitatem.

XXII. Sub Clemente V. Stephanus Urosius, Prædicatores petiit, ut subditos catholica fide instruant, sibique Vexillum deferant: sed irrito conatu. Servii tunc temporis Schismatici.

Idem Urosius anno 1308. missis ad Clementem V. Pontificem oratoribus, ut ineundæ cum Romana Ecclesia conjunctionis, quo flagrabat desiderium exponerent, virosque exposcerent doctrina excultos ad subditos populos instruendos informandosque fide catholica, tum etiam ut vexillum ab Apostolica Sede flagitarent; hanc ab eodem Clemente V. retulit Epistolam (*a*) Datum Pictav. Kalendis Apr. anno 3. idest Chr. 1308. „ Magnifico viro Urosio Regi Rasciæ illustri, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in futuro „. E Prædicatorum & Minorum ordinibus religiosos viros lectissimos Clemens V. ad Urosium Regem transmittit: præscribitque fidei formam, quam esset professurus. „ Quæ vero (inquiens)
„ circa reditum tuum ad unionem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ,
„ ac Schisma eminus profugandum exigimus, inferius anno-
„ tantur. In primis, quod Symbolum Nicæni Concilii: Cre-
„ do in unum Deum, in Ecclesiis Regni tui & terrarum tibi
„ subjectarum in ea parte, ubi de Spiritus Sancti processione
„ in eo agitur, cantetur publice, dum Missarum solemnia ce-
„ lebrantur, & sic etiam doceatur populus: *Et in Spiritum*
„ *Sanctum Dominum & vivificantem, qui ex Patre Filioque*
„ *procedit*. Et quod Tu, Prælati, Clerus, Calogeri, &
„ populus dicti Regni tui, profiteamini Romanum Pontifi-
„ cem esse Christi Vicarium, & B. Petri Apostoli successorem,
„ eamque potestatem habere ligandi atque solvendi, quam
„ idem Apostolus noscitur habuisse; ac ipsam etiam Romanam
„ Ecclesiam super omnes obtinere primatum & etiam princi-
„ patum: quodque Tu pro te & pro populo tuo obedientiam
„ & reverentiam eidem promittas Ecclesiæ: ac Prælati ejus-
„ dem ipsa jurent, omni Schismate primitus abjurato. Et

a Apud Raynald. ann. 1308. num. 26. & seq.

„ quod Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Archimandritæ „ Regni tui per electionem canonicam eligantur, sive etiam „ postulentur; ita quod inferiores Prælati suarum electionum „ confirmationes a superioribus suis recipiant; Episcopi vero „ a Metropolitanis suis confirmationem & consecrationem; „ Metropolitani autem hæc, & Pallium, in quo Pontificalis „ plenitudo designatur officii, sine præjudicio Constantinopo- „ litanæ Sedis, & Patriarcharum, qui erunt ibidem, gra- „ tiam & communicationem Apostolicæ Sedis habentium; si „ forsan Regnum tuum vel aliqua ejus pars, de Patriarchatu „ dictæ Constantinopolitanæ Sedis existat, suscipiant ab Apo- „ stolica Sede prædicta, Regali potestate & qualibet alia lai- „ cali nihil sibi in his quomodolibet vendicante. Latinorum „ Ecclesias in Regno tuo positas, per te vel alium occupatas, „ dimittas libere, & ab aliis facias omnino dimitti. Latinos „ in honore habeas, & præcipue Sacerdotes: eorum a te & „ hominibus Regni tui non declinentur Missæ, neque sacrifi- „ cia, sed pro loco & tempore cum omni reverentia au- „ diantur. Verùm, ut tantæ salutis opus, ac tanti boni felix „ auspicium optatum, faciente Deo, sortiatur effectum, ecce „ Ven. fratrem nostrum Ægidium Patriarcham Gradensem, „ & dilectos filios fratres Lapum Prædicatorum, & Artani- „ sium Minorum Fratrum ordinum Procuratores in Romana „ Curia generales, latores præsentium, viros utique vita & „ religione conspicuos, honestate decoros, sacræ Scripturæ „ scientia præditos, ac nobis & dictis fratribus nostris acce- „ ptos, pro his exequendis ad tuam magnificentiam, tamquam „ salutis & pacis angelos, juxta tuæ petitionis instantiam de- „ stinamus „. Committit idem Pontifex aliis literis provinciam iisdem legatis, ut Regem Urosium in sinum Romanæ Ecclesiæ admittant, ac promissa perficienti Vexillum in ipsius exercitu præferendum, quum adversus infideles expeditionem moveret, tradant: tum in Missarum solemniis Dominicum corpus in Fermentato confici permittant. „ Quod autem in „ Fermentato (inquit) pane per Sacerdotes non Latinos Re- „ gni prædicti rite ordinatos in Missarum solemniis Corpus con- „ ficiatur Dominicum, quousque aliud per Apostolicam Sedem „ ordinatum fuerit, quum præmissa perfecta extiterint, &

„ quod

„ quod idem Rex interesse possit Missis hujusmodi, tolera-„ mus „. Ex quibus manifeste apparet, tam Regem Urosium, quam Servios Græcanici Ritus ac Schismatis fuisse tum temporis cultores; Latinos autem in ejus Regno tamquam exteros fuisse habitos. Agit de ea Legatione Bernardus in Chron. Rom. Pontif. quam hoc anno 1308. decretam affirmat; subditque, Urosium Legatos Apostolicos debita observantia prosecutum; pia tamen vota, ne matrem fratremque in se concitaret, in opus non perduxisse. „ Anno (inquit) Domini (a) præ-„ taxato 1308. mittuntur nuncii & Legati a Papa frater Ægi-„ dius de Ord. Prædicatorum Patriarcha Gradensis, & Procu-„ rator Ord. fratrum Prædicatorum, & fratrum Minorum in „ Curia ad Regem Rasciæ, qui prius ad Papam suos nuncios „ destinarat, innuens quod volebat fidei & obedientiæ Romanæ „ Ecclesiæ se submittere & subesse, & Regnum suum pertra-„ here ad hoc ipsum. Fueruntque præfati nuncii recepti a Re-„ ge debito cum honore: finis tamen intentus nullus fuit, aut „ modicus subsecutus, quia ipse matris suæ & fratris metu re-„ tractus, penitus nihil egit „. Atqui Helena Urosii mater Orthodoxam fidem egregie colebat, uti ex supradictis patet. Itaque rectius aliam attingit causam Ptolemæus Lucensis hist. Eccl. lib. 24. cap. 39. de Clemente V. sic scribens: „ Mi-„ sit Nuncios ad Regem Rasiæ, qui ad obedientiam Romanæ „ Ecclesiæ promiserat se venturum, quia Veneti cum Carolo „ sine terra concordaverant Imperium accipere Constantino-„ politanum. Videns autem tractatus non procedere, Papa-„ les nuncios vacuos remisit „. Cangius de eodem Urosio pag. 289. „ Is est porro Urosius, qui anno 1308. cum Carolo „ Vadensi Comite, Constantinopolitano Imperatore, pactum „ iniit, quo militares copias ad Imperii recuperationem ei sub-„ ministraturum sese obstrinxit, oblata insuper in uxorem Ca-„ rolo illius filio, filia sua unica Zariza, quam ex Elisabetha „ conjuge susceperat.

XXIII. Albaniæ principes adversus Urosium Serviæ Regem

Anno 1318. gravi ac intestino bello divexatus fuit (b) Urosius, procerum plerisque ab eo defectionem molitis, quos

 inter

a Cod. Vat. MSS. 3765. & Raynald. ad ann. 1308. num. 29.

b Michas Madius Cod. Vat. 7019. pag. LXVI. de Stephano fratre Regis Urosii: „ Anno MCCCXVII. D. Rex Stephanus Rasciæ carnis debitum solvens, diem ul-„ timum

Schismaticum Jo: PP. XXII. exstimulat. Urosii mors, & nepos Uladislaus & Constantinus.

inter exstitere Musachius Clissaniæ Comes, Andreas Musachius Albaniæ Regni Marescallus, Theodorus Musachius Protosebastus, Ladislaus Conoicus Diocleæ & Albaniæ Maritimæ Comes, & barones alii, qui vicinos Serviæ Principes in suas traxere partes, in iisque Philippum Tarentinum Principem, Regem Hungariæ Carolum, & Mladienum Bosinensem Banum. Joannes XXII. Papa literis dat. *Avinione* xv. *Kal. Jul.* anno 1318. „ Dilectis filiis nobilibus viris Guillelmo Blenisłe „ Protosevastori, Guillelmo Comiti, Paulo Materango, „ cæterisque Baronibus Regni Albaniæ „ Eos excitat, ut meditata adversus impium ac Schismaticum Urosium consilia ad opus perducant: „ Ex fide dignæ insinuationis assertione non „ absque paternæ compassionis affectu percepimus, quod vos „ sub gravi tyrannide illius Regis perfidi Rasciæ, nedum „ Schismatici & religionis Christianæ totaliter inimici, quin „ etiam omni humanitatis destituti fœdere, & ultra feralem „ sævitiam efferato animo sævientis, quasi ex cujusdam ne„ cessitatis indicto, propter temporis corrupti malitiam in„ viti convivitis, firmo concepto proposito illius declinandi „ perfidiam, quamprimum opportunitas arridebit, ne ab ipsius „ convictu mores perditos contrahatis; tamquam viri catho„ lici, & in orthodoxæ fidei veritate fundati, ac spiritu in„ spirati Dominico, dum favebit aura felicior, educturi li„ benter in publicum, quod ad tempus dissimulare cogi„ mini, quodque latet de sinceritate vestræ fidei ac de„ votionis introrsum. Porro, filii, de tam laudando ve„ stro proposito gratulamur, quod nimirum acceptum ha„ bemus in germine, & profecto fiet acceptius, dum suo „ tempore ad fructum pervenerit consummatum „. Aliis literis (*a*) excitat ad constantiam in fide catholica, in qua hactenus perstiterant, Mentulum Musachium Comitem Clissaniæ, Andream Musachium Regni Albaniæ Marescallum, & Theodorum Musachium Protosebastum, atque in suscepto de excu-

„ timum suæ mortis signavit: etiam Uladislaus ipsius filius, per patruum suum, „ scilicet Regem Urosium, carceratur „. Emendanda igitur Veneta Cangii editio, in qua de antedicto Stephano pag. 230. sic legitur: „ Tradit auctor coætaneus (*idest*, „ *Michas Madius* c. 5.) obiisse Stephanum anno 1307. ejusque filium Uladislaum „ statim postea ab Urosio in carcerem conjectum.

a Tom. 1. epist. 571. 573.

excutiendæ impii Rasciæ Regis servitutis, tuendæque fidei Catholicæ consilio confirmat. Uladislaum insuper Conoic, Dioclir & Maritimæ Albaniæ Comitem, virum Catholicum, ad premenda alte pectore illa consilia, quumque affulsisset occasio, explicanda, est adhortatus. Conjunctis itaque horum Macedoniæ ac Serviæ procerum cum Philippo Tarentino Principe & Carolo Hungariæ Rege, studiis, amplificata est (ut scribit Raynaldus) „ In Rascia & Macedonia res Catholica an-
„ no Domini 1320. Ind. 3. parta Caroli Hungariæ Regis vir-
„ tute gloriosissima victoria de Urosio tyranno Schismatico,
„ qua Regnum illud amplissimum ditioni ejus adjunctum est.
„ Hæserant tamen adhuc in Schismaticorum potestate, mari-
„ tima Macedoniæ loca: ad quæ expugnanda, ac parta reti-
„ nenda, quum novis viribus opus esset, Pontifex Jo: XXII.,
„ cujus auspiciis & consiliis bellum illud sacrum susceptum
„ erat, Ungariæ finitimos Reges ac Principes Orthodoxos,
„ Fridericum scilicet in Regem Romanorum electum, Ula-
„ dislaum Loktekum Poloniæ Regem, Joannem Regem Boë-
„ miæ, Liupoldum Austriæ, Henricum Carinthiæ Duces; ut in
„ tam commendanda causa ad rem Catholicam propagandam
„ latius confirmandamque auxiliaribus copiis Carolum Regem
„ juvarent, scriptis (a) literis sollicitavit „. Victus Urosius, Carolum Regem ut supremum Dominum cognoscere coactus est, & ejurato Schismate, Romanam religionem amplecti, eodem, ut videtur, anno 1320. Eum quidem eodem anno obiisse ait Nicephorus Gregoras lib. 8. p. 219. & 221. quo *Vestitlavus* Bulgariæ Rex, quem e vita excessisse constat anno 1323. At vero coætaneus scriptor Michas Madius (b) Urosii obitum ad ann. 1321. consignat, his verbis: „ Anno Domini 1321.
„ mense Novembri, luce quinta currente, Rex Urosius Rasciæ
„ migravit ex hac vita, & Uladislaus nepos ejus tunc a vin-
„ culis liberatus est: Et Rex Serviæ proclamatus „. Qua tamen in dignitate haud pacate vixit *Constantino fratre* bellum movente, regiumque diadema sibi deberi asserente. In quo quidem dissidio (uti recte Cangius observat) populi in diversas partes discessere: Sed tandem Constantinus a fratre captus,

a Regest. Jo: XXII. Anno 4. Par. 1. epist. 977. & seqq.
b Cod. Vat. 7019. fol. LXVII.

captus, patibulo primum affixus, in duas deinde partes diffectus est. Quæ crudelissimi Principis immanitas fecit, ut ab illius subditis evocaretur (*a*) *Stephanus*, Urosii Regis filius nothus, qui tum exul Constantinopoli morabatur. Qui quum in Serviam confestim pervenisset, ab omnibus Rex est proclamatus, fugato interim Uladislao, ac in Sirmium sese recipiente, ubi a Stephano captus, & in carcerem conjectus, in eo reliquum vitæ miserabiliter exegit.

XXIV. Stephanus Urosius Urosii filius nothus, Serviæ Regnum occupat, & a Jo: XXII. legatos postulat, qui Fidei suæ professionem excipiant, sibique legitimationis diploma deferant. Orosius a Pontifice vocatur.

Stephanus igitur, Urosii filius nothus, Rex Serviæ anno 1322. aut (*b*) sequenti inauguratus, ut sese adversus hostes domesticos muniret, Philippum Tarentinum Principem in suas partes allicere est conatus, filia ejus Blanca in uxorem expetita, oblatoque ad Imperium Constantinopolitanum recuperandum auxilio; Sed & ne ejusmodi consiliis obsisteret religionis, quam ipse Princeps profitebatur, diversitas, Romanam amplecti se exoptare significavit: Principem enixe rogans, ut partes suas erga Joannem XXII. Summum Pontificem interponeret, ut Legatum mitteret, fidei suæ professionem excepturum. Pontifex vero Bertrandum Brundusinum Episcopum aliosque aliquot delegavit, qui & Stephani professionem exciperent, eique legitimationis diplomata conferrent, ut & Regnum ipse possidere, filiique in illud succedere possent, quum is ex illegitimo contubernio esset natus: „ Quem, „ inquit Pontifex, sicut accepimus, quondam Orosius Ser- „ viæ Rex pater ejus conjugatus genuit de soluta „. Stephanus porro in Joannis XXII. literis *Uroscus* vel *Orosius* nuncupatur. Sed effectu caruere Stephani consilia, quæ in annum 1322. & 1323. referuntur. Raynaldus confundit hunc Stephanum Orosium cum patre Orosio, ex duobus Regibus unum

a Michas Madius de Stephano filio notho Urosii Regis, fol. LXVI. Cod. Vat. 7019. „ Stephanus filius Regis Urosii naturalis, qui ab eodem Rege multum dili- „ gebatur ut legitimus filius, per suggestionem Reginæ (Simonidis videlicet, „ Andronici Palæologi senioris Imperatoris filiæ) Uxoris Regis, a dicto Rege pa- „ tre suo capitur, & in carceribus est detentus in partibus Romaniæ, volente Re- „ gina & consentiente ipso Rege, excæcatur lumine oculorum „ Id factum inter annum 1316. & 1317. a Micha Madio narratur.

b In commentar. de nummis Regum Serviæ seu Rasciæ ab Hier. Zanetti Italice conscripto, & a cl. Argelato Par. 3. de monetis Italiæ Mediolani anno 1750. edito pag. 19. perperam dicitur hic Stephanus *Regno potitus anno* 1311. *Uroscii nomine sibi imposito*. Non enim ante ann. 1321. ejus pater Orosius obiit, neque ipse ante ann. 1322. aut sequentem inauguratus est.

unum eundemque faciens. Quum enim de Urosio patre a Carolo Rege Uungariæ anno 1320. devicto, quæ supra sunt scripta narrasset, subjungit ad annum 1322. num. XLVIII. *Ad leges impositas adigitur*: & num XIV. ad ann. 1323. „ Affinitatem „ Principis Tarentini ambit, arma pro comparanda Constan- „ tinopoli offert, missi ad eum internuncii: præscripta fidei „ profitendæ formula „. Quæ tamen omnia ad Stephanum Urosii filium nothum, non ad patrem Urosium pertinere, certo certius est. Exstant Joannis XXII. literæ datæ *Avinione* II. *Id. Jun. anno* VII. idest Chr. 1323. Prima, Philippo Tarentino Principi, qui antequam affinitatem cum Stephano contraheret, ipsum Pontificem consuluerat: a quo proinde hoc redditum fuit responsum: „ Valde gratum & placidum „ gerimus, si alias de tua voluntate processerit matrimonium „ memoratum, dum tamen, prout ex ipsorum nunciorum „ tuorum narratione lætanter accepimus, præfatus Rex una- „ cum clero, nobilibus, & populo Regni sui, Schismaticæ pravi- „ tatis detersa rubigine, solidetur, ut cupere dicitur, in „ firma petra Catholicæ fidei, & integretur Orthodoxæ Matris „ Ecclesiæ unitati &c. „ Altera, eidem Stephano Regi, quem Pontifex Orosium vocat, sic inscripta: „ Joannes &c. „ magnifico viro Orosio Regi Serviæ illustri, gratiam in præ- „ senti, quæ perducat ad gloriam in futuro. *Incipit*. Nuper „ dilectus filius nobilis vir Philippus Princeps Tarentinus, „ claræ mem. Caroli Regis Siciliæ filius, per gratos suarum „ literarum affatus & specialem nuncium, nostro Apostolatui „ reseravit, quod Deo patre luminum ad veræ religionis ze- „ lum prius præparante tuæ mentis affectum, eidem Principi „ per literas & nuncios expressisti, quod dilectæ in Christo „ filiæ nobili mulieri (*B. idest Blancæ*) natæ ipsius, conjungi „ desideras fœdere conjugali; & quod abjurata & dimissa er- „ roris Schismatici vetustate, cum Clero & nobilibus, toto- „ que populo Regni Serviæ, Sacrosanctæ Ecclesiæ Catholicæ „ corpori redintegrari... desideras. *Cætera* „. Tertia, Bertrando Archiepiscopo Brundusino, & Magistro Bernardo de Parma Canonico Adversano, & Joanni Dominici ordinis Fratrum Prædicatorum, Lectori Fratrum Conventus Narbonensis dicti Ordinis: quibus Apocrisiariorum Pontificiorum mu-

munus demandat, præscribitque exigendi a Rege Serviano sacramenti formulam, quem Regem justorum natalium dignitate exornat his verbis: „ Discretioni vestræ præsentium te-
„ nore committimus & mandamus, quatenus cum dicto Rege,
„ quem, sicut accepimus, quondam Orosius Serviæ Rex pater
„ ejus conjugatus genuit de soluta; ut hujusmodi non obstante
„ defectu, libere ad quemlibet honorem seu dignitatem, sere-
„ nitati Regiæ congruentem, & quoslibet actus legitimus ad-
„ mittatur; & quod filii sui legitimi sibi in Dominio & honore
„ succedant, auctoritate Apostolica, qua in hac parte vos
„ fungi volumus, & de Apostolicæ plenitudine potestatis di-
„ spensetis „. Porro huic Stephano Urosio, non autem patri ejus (uti perperam scribit Cangius pag. 189.) tribuitur Inscriptio, quæ exstat in Tabula in Æde S. Nicolai Barensis, ubi seipsum inscribit Regem Rassiæ, Diocleæ, Albaniæ, Bulgariæ ac totius Maritimæ ab Adriatico Mari usque ad fl. Danubium, in hæc (*a*) verba: „ Anno Dom. MCCCXIX. mense Junii,
„ Indictione VI. Urosius Rex Rassiæ, & Diocleæ, Albaniæ,
„ Bulgariæ, ac totius Maritimæ, de Culpho Adriæ a mari us-
„ que ad flumen Danubii (*b*) magni, præsens opus Altaris
„ yconam magnam argenteam, lampades & candelabra ma-
„ gna de argento fieri fecit ad honorem Dei & Beatissimi Ni-
„ colai, ejus herede astante de Catera filio Dorislavi fideli
„ & experto a prædicto Rege deputato: & nos Rugerius de
„ Invilio Protomagister, & Robertus de Barulo Magister in
„ omnibus præfatis opus de prædicto mense Junio incepimus,
„ & per totum mensem Martium anni sequentis Christo fa-
„ vente fideliter complevimus „. Indictio *Sexta* indicat annum Chr. 1323. quo anno Stephanus filius nothus Orosii regnabat, uti supra ostensum est. Quare emendanda inscriptio, in qua legitur, *Anno Dom.* MCCCXIX. pro quo repone *Annum* MCCCXXIII. Corrigendus etiam Zanettus, qui quum hanc Inscriptionem Stephano Orosio, filio notho Orosii, recte tribuisset, ei subjicit alteram, ad eundem Regem ab ipso perperam relatam: „ MCCCIV. die XXV. Martii Franciscus (*c*) de Salomo-
„ ne

a Apud Burchelatum in Histor. Tarvis. pag. 252.
b Apud Zanettum pag. 20. *Danubii Jagni*: per errorem.
c Is fuit frater Castellani de Salomone Episcopi Tarvisini.

„ ne fuit per excelſum Principem, & D. D. Oroſium Regem „ Raſſiæ militari cingulo donatus „. Atqui Stephanus Uroſius non ante annum 1322. aut ſequentem Rex fuit inauguratus, ex ſupradictis. Pertinet igitur hæc poſtrema inſcriptio ad ejus patrem Oroſium, uti Cangius recte quoad hanc partem affirmat loc. cit.. Habuit hic Stephanus filium cognomento *Stephanum Duſcianum*, ſeu *Wkſanum*, quem, quum in prælio adverſus (*a*) Bulgaros ſtrenue ſe geſſiſſet, utriuſque Zentæ præfectura donavit. Sed a Proceribus Servianis haud multo poſt (incertum an filio Duſciano invito) in carcerem detruſus, & ſuffocatus anno 1333. vitam cum Regno amiſit.

XXV. Stephanus Duſcianus, Stephani Uroſii filius, Oroſius & ipſe dictus, Imp. Romaniæ, Sclavoniæ & Albaniæ ſe appellat: ad Inn. VI. nuncios mittit: dubiæ Rex fidei.

De Stephano Duſciano, qui Stephano Oroſio patri anno 1333. defuncto ſucceſſit, hæc Cangius ex Byzantina hiſtoria profert pag. 291. „ Bellum geſſit cum Hungaris, Græcis, ac „ Turcis, quos aut per ſe, aut per copiarum ſuarum præfectos „ ſæpius fudit ac profligavit. Mortuo juniore Andronico Palæologo Imperatore [*anno* 1341.] facta in Macedoniam irruptione, hanc penitus vaſtavit: deinde Joannis (*b*) Cantacuzeni, qui ſe Imperatorem (*anno* 1347.) proclamari „ paſſus fuerat, partibus ſeſe adjunxit, copiis non modicis adjuvit, exactumque tandem Imperii finibus [*anno* 1355.] in „ Servia excepit: ſed mox Joannis Palæologi Imperatoris in „ eundem Cantacuzenum Joannis ſocerum partes amplexus „ eſt. Flagrantibus interea civilibus iſtis in Græcia bellis, „ Acarnaniam, Macedoniam, & Theſſaliam invaſit, oppidaque univerſa in ſuam poteſtatem redegit, unica excepta „ Theſſalonica: ac tum demum *Romanorum & Serviorum* „ *Imperatorem* ſe appellavit, ſummoſque ac eoſdem, qui in „ Aula Conſtantinopolitana obtinebant, inſtituit Magiſtratus. „ In iis Serviæ Sebaſtocratorem Decanum, magnum Logothetam Goicum, Deſpotam Oliverium, Cæſarem Præbulum, „ Guil-

a Cauſam ſuſcepti adverſus Bulgaros belli hanc refert Cangius pag. 291. „ Bellum exinde in Michaëlem Straſcimirum Bulgariæ Regem movit, quod Nedam ſororem, ex qua is liberos procreaverat, dimiſiſſet, ut Theodoram Palæologinam, „ Svetislai Bulgariæ Regis viduam, ac Michaëlis Palæologi junioris Imperatoris filiam, duceret.

b Matthæo Cantacuzeno, Joannis filio, Stephanus Duſcianus ſororem ſuam in matrimonium tradidit. Cangius pag. 292. qui tamen pag. 291. eam *Ruſſam* vocat, & Stephani ipſius *filiam*.

„ Guilbum denique de Cataro Comitem Camerarium dixit. „ Urofium autem filium, Regem renunciavit. Exin cum *Alexandro* Bulgariæ Rege, cujus fororem *Ragofnam* ab Orbino „ & Luccario, a Græcis vero Scriptoribus *Helenam* nuncupa„ tam, uxorem duxerat, bellum [*ante annum certe* 1350. „ *quo Alexander deceffiffe dicitur*] fufcepit. (*a*) Nicolaum „ Buchinum, nobilem Catarenfem, ac ejus Protoveftiarium „ in Franciam mifit anno 1351. qui alteram ex Regis Joannis „ filiabus in uxorem filio [*Urofio*] depofceret: at quod Græ„ canicam profiteretur religionem, repulfam paffus eft. Erga „ Romanam tamen fe propenfiorem deinceps teftatus fuerat: „ miffisque fub annum 1354. ad Innocentium VI. Summum „ Pontificem nunciis, id profeffus eft, de Græcis conqueftus, „ qui confiliis fuis continuo adverfarentur, fubditofque ab eis „ amplectendis avocarent; Baptifmi & Confirmationis Sacra„ menta a Latinis Sacerdotibus ac Epifcopis collata, iterari „ debere perfuadentibus. Literas fcripfit ad Regem (*b*) Sum„ mus Pontifex, & ad *Ivanifcum* Serviorum Patriarcham, ad „ Ar-

a Raynaldus ad ann. 1347. num. 30. „ Concepit pium Stephanus Rafciæ Rex „ ejurandi Græcorum fchifmatis, ac redintegrandæ cum Romana Ecclefia conjun„ ctionis defiderium. Quod quum Pontifici, *Marci* Scutarenfis Epifcopi opera, figni„ ficaffet, illum Clemens (*Papa VI.*) ad perficiendum facrum confilium incitavit &c. „ his ad eum fcriptis literis dat. *Avinione* vi. *Non. Martii anno V.* ideft, Chrifti 1347. „ Clemens &c. magnifico Principi Stephano Regi Rafciæ illuftri, gratiam in præfen„ ti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Quum, ficut lætanter referente Ven. fra„ tre noftro Marco Epifcopo Scutarenfi, audivimus &c. „ Addidit hortatorias alias ad Rafciæ principes literas, Nicolaum Beccham Protoveftiarium, Gregorium Galubiam Regni Rafciæ Cæfarem, aliofque proceres, ut ad priftinam Ecclefiarum conjunctionem revocandam pios Regi Stephano adderent ftimulos. Vide Regeft. ejufdem Clementis VI. Tom. 5. epift. 1019. 1020. 1021. 1026. & Cod. Vat. MSS. fignatum num. 3765. in vita Clem. VI.

b Raynald. ad ann. 1354. num. 28. „ Excitati etiam ad Servios cum Romana „ Ecclefia conjungendos plures Serviæ Principes; tum Albaniæ, Sclavoniæque pro„ ceres, denique Stephanus Rafciæ Rex, ac Regina Helena, eorumque filius Oro„ fius, ad confilia de fchifmate abolendo fufcepta perducenda incitati „. In Regeft. Innocentii VI. Tom. 2. pag. 154. 222. 224. 227. „ Innocentius &c. Stephano „ Regi Rafciæ illuftri, gratiam in præfenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Per „ dilectos filios nobiles viros, Boffidarium Judicem generalem, & Neftegium Ce„ phaliam Geren. ac Damianum de Catara civem Cataren. Apocrifarios & procurato„ res magnitudinis tuæ &c. „ *Dat. Avin.* ix. *Kal. Januar. anno* 2. ideft, menfe Decembri exeuntis anni 1354. Subjungit Raynald. num. 29. „ Defcivit a fufcepto eju„ randi fchifmatis confilio Stephanus Rafciæ Rex, retardato iterum, ut antea in Cle„ mente VI. (*ad ann.* 1347. *num.* 30.) meminimus, bello Ungarico, de quo etiam „ Acta B. Petri Thomæ Carmelitæ Epifcopi Pactenfis fupra memorati.

„ Archiepiscopos & Episcopos, & ad Serviæ proceres, quibus „ illos adhortabatur, ut quod tam pie ac sancte decreverant, „ firmiter adimplerent. Sed & ad Regem, Petrus Thomas „ Carmelita, qui postmodum Constantinopolitanus Patriar- „ cha dictus est, Legatus missus, qui Christianam & Romanam „ religionem stabiliret, & quæ ad eam spectant, auctoritate „ Apostolica definiret. Sed tum dolosa Regis mens detecta, „ palamque patuit, non tam Romanæ religionis affectu, quam „ declinando bello Hungarico, cum Pontifice per suos nun- „ cios egisse: præsertim quum Petro Serviam ingresso, sub- „ ditis sub excæcationis pœna, Romanorum Missis interesse „ prohibuerit. Pontifex igitur accepto & perspecto Stephani „ consilio, ad bellum in eum suscipiendum, Hungarorum Re- „ gem impulit, Venetosque, qui strictius cum Stephano fœ- „ dus inierant adversus Hungaros, quod pleraque Dalmatiæ „ oppida, quæ Venetorum erant, ii expugnassent, dimissa „ quam cum Serviis inierant societate, ad pacem cum Ludo- „ vico [*Hungar. Rege*] conficiendam manus darent, admo- „ nuit. Scriptæ autem hæ literæ anno 1356. Denique Ste- „ phanus quum Græcos bello petiturus cum octoginta militum „ millibus in Thraciam pergeret, in oppido Deaboli febre „ correptus, obiit XVIII. Decembris anno 1356. Parem in „ S. Nicolaum Barensem, ac Stephanus pater, avusque Uro- „ sius, venerationem testatus est, ut ex ejus diplomate Ra- „ gusii anno 1346. exarato colligitur, in quo ita inscribitur „ *Stephanus Dei gratia Romaniæ, Sclavoniæ, & Albaniæ Imperator*. Hucusque Cangius.

XXVI. Indictum jussu Innoc. VI. Papæ bellum in Serviam schismaticam Itē in hæreticos Bosniæ ab Urb. V. exstimulatus Rex Ungariæ. Bosniæ Banus Thuuartkus hæreticus, Stephanum fratrem Catholicum insectatur.

Eminentissimus Baronius apud Raynald. ad ann. 1356. num. 24. „ Anno Chr. 1356. Ind. IX. Ludovicus Rex Unga- „ riæ præliaturus adversus Rascios, quod illorum Regnum „ pertineret ad Ungariæ ditionem, Legationem misit ad Ro- „ manum Pontificem [*Innoc. VI.*] ut pro hac ipsa causa cru- „ cem indiceret; spondens, idem Regnum ad arbitrium Se- „ dis Apostolicæ dispositurum. Habentur literæ libro Privile- „ giorum Romanæ Ecclesiæ „. Eas recitat Raynaldus num. cit. quæ incipiunt. „ Nos Ludovicus Dei gratia Rex Ungariæ. „ Notum facimus &c. Ubi „ Regnum [inquit] nuncupatum „ Rasciæ, quod juris prædecessorum nostrorum ac nostri fuit & „ exi-

„ existit, & quod de facto tentum est & tenetur occupatum „ per sanctæ & unicæ Matris Ecclesiæ rebelles, Schismaticos, „ infideles, & Catholicæ fidei contemptores „. Dat. *Zagabriæ Indictione* VIII. *mensis Junii die* IV. *anno Domini* 1355. Lege, *Indict.* IX. Quodsi verum est, Stephanum Duscianum mense Decembri anno 1356. decessisse, consequens est, ipsum perinde ac patrem, *Orosium* etiam nuncupatum fuisse. Nam in epistola *Innocentii VI. ad Ludovicum Regem Ungariæ*, dat. *apud Villam novam Avinionensis Diœcesis*, III. *Id. Augusti*, *Pontificatus anno IV.* idest Chr. 1356. [apud Raynald. num. 27.] *Orosius* disertim appellatur: „ Per Ven. Fratrem nostrum [*inquit Pontifex*] Episcopum Pactensem „ [*Petrum Thomam*] & dilectum filium [*Stephanum Præpositum Vaudensis Ecclesiæ*] electum Zagabriensem, nuncium „ tuum, & literas regias nobis exhibitas per eundem nuncium, „ quas & eum benigne placideque recepimus, nobis noviter „ intimasti, quod tu moleste ferens injurias, contumelias, & „ opprobria, quæ Redemptori tuo per eosdem Schismaticos „ & hæreticos dicti Regni Rassiæ, ac terrarum, quæ Orosii se „ Regem Rassiæ nominantis subsunt tyrannidi, & quæ vicinantur eisdem, jugiter inferuntur. &c. „ Subjungit de Bosnia: „ Ante omnia pelle de Bosnensibus, & aliis dicti Regni tui partibus hæreticam pravitatem „. Bosniam quippe dudum hæretici infecerant, sed & *Rasciam*, & *Bulgariam*: Urbanus proinde Papa V. ut regiones illas ab hæresi purgaret, Fratres Minores illuc missos anno 1368. Bosnensi Episcopo (*a*) commendavit: Ludovico quoque Regi Ungariæ, literis dat. *apud montem Flasconem* II. *Id. Julii anno* VI. gratulatus est, inquiens: „ Replevit ingenti gaudio mentem nostram acceptissima Deo & nobis relatio, nuper per dilectos filios Joannem de Rheno, & Andream de Perusio Ordinis Fratrum „ Minorum, de Bulgariæ, Rasciæ, & Bosnæ venientes partibus, nobis facta, inter cætera continens, quod, inspirante „ illo, qui ubi vult spirat, ad tuam inductionem & cooperationem piissimam, ac Fratrum dicti Ordinis in dictis partibus commorantium prædicationem, multa millia personarum utriusque sexus, relictis damnabili schismate aliisque „ erro-

a Regest. Urbani V. Tom. 6. pag. 130. & 131.

„ erroribus, quibus erant & fuerant omni tempore involuti, „ ad lumen veræ fidei, ac unitatem & obedientiam sacrosan„ ctæ Romanæ Ecclesiæ matris & magistræ cunctorum fidelium „ redierunt „. Bosinensem principatum tunc temporis tenebat *Thwartkus*, Uladislai filius, Stephani Bani nepos, qui Stephanum fratrem juniorem ob catholicam, quam profitebatur fidem, hæreticus ipse insectabatur anno 1369. Hinc Urbanus V. Ludovico (*a*) Ungariæ Regi: „ Banus Bosnæ senior frater „ ejus, sequens suorum progenitorum vestigia detestanda, ac „ fovens & defendens hæreticos, ad illas partes quasi ad sentinam fœtidam de diversis mundi partibus confluentes, „ ipsum Stephanum, abjecto amore fraterno, persequitur, & „ hactenus gravissimis damnis attrivit, ac partem hæreditatis „ sibi denegavit exhibere &c. „ Gregorius XI. ad ejusdem Ludovici Regis preces, anno 1372. concessit facultatem (*b*) Bosniæ Vicario, ut in *Bosnia*, *Rascia*, & (*c*) *Basarath*, plura religiosa domicilia pro amplificanda fide statueret: „ Quod [inquit] in eisdem, Bosnia scilicet, Rascia, ac Ba„ sarath, & aliis partibus eis vicinis multi schismatici & hære„ tici commorantur; & quod ibidem convertendorum messis „ est multa, operarii vero pauci.

XXVII. Urbani V. Papæ literæ ad orthodoxos Albaniæ Principes.

In Albania interim nonnulli Principes, abjecto Schismate, orthodoxam fidem suscipiunt. Exstant Urbani V. gratulatoriæ ad eos de Schismate damnato (*d*) literæ, quibus rogantur, ut Episcopi a Sede Apostolica missi consiliis obsequantur. Quum vero ii bello vexassent Catarenses, monentur, ut ab illis vexandis desistant. Dat. apud montem Flasconem Balneoregiensis Diœcesis, VIII. Kal. Junii, Anno VI. idest, Chr. 1368. „ Nobilibus viris Strazimiro, & Georgio, „ ac Balsæ fratribus, Zapanis Zentæ, gratiam in præsenti, „ per quam obtineant gloriam in futuro. Spiritus noster exul„ tavit in Domino, qui, sicut ex relatione Ven. Fratris no„ stri

a Apud Raynald. ad ann. 1369. num. 12.

b Apud eund Raynald. ann. 1372. nom. 32.

c Ex Pisano Waddingus in Annal. Minor. ann. 1369. memorat, Bulgariam Ludovici jugum excussisse, ac Bassarath Regem schismaticum Bodonio urbe regia potitum fuisse; captos vero Minoritas quinque, ob fidem orthodoxam a schismaticis supplicio affectos.

d Apud Raynald. anno 1368. n. 19. ex Regest. Urbani V. Tom. 4. pag. 104.

„ ſtri Petri Epiſcopi Suacinenſis latoris præſentium, per vos „ ſuper hoc ad noſtram præſentiam deſtinati, præcepimus, miſericorditer dignatus eſt vobis tribuere intellectum, ut relictis Schiſmatis & errorum tenebris & umbra mortis æternæ, in quibus hucuſque manſiſtis, incipiatis animabus veſtris prudenter conſulere, & lumen agnoſcere veritatis; intendentes ad obedientiam & devotionem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Matris & Magiſtræ cunctorum fidelium reverenter & cordibus ſinceris accedere. *Et paucis interjectis.* „ Ut autem mereamini ad gratiam reconciliationis admitti, „ ac obtinere Apoſtolicæ Sedis benevolentiam & favores, a „ moleſtiis Eccleſiarum & perſonarum Eccleſiaſticarum, aliorumque Catholicorum obedientium dictæ Romanæ Eccleſiæ, præſertim Civitatis Catarenſis, quam jamdiu a vobis, „ ſeu Te, Georgi, hoſtiliter moleſtari percepimus, curetis „ penitus abſtinere, ut in iis, & aliis veſtram intentionem puriſſimam oſtendatis. Super quibus & aliis per vos agendis „ in dictæ veſtræ reconciliationis negocio, præfatum Epiſcopum duximus informandum, cui ſuper iis, quæ vobis ex „ parte noſtra retulerit, velitis fidem indubiam adhibere.

XXVIII. Uroſius Stephani & Helenæ Bulgaræ filius, poſtremus Serviæ Rex.

Poſtremus Uroſiorum Serviæ Regum Uroſius (*a*) Stephani & Helenæ Bulgaræ filius, Rex a patre [Stephano Duſciano] renunciatus, hoc extincto menſe Decemb. an. 1356. Imperatoris titulum ſibi perinde atque ille, arrogavit. Sed ſub ipſa initia bello appetitus a Siniſciano patruo, maximam Theſſaliæ partem amiſit; deinde plerique proceres præfecturarum ſibi commiſſarum dominatum in ſolidum arripuerunt: poſtremo quum Wcaſcino, quem regia dignitate, Imperatoriæ ſcilicet obnoxia, ornaverat, quique obſequium detrectabat, bellum inferret, captus & in Serviam abductus eſt; nec multo poſt fugam meditari inſimulatus, clava in caput impacta, interfectus eſt anno 1368. duodecimo ex quo imperare cœperat. Ita Neemanis poſteritas defecit, quæ ab anno circiter 1180. uſque ad annum 1368. Regnum Serviæ tenuerat.

CA-

a Apud Bandurium Tom. 2. pag. 772.

CAPUT III.

Bosniæ descriptio, ejusque Episcopi & Bani, seu Reges ab anno circiter 1200. ad 1478. Hæretici Patareni, seu Cathari & Manichæi, cura Summorum Pontificum, & Regum Hungariæ, è Bosniæ Regno exterminati. Catharinæ Reginæ Bosnensis, Romæ sepultæ, Epitaphium.

I. Culinus Bannus Bosniæ Dominus. Bosnæ Episcopus. Patareni fratres Bosnenses hæresim ejurant : de quibus Jo: Capellanus, necnon Rex Hungariæ scribunt ad Innoc. III. PP.

SERVIAM, & Albaniam satis, ut opinor, illustravi. Nunc ad Bosniam, Bulgariam & Valachiam convertendus est sermo. Jam supra dixi [ubi Vulcani seu Vuksani Serviæ Regis epistolam ad Innocentium III. Papam anno 1199. datam recitavi] & *Bosniam* Serviani Regni olim portionem fuisse, & postea Hungariæ Regibus subjectam. Qui in Bosnia, sub Regis Hungariæ clientela, dominabatur, *Banique* nomen gerebat, *Culinus* tunc temporis vocabatur. Innocentius III. sub exitum anni 1202. [lib. 5. epist. 110.] Spalatensi Archiepiscopo, atque Joanni Capellano suo præcepit, ut Culini Bani, unacum affeclis suis, hæresis Patarenorum seu Valdensium infamia laborantis, regionem lustrarent, eorumque mores ac fidem diligenter perquirerent; seque ad Hemmeradum seu Emericum (*a*) Hungariæ Regem ea de re nuper scripsisse. Erat per ea tempora unus dumtaxat, idemque Græci Ritus Episcopus, quemadmodum liquet ex literis (*b*) a Joanne Pontificio Capellano ad Innocentium Papam anno 1203. datis, in quibus significat in primis unicum Bosniæ Episcopum præesse, illum-

a Hemmeradus, Hemenradus, Emericus, & Henricus vocatur: de quo Raynaldus: Cum Andrea fratre dissentit anno 1198. conciliatur fratri 1199. crucem induit 1199. Jubetur insurgere in Culinum Hæreticum 1200. Ejus literæ ad Innocentium III. PP. an. 1202. Megaiupani ditionem sibi subjicit 1202. Moritur an. 1204. Kalend. Decembris. Vide eumdem Raynald. ann. 1205. num. 54. & 55. Quare emendandi Thuroczius & Ranzanus, Scriptores Rer. Hungaricar. qui immani errore scribunt, Belam Emerici patrem obiisse anno 1190. Kal. Maji. Emericum filium, post Regni ann. 8. mens. 7. dies 6. decessisse an. 1200. prid. Kal. Decemb. Ladislaum Emerici filium post menses sex, & dies 5. migrasse anno 1201. Nonis Maji. Andream denique Belæ filium, & Emerici fratrem, Regnum iniisse iv. Kal. Jun. die 27. post Ladislai obitum an. 1201. ; decessisse autem anno Dom. 1235. Atqui ex Epistolis Innoc. III. Papæ constat, anno ineunte 1205. Ladislaum puerum, Emerici defuncti Regis filium, adhuc in vivis fuisse, adeoque Andream nonnisi eodem anno 1205. Regem post Ladislai obitum fuisse inauguratum.

b Apud Innoc. III. lib. 6. epist. 140.

illumque jam è vita ſublatum; magno proinde divinæ gloriæ incremento futurum, ſi Latinus Epiſcopus imponeretur, atque etiam plures in iis terris Epiſcopatus inſtituerentur. „ Tra-„ ctato negotio [inquit] illorum quondam Patarenorum in „ Boſna, ſicut jampridem ſcripſi Sanctitati Veſtræ, fui in Un-„ garia aliquantis diebus ex voluntate regia. Interim Nuncii „ illius magni viri Calojoannis (*a*) venerunt ad Regem, „ cum quibus, Deo duce, ſpero me ire ad ipſum, & Chri-„ ſtianiſſimus Rex fecit eos ſuper Evangelia jurare in Eccleſia „ coram Altari, quod me ſecurum uſque ad præſentiam ejus „ deducerent. *Et infra*. Noveritis præterea, quod in Re-„ gno Bani Culini de Boſna non eſt, niſi unus Epiſcopus, & „ Epiſcopus modo mortuus eſt: ſi poſſet fieri, quod aliquis „ LATINUS ibi poneretur, & aliqui etiam ibi tres vel qua-„ tuor crearentur novi, non modicum exinde utilitati accre-„ ſceret Eccleſiaſticæ, quia Regnum eſt ipſius ad minus die-„ tarum decem & plus „. Hactenus Joannis literæ. Quienus Tom. 2. Orient. Chriſtian. pag. 324. in Diœceſi Serviæ incluſos hoſce Epiſcopatus recenſet: 1. *Siſanii*. 2. *Grebeni*. 3. *Boſniæ*. 4. *Fogaræ*. 5. *Iſchanii*. 6. *Neurocopi*. 7. *Melangiorum*. 8. *Phliuntis*. Et de Boſnia quidem ſic ſcribit: „ Fuit „ olim pars Illyrici, quæ nunc dicitur Boſnia, contermina „ Serviæ atque Dalmatiæ; ſic dicta, inquiunt, à flumine co-„ gnomine per eam labente. Fuit quoque pars Regni Hun-„ gariæ, atque in Regnum ſubinde evecta, Reges proprios „ habuit. Nunc a quibuſdam ſæculis tota paret Turcis. Epi-„ ſcopum habet Latini Ritus, Coloczenſi Archiepiſcopo ſub-„ ditum. Nulla ejus mentio in Notitiis. Gennadius Conſtan-„ tinopolitanus, qui Georgius Scholarius olim, epiſtola ad „ Maximum Monachum, Boſniæ Epiſcopum admodum lau-„ dat, qui multos Latini ritus homines ad Græcam Eccleſiam „ adduceret „. Hæc Quienus. Sed ad Boſnenſes a Joanne Capellano Pontificio ad ejurandam hæreſim adductos redeo. Poſt laudatam ejuſdem Joannis ad Papam Epiſtolam, tabularum exemplum legitur, quibus Boſniæ Monachi Schiſmatici, Romanæ Eccleſiæ Conſtitutiones ſe obſervaturos pollicentur. „ Perfectum illud eſt [inquit Raynald. ad an. 1203. num. 24.] „ ejuſ-

a Regis ſcil. Bulgarorum & Blachorum, de quo mox ſermo erit.

„ ejusdem Joannis opera & diligentia, cui Pontifex exscin-
„ dendæ in iis regionibus Patarenorum hæreseos provinciam
„ commiserat. Juvit illius studium Banus Culinus Bosniæ
„ Princeps, quo præsente in publicis Ecclesiasticorum comi-
„ tiis Schismati abrenunciarunt, virusque evomuere certi Hæ-
„ retici, qui sub religionis specie per summum aliorum con-
„ temptum se *Christianos* nuncupabant, ac sacramento ad
„ servandos Ecclesiæ Romanæ ritus, & mutato nomine se
„ *Fratres* appellaturos devinxere: *in hæc verba*. In nomine
„ Dei æterni Creatoris omnium & humani generis Redem-
„ ptoris, anno ab ipsius Incarn. MCCIII. Domini vero Innocen-
„ tii Papæ III. anno sexto. Nos Priores illorum hominum,
„ qui hactenus singulariter Christiani nominis prærogativa
„ vocati sumus in territorio Bosnæ, omnium viceconstituti
„ pro omnibus, qui supra de nostra societate Fraternitatis, in
„ præsentia Domini J. (*a*) de Casem. Capellani Summi Pon-
„ tificis, & Romanæ Ecclesiæ in Bosna propter hoc delegati,
„ præsente patrono Ban Culin. Domino Bosnæ, promittimus
„ coram Deo & Sanctis ejus, stare ordinationi & mandatis
„ Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, tam de vita & conversatione no-
„ stra, quam ipsius obsecundare obedientiæ, & vivere insti-
„ tutis: obligantes Nos pro omnibus, qui sunt de nostra so-
„ cietate, & loca nostra, cum possessionibus & rebus omni-
„ bus, si aliquo tempore deinceps sectati fuerimus hæreticam
„ pravitatem. In primis abrenunciamus Schismati, quo du-
„ cimur infamati, & Romanam Ecclesiam matrem nostram
„ caput totius Ecclesiasticæ unitatis recognoscimus &c. „. De
Patarenis, Latinæ originis hæresisque hominibus sermo est,
non de Græcis Schismati Græcanico addictis. Id perspicuum
faciunt sequentes literæ (*b*) an. 1204. ab Hemmerado Hun-
gariæ Rege ad Innoc. III. Papam scriptæ. „ Venerabili in
„ Christo Patri Innocentio Dei gratia Sacrosanctæ Romanæ
„ Ecclesiæ Summo Pontifici, H. eadem gratia, Hung. Dalmat.
„ Ram. Serviæque Rex, salutem & filialem in omnibus reve-
„ rentiam. Licet universi &c. *Et infra*. Hinc est, quod quum

 „ humi-

a Joannis de Casemario.

b Apud Raynald ann. 1202. num. 8. In Regesto Innoc. III. lib. 7. Epist. 212. Hemmeradus Rex, alias Emericus dictus.

„ humilis ac fidelis Sanctitatis Vestræ Capellanus Joannes ad „ præsentiam nostram accedens, duos principaliores ex his, „ qui in terra Culini Bani, prout ferebatur, damnatam Hæ- „ reticorum Sectam fovebant, secum duxisset, Nos inspectis „ orthodoxæ fidei articulis, quos ad ipsius Joannis exhortatio- „ nem illi, ad quos missus fuerat, jam susceperant, eadem „ capitula sub sigillo nostro contenta Domino illius terræ, fi- „ lio scilicet memorati Culini, qui tunc apud Nos erat, de- „ dimus, districte præcipientes, ut ea, & alia, siqua Romana „ Sedes eis de cætero secundum Deum transmittere decreve- „ rit, ab omnibus in terra sua faciat inviolabiliter observari. „ Idem etiam quum hoc juxta voluntatem nostram admisisset, „ se in manu nostra, & J. Archiepiscopi Colocensis subsequen- „ ter obligavit, quod si de cætero supradictos vel alios homi- „ nes in hæresi scienter manutenere, vel defendere in terra „ sua præsumpserit, mille marchas argenti persolvet, quarum „ medietas vobis, altera vero Fisco nostro medietas obve- „ niet. Illi præterea duo Priores, qui cum præfato Capella- „ no vestro Joanne venerunt, tam pro se, quam pro fratribus „ suis, a quibus missi fuerant, in præsentia nostra juraverunt, „ quod Constitutiones a jamdicto fideli Legato vestro promul- „ gatas, & sibi traditas firmiter observabunt in perpetuum.

II. Bernardus Spalaten. Archiepiscopus Matthæum & Aristodium Pictores, in hæresim Patarenorum lapsos, aliosque ab iis corruptos, ad Ecclesiam Catholicam revocat.

Non Bosnam tantum, sed etiam Dalmatiam fuisse ab illis Hæreticis Patarenis infectam, & a Bernardo Spalatensi Archiepiscopo purgatam, Archidiaconus Thomas nos docet. Sic enim scribit cap. 24. „ Tunc [*Bernardus*] consecratus ab Inno- „ centio anno Domini 1200., venit Spalatum, satisque vigi- „ lanter cœpit curam Pastoralis officii circa subjectos impen- „ dere. Erat autem insectator Hæreticorum valde sollicitus. „ Fuerunt namque eo tempore duo fratres filii Zorobabel, „ quorum alter Matthæus, alter vero Aristodius vocabatur. „ Hi quamvis essent ex patre Apulo, erant tamen a pueritia „ Jaderenses cives effecti. Conversabantur vero ex majori „ parte apud Bosnam, quia erant Pictores optimi, & in auri „ fabrili arte satis exercitati: competenter etiam Latinæ & „ Sclavonicæ literaturæ habebant peritiam: sed ita erant fal- „ lente Diabolo in baratrum hæreticæ pestis immersi, ut non „ solum impiam hæresim obcæcato corde crederent, sed etiam

„ sce-

„ ſceleſtis labiis prædicarent. Hos invenit Bernardus Spalati „ commorantes, multoſque jam peſtiferi dogmatis tabe ab eis „ infectos. Cœpit ergo paulatim eos ad Catholicam normam „ miti ſermone allicere, frequenter eos convocans, frequenter „ exhortans. Sed quum illi hæretica calliditate tergiverſantes „ diſſimularent converti, ſtatim Archiepiſcopus fecit „ omnia bona eorum diripi, eoſque anathematis vinculo innodatos, „ cum magno opprobrio de civitate expelli. Tunc prædicti „ fratres videntes ſe maximis injuriis damniſque affectos, „ ad mandatum Eccleſiæ ſunt reverſi: fecitque eos Archiepiſcopus „ ſuam hæreſim tactis Sacroſanctis Evangeliis abjurare, „ ipſoſque ab excommunicationis nexu debita ſolemnitate „ expediens, ipſorum bona reſtitui fecit. Sic autem „ omnes illi, qui per ipſos decepti fuerant, ab hæretica ſunt „ contagione mundati.

III. Honorii III. per legatum Aconcii Subdiac. &Capellanum, perque literas ſtudia ad exterminandos e Boſnia, Soy, & Woſſora hæreticos Patarenos.

Sed quoniam ea hæreſis altas in Boſnia radices egerat, Honorius III. Innocentii ſucceſſor, quum Rex Hungariæ Andreas, qui fratri Emerico anno 1205. ſucceſſerat, Colocenſi Archiepiſcopo largitus eſſet Boſnæ loca, quæ ab hæretica pravitate purgaſſet, regium hujuſmodi beneficium datis *Tibure Idibus Maji, anno Pontificatus* IX. Chriſti 1225. ad Regem ipſum Andream (*a*) literis, in ſuo robore manere decrevit; Archiepiſcopum vero ipſum laudibus extulit, quod catholicæ fidei ſtudio inflammatus, ad hæreticos propulſandos ſeſe accinxiſſet, eundemque adhortatus, ut ab inceptis non deſiſteret: „ Gratum gerimus (inquit (*b*) & acceptum, quod Catho„ licæ fidei ductus amore, ad profligandos hæreticos de Bozna, „ Soy, & Woſſora; ubi tamquam lamiæ nudatis mammis pu„ blice catulos ſuos lactant, ad exhortationem bo. me. Magi„ ſtri Aconcii Subdiaconi & Capellani noſtri, Apoſtolicæ Sedis „ Legati, & aliorum bonorum virorum te viriliter accinxiſti. cetera.

IV. Gregorius IX. Papa non ſolum Judæos & Saracenos in Ungaria reprimendos curat, ſed etiam Epiſcopum

Gregorius IX., qui Honorio III. defuncto, anno 1227. ad Petri Cathedram evectus fuit, quum certiſſimis argumentis comperiſſet, traditos ſuæ curæ populos, væſanæ doctrinæ veneno extinguere, adverſaque fidei catholicæ dogmata ſpar-

I 2 gere;

a. Apud Raynald. ann. 1225. num. XXI. ex Honorii III. Regeſt. lib. 7. epiſt. 329.
b Regeſt. lib. 7. epiſt. 328.

Bosniæ, qui a recta via deflexerat, e gradu pelli jubet aliosque Antistites orthodoxos Bosnæ præfici. Zibislavum Culini successorem laudibus exornat.

gere; justo commotus zelo, Jacobo Prænestino Episcopo in Pannonia Sedis Apostolicæ Legato, qui anno 1233. effecerat, ut Andreas Rex sacramento se devinciret, Judæorum, Saracenorumque insolentiam se compressurum, datis (*a*) literis eodem anno 1233. præcepit, ut ad expurgandam ea fæce regionem, hæreticum hominem e gradu pelleret, ac plures Episcopos scientia pietateque pollentes Bosnæ præficeret. Bosnæ vero Ducem (Zibislavum scilicet, Culini successorem) qui abjurata hæresi, ad Ecclesiæ castra se contulerat, in clientelam (lib. 7. epist. 292.) accepit, ac Regi (*b*) Colomano, Andreæ filio, ne illius jura invaderet, injunxit.

V.

Idem Gregor. IX. PP. præcipit Episcopo Cumanorum, ut Vicarium sibi constituat Valachorum genti conformem, a quo ii sacramenta percipiant ne illa sibi ab Episcopis Græci ritus Schismaticis administrari cogantur.

Anno sequenti 1234. idem Pontifex Gregorius IX. lib. 8. epist. 313. Belam, Andreæ Regis majorem natu filium, hortatus est, ut Walachos Schismaticos in Cumanorum Episcopatu agentes comprimeret, uti se facturum jam ante Jacobo Cardinali Prænestino pollicitus fuerat: „ In Cumanorum Episcopa„ tu (inquiens) sicut accepimus, quidam populi, qui Vva„ lachi vocantur, existunt, qui etsi censeantur nomine Chri„ stiano, sub una tamen fide varios ritus habentes & mores, „ illa committunt quæ huic sunt nomini inimica. Nam Roma„ nam Ecclesiam contemnentes, non a Ven. fratre nostro Epi„ scopo Cumanorum qui loci diœcesanus existit, sed a quibus„ dam pseudoëpiscopis Græcorum ritum tenentibus universa „ recipiunt Ecclesiæ Sacramenta: & nonnulli de Regno Un„ gariæ, tam Ungari, quam Theutonici & alii orthodoxi, „ morandi causa cum ipsis, transeunt ab eosdem, & sic cum „ eis quasi populus unus factus, cum eisdem Vvalachis, eo „ contempto, præmissa recipiunt Sacramenta, in grave or„ thodoxorum scandalum, & derogationem non modicam fi„ dei christianæ. Ne igitur ex diversitate rituum pericula pro„ veniant animarum, nos volentes hujusmodi periculis obvia„ re, ne præfati Vvalachi materiam habeant pro defectu Sa„ cramentorum ad Schismaticos Episcopos accedendi, eidem „ Epi-

a Regest. Greg. IX. lib. 7. epist. 164.

b Anno 1233. Andreas Rex Ungariæ juramento se adstrinxit, capitula infrascripta se observaturum: „ Judæos, Saracenos, Ismaëlitas de cætero non præficiemus „ nostræ Cameræ monetæ, salibus, collectis &c. „ Adacti etiam sacramento ad hæc observanda, Bela Andreæ filius natu maximus, sceptri Ungarici hæres, & Colomannus Rex & Dux Sclavoniæ. Raynald. ann. 1233. num. 52., & 54.

„ Episcopo pro nostris damus literis in mandatis, ut Catholi- „ cum eis Episcopum, illi nationi conformem, provida de- „ liberatione constituat sibi juxta generalis statuta Concilii „ Vicarium in prædictis, qui ei per omnia sit obediens & subje- „ ctus „. Cetera. *Dat. Perusii* XVIII. *Kal. Decemb. Pontif. nostri anno* 8.

VI. Episcopum Orthodoxum in locum hæretici dejecti subrogatum laudat Gregorius IX. Papa, unacum Zibislavo Bano Bosniæ, propter eximium illorum in exterminandis hæreticis Bosnensibus studium. Item Belæ fratrem Colomanum Regem, ad cœpta adversus eosdem hæreticos urgenda adhortatur, scriptis tum ad Colomanum, & Præsules Carniolæ, Istriæ, Dalmatiæ, Bosnæ, Croatiæ, Serviæ & aliarum finitimarum provinciarum; tum ad Zibislaum Bosnę Banum, ejusque matrem literis.

Navabat eodem anno 1234. egregiam operam ad exscindendos e Dalmatia hæreticos, Belæ frater Colomanus Rex, cui aliisque (*a*) sub ejus signis in eo bello sacro certantibus Gregorius Papa Apostolicam clientelam est pollicitus, atque ad cœpta urgenda accendere est conatus. Ad delendam autem hæreticam pravitatem, quæ Sclavoniam infecerat, Legatum Apostolicum religiosi Carthusiani Ordinis misit, eaque de re ad Carniolæ, Istriæ, Dalmatiæ, Bosnæ, Croatiæ, Serviæ, & aliarum provinciarum finitimarum Præsules literas (lib. 7. epist. 542.) scripsit. Quumque Bosnensis Episcopus adversus hæreticos pro concione fulminaret, illius Pontifex eximium studium commendavit, concessitque (lib. 8. epist. 256.) ut criminum reliquias contritis hominibus, qui ad ejus concionem accederent, condonaret. Is nimirum, dejecto hæretico altero Episcopo, de quo supra dictum est, a Jacobo Cardinali Episcopo Prænestino Episcopus Bosnæ inauguratus fuerat. Uti vero hunc Episcopum, ita & Banum Bosnensem, qui puram illibatamque fidem, vicinis Principibus hæretica impietate contaminatis, servabat, Gregorius Papa laudibus exornavit, atque in suam clientelam recepit, Datis *Reate* IV. *Id. Augusti* (*b*) anno 1236. literis, in hæc verba. „ Nobili viro Zibi- „ sclao. Te, qui, sicut lætantes accepimus, inter Principes „ Bosnensis Diœcesis infectos macula hæreticæ pravitatis, „ existis quasi lilium inter spinas, prosequendo sollicite, per „ quem valeat augumentum christiani nominis auctore Domi- „ no provenire, sinceræ charitatis brachiis amplexantes, per- „ sonam & terram tuam cum bonis omnibus, quæ in præsentia „ rationabiliter possides, sub B. Petri &c. „ Illius etiam matrem (*c*) eodem beneficio est prosecutus, deque his Strigo-

a Regest. Greg. IX. lib. 8. epist. 251. 255.
b Regest. lib. 10. epist 183.
c Lib. 10. epist. 184. 185. 186.

gonienſem Archiepiſcopum ac Suffraganeos fecit certiores.

XII. Colomanum Sclavoniæ & Galiciæ ſeu Haliciæ Regem, qui & Ruſſiæ Rex dicitur, excitat Gregorius IX. ad exſcindendos e Boſnia hæreticos: jubetque, a Cumanorum Antiſtite novum Boſniæ Epiſcopum præfici: quem & dignitate Legati Apoſtolici exornat.

Verum, quum altius jam, ut dixi, radices in Boſna egiſſet hæreſis, quam ut facile convelli poſſet, ea de cauſa in Boſnam arma movere, ad id a ſummis permoti Pontificibus, coacti ſubinde Reges Hungarici. Legimus quippe biennio poſt (ideſt anno 1238.) Colomanum Sclavoniæ Ducem ac Galiciæ (*a*) Regem, Belæ Regis fratrem, magna militum caterva, Boſnæ provinciam ingreſſum, hanc occupaſſe, ac pulſis inde hæreticis, fidem inſtauraſſe catholicam. Raynaldus an. 1238. num. 53. „ In Boſna, ubi Albigenſium (*b*) hæreſis plures „ ſuo veneno infecerat, Colomanus Ruthenorum Rex Scla- „ voniæque Dux eximiam in extinguenda ea peſte operam col- „ locavit, cujus ardentem pietatem meritis laudibus extulit „ Gregorius, ac paternis literis (*lib.* 12. *epiſt.* 353.) horta- „ tus eſt, cœpta ut feliciter proſequeretur „. De ſuperni „ Regis provenire gratia gratulamur. &c. Dat. Laterani XI. Kal. „ Jan. ann. XII. Revocatam ſuorum armorum potentia ad ve- „ ræ religionis cultum Boſnam fuiſſe, ſcripſerat Colomanus „ Gregorio (*IX. Papæ*) qui ut fidem magnis laboribus in iis „ regionibus ratam excoleret, Cumanorum Antiſtiti præce- „ pit (*lib.* 12. *ep.* 53.,) novum Epiſcopum Boſnenſi Eccleſiæ „ præficere, qui ſua diligentia gregem dominicum ſervaret, „ & augeret. Quumque tanto muneri pares virtutes afferre „ Ponſa e Prædicatorum Ordine vir religioſus videretur, il- „ lum quamvis obluctantem, ejus Eccleſiæ gubernacula capeſ- „ ſere, Apoſtolica auctoritate compelleret „. Literæ Pontificiæ ad Epiſcopum Cumanum datæ *Laterani* VI. *Kal. Maji*, *Pontif. anno* XII. Chriſti 1238. Obeundæ præterea (ſubjungit Raynald. ann. 1238. num. 55.) in illis regionibus Apoſtolicæ legationis novo Epiſcopo munus impoſuit (lib. 12. ep. 352.) præcepitque, Pannoniæ Chriſti fideles ad ſacræ nomen militiæ adſcribendum ſuis cohortationibus permoveret, ut hæreticos qui Boſnæ inſederant atque in ſcelere obſirmati perſtabant, exſcinderet. Ceterum eos qui arma in ipſos gererent, in Sedis Apoſtolicæ clientelam ſuſcipiendos atque ampliſſimas Indulgentias

a Eſt autem Galicia Hungariæ provincia, Ruſſiæ contermina: unde in epiſtolis Gregorii IX. lib. 12. epiſt. 53. 352. 353. *Ruſſiæ Rex* indigitatur.

b Patareni, Valdenſes, Albigenſes, Fratricelli &c. diverſa ſunt nomina, ſed iidem fere hæretici.

tias sibi comparaturos. Archiepiscopum vero Strigoniensem (*lib.* 12. *ep.* 354.) ac Episcopos Suffraganeos, opibus suis inopiam Bosnensis Episcopi Legationis Apostolicæ dignitate aucti, levare jussit, quo Ecclesiæ splendorem in Bosnia ab hæreticis obscuratum restitueret, suum ipsi in ea re augendæ illustrandæque fidei studium ostenderent. Anno sequenti (idest, 1239.) Gregorius Pontifex quum diligentem Colomani Regis operam didicisset, quam in exstirpandis e Bosnia hæreticis, fideque catholica amplificanda collocarat, dignis eum encomiis ornavit., incitavitque, ut bene cœpta felicius prosequeretur, epistola dat. *Laterani nonis Decembris anno* XIII. (lib. 13. ep. 176.) Ut pio etiam tanti Regis studio obsecundaret, Prædicatorum in Ungaria Priorem e suis aliquos, qui operam ad confutandam hæresim excolendosque catholicos navarent, in Bosniam mittere imperavit.

VIII. Ad exstirpandos eosdem Patarenos, sive Catharos & Manichæos e Bosnia & Rama hæreticos, operam quoque suam navarunt Summi Pontifices Innocentius IV. Nicolaus IV. & Joannes XXII. Stephanus & Elisabetha Bosniæ Principes.

Innocentius Quartus VIII. Kal. Jul. Pontifex creatus, non minorem operam, ad elidendam, quæ in Croatia & Dalmatia enata fuerat, hæresim, collocandam censuit, Vasiensi Episcopo in Strigoniensem Archiepiscopum postulato literis Dat. *Anagniæ* XV. *Kal. Aug. Anno* 1. Chr. 1243. præcipiens, ut ubi humana vi opus foret, Principum auctoritatem contra divinæ contemptores adhiberet. „ Tibi (inquit lib. 1. ep. 29.) „ Legationis officium in Croatia & Dalmatia duximus committendum, fraternitatem tuam rogantes & obsecrantes in Domino Jesu Christo, quatenus indutus fortitudine ac virtute „ præcinctus, pravitatis hæreticæ maculas, quibus terræ hujusmodi Ramis, sicut accepimus, sunt infectæ, sic de ipsius „ divinæ potentiæ propitiante subsidio, per Te, ac alios ad hoc „ idoneos, abolere studeas, quod ibidem Christiana possit „ vigere religio „. *Rama*, seu *Ramia* regio, cujus fit tam in laudato Innocentii IV. diplomate, quam in Regum Hungariæ titulis mentio, pro Bosniæ regno intelligitur, estque ejus pars, versus fluvium *Ramam* in Naronem influentem, qui regioni, per quam labitur, nomen dat, in parte maritima Bosniæ, quam ab anno 1138. Belam Cœcum Hungariæ Regem possedisse, Ramæque titulo successores ejus usos, constat. Itaque Innocentius Pontifex cupiens Ramam & Bosniam ab hæresi expurgare, crucem adversus hæreticos transmittit Colocensi

censi Archiepiscopo, Sedis Apostolicæ in Hungaria Legato, literis Dat. *Lugduni* III. *Id. Aug. Anno* IV. Chr. 1246. Aliæ exstant ejusdem Pontificis ad eundem Archiepiscopum literæ datæ anno sequenti, de quibus Raynald. ad an. 1247. num. 26. „ Egregiam Rex (*Bela*) ad exscindendos e Bosnia hæreticos „ operam navare cœperat: ad quod perficiendum susceptum „ opus illum Innocentius incendit, fecitque certiorem, se „ nihil de Bosnia, nisi ex ipsius consilio atque assensu decretu- „ rum. De ea porro provincia Colocensi Archiepiscopo subji- „ cienda, extant literæ, si rem divinæ gloriæ versum iri, „ atque hæresim facilius prosternendam censeretur.

Nicolaus IV. anno 1291. scriptis ad Stephanum Serviæ Regem & ad Helenam Reginam literis, quarum supra facta est mentio, quum per Marinum Archidiaconum Antibarensem, eorum nuncium, accepisset, rogari se ab illis, ut ad partes Bosnæ, eorum ditioni subjectas, viros idoneos mitteret, qui in exstirpandis hæreticis operam suam impenderent, mandavit Fratrum Minorum Sclavoniæ Magistro, ut duos religiosos viros illuc destinaret.

Pullulantem etiam in Bosnia hæresim Joannes XXII. anno 1325. exscindere fategit, ac *Stephanum* & *Elisabetham* Bosfinenses principes excitavit, ut in ea delenda zelum explicarent. Tum Regem Ungariæ *Carolum* literis dat. Avinione Nonis Jun. anno IX. monuit, ut regia auctoritate *Fabianum* Minoritam fidei Censorem muniret. „ Frequenter, fili charissime, „ fide digna relatio Apostolicæ Sedis pulsavit auditum, quod „ principe tenebrarum ... procurante, magna hæreticorum „ caterva, de multis & variis partibus congregata, ad princi- „ patum Bosnensem in confinio Dalmatiæ constitutum, sub fi- „ duciam inibi seminandi obscænos errores tuteque nocendi, „ confluxit ... Quum igitur prædictorum hæreticorum nefan- „ da, sed eliminanda seductio in dicto Principatu, sicut asse- „ ritur, jam multas animas labe respersperit, seu infecerit hæ- „ reticæ pravitatis; dictusque Principatus tuæ, sicut accepi- „ mus, sit ditioni subjectus „. Cetera apud Raynald. ann. 1325. numer. 28. Ad eundem Carolum Hungariæ Regem exstant Jo: XXII. Papæ literæ datæ anno 1327. quibus ad purgandam Bosniam, in qua vetus Catharorum & Manichæorum lues

hæse-

hæserat, Carolum Regem Ungariæ ad Dalmatiæ & Bosniæ hæreticos delendos adhortatur Tom. 6. Part. 1. pag. 57. & 60. apud Raynald. ann. 1327. num. 48.

IX. Bened. XII. orthodoxos Bosnæ, Corbaviæque Principes adversus hæreticos excitat. Series Bosnæ Banorum post Culinum usque ad ann. 1368.

In Bosnia quum anno 1337. hæreses recrudescerent, ac Stipocius Banus hæreticis faveret, Benedictus XII., servandæ incorruptæ religionis studio finitimos Principes, ut arma in hæreticum Banum corriperent, excitavit scriptis literis Tom. 3. epist. Secr. 123. ad 128. atque inter cæteros Neliptius Comes Tunensis, Budislavus, Gregorius & Paulus Corbaviæ, Daymo & Bartholomæus Segniæ, Paulus & Georgius Clussiæ, Paulus Esternicæ, Constantinus Cluci Comites a Pontifice excitati ad Fidei Censores sua potentia & auctoritate fulciendos. Quis vero fuerit iste *Stipocius*, qui Banus Bosniæ a Benedicto XII. anno 1337. appellatur, ex iis colligitur, quæ Cangius ex Lucio lib. 4. de Regno Dalmatiæ cap. 13. refert pag. 328. cap. 8. de Bossinensibus Banis ac Regibus. Is enim postquam Culino Bano Zibisclavum circa ann. 1236. successisse, & Zibisclavo Ninosclavum circa ann. 1244. suffectum dixisset, subjicit num. XIII.
„ Paulus Stepconis Dalmatiæ & Croatiæ Bani filius, non modo
„ in parentis dignitatem successit, sed & Serviensem Banatum,
„ regnante (a) Uladislao Ungariæ Rege, comparasse dici-
„ tur. Quin etiam Gregorius, Stephani frater, pleraque Dal-
„ matiæ maritima oppida occupavit; ex quo Comes maritimus
„ primo, deinde Dalmatiæ Comes appellatus est. Is succes-
„ sorem habuit Gregorium, cognomento magnum, Pauli
„ Bani filium secundogenitum. Unde Paulus præpotens prin-
„ ceps suo ævo habitus, ut qui mediterraneas, filius vero ma-
„ ritimas Dalmatiæ regiones obtineret. Fœdus iniit cum
„ Corbaviensibus, coëgitque anno 1284. Scardonæ incolas
„ sibi ac Ursæ conjugi aliquot reddi agros oppido vicinos. Sed
„ & tamquam Banus complura Arbensibus indulsit privilegia,
„ dato diplomate Scardonæ anno 1307. in quo *Paulus Banus*
„ *Croatorum & Dominus Bosnensis* inscribitur. Mladinus Pauli
„ filius, princeps Croatorum & Bosnæ, superstite Paulo, ad-
„ huc inscriptus legitur in aliquot diplomatibus anno 1302.
„ quem quidem titulum servavit, quousque ab Hungariæ Re-

a Uladislaus, seu Ladislaus, Regnum Ungariæ tenuit ab anno 1272. usque ad ann. 1290. quo obiit.

„ ge Carolo captus eſt circa ann. 1322. Stephanum, qui Mla-
„ dino ſucceſſit, eum eſſe, qui Stephanus Boſinenſis indigita-
„ tur a Madio, fuiſſeque dicitur ex Boſinenſibus ac Croatenſi-
„ bus Proceribus, qui in Mladinum rebellarunt anno 1322.,
„ proindeque, quemadmodum cæteri ex iiſdem Croatiæ ma-
„ gnatibus hujuſce provinciæ oppida occupavere, ita & Ste-
„ phanum Boſinæ principatum ſibi aſſeruiſſe, licebit conjicere.
Is nempe fuit, qui a Benedicto XII. anno 1337. *Stipocius*, pro Stephano, nuncupatur: habuit autem inter cæteros liberos, Orbino teſte, *Stephanum* in principatu ſucceſſorem, *Mirolavum* cognomento Conſtantinum, *Uladislaum* Twartki Boſniæ Regis patrem, *Danizam*, & *Catharinam*, Andreæ Chelmenſis Comitis ex filio nepoti nuptam. Daniza Romam peregrinationis gratia profecta, in eadem urbe vitam finivit, ſepulta in æde ſacra ſanctæ Mariæ ſupra Minervam, cum hoc epitaphio: *Hic jacet Diana Illyrica*. Verum Stephanus, Stephani Bani filius, Raguſinorum auxilio Boſnenſem Principatum adeptus, Chelmenſem Comitatum, quem uſurpaverant, Brani voënſibus eripuit: cujus quidem provinciæ Comitem ſeſe inſcribebat anno 1326., hocce titulo: *Liber Princeps*, & *Dominus Boſnæ*, *Veſoræ*, *Salæ*, *&* *plurium aliorum*, atque *Chelmi Comes*. Amicitiam cum Hungariæ Rege Carolo coluit, & Ludovico Regi cum copiis adfuit, quum is Jaderam obſedit anno 1345. & quum in rebellantes Croatas expeditionem paravit. Mortuus eſt anno 1357. Eliſabetham uxorem habuit: ad quam & ad virum Stephanum anno, ut ſupra dixi, 1325. literas dedit Joannes PP. XXII. ut Patarenorum hæreſim e Boſnia profligarent. Similibus epiſtolis eundem Stephanum urſit Benedictus XII. anno 1340. dat. *Avinione* 11. *Kal. Mart. anno* VI. Quum enim Geraldus ſupremus Minoritarum præpoſitus, precibus Caroli Regis Ungariæ in eam provinciam ſe contuliſſet, Banus Stephanus obviam illi progreſſus, conceptum animo delendæ hæreſeos conſilium aperuit: qua de re Pontifex Geraldo hiſce verbis eſt gratulatus: „ Idem Banus tibi obviam occur-
„ rens in via, te honoranter recepit, & a te verba Catholicæ
„ veritatis & ſalutis libenter audivit, tibique aperuit propoſi-
„ ti ſui votum, per quod evidentius cognoviſti, quod bonam
„ voluntatem gerit ad exſtirpandum de Principatu Boſnenſi cun-
„ ctos

„ ctos hæreticos degentes ibidem, dummodo Nos & Sedes „ Apostolica, & idem Rex Ungariæ sibi super his favorabili„ ter assistamus: quorum favorem sibi oportunum æstimat „ propter Schismaticos, quos habet suæ terræ vicinos, quo„ rum Schismaticorum auxilium dicti hæretici invocarent, si „ se de terra prædicta cognoscerent exstirpandos „. Vide Raynaldum ad annum 1340. numer. 73. ubi excerpta refert literarum, quas Pontifex tum ad Carolum Ungariæ Regem, tum ad eundem Stephanum Banum Bosniæ hac de re scripsit.

X.

Sequitur Series Bosniæ Principum ab anno 1368. ad ann. 1478. quo Catharinæ Reginæ Bosnensis in Ecclesia S. Mariæ in Ara cæli sepultæ Epitaphium Slavonicum, exponitur, & a mendis expurgatur.

Qui Stephano in Bosnæ Principatu successit *Twartkus*, ejusdem ex fratre *Uladislao* nepos, anno Chr. 1368. a Milescevensis Monasterii Metropolitano in loci æde sacra corona donatus & *Stephanus Myrces* appellatus, *Wchicum* juniorem fratrem, *Stephanum* etiam dictum, propter catholicam, quam is profitebatur religionem, odio prosequebatur; ipse vero Twartkus hæresim hæreticosque fovebat, uti ex literis Urbani V. ad Ludovicum Ungariæ Regem anno 1369. datis supra narratum est. Aliis proinde literis Urbanus V. eundem Vuchicum Stephanum ad constantiam excitavit, ut fratris odia, causa religionis suscepta, magno animo toleraret. Quumque idem Pontifex certior esset factus, hæreticos e Bosnia in finitimas provincias se conferre, Spalatensi & Ragusino Archiepiscopis eorumque Suffraganeis epistola dat. *Romæ apud S. Petrum Id. Novemb. anno VIII.* Chr. 1369. mandavit, ut eos anathematizarent, qui hæreticos Bosnenses exciperent, vel cum ipsis mercium commutationem inirent. Missi sunt ab eodem Urbano V. anno 1370. ex Ordine Minorum quatuor Episcopi in „ Albaniam aliasque vicinas provincias, ut Schismaticos ad gre„ gem Dominicum adducerent: quos Archiepiscopo Dyrrha„ chiensi, ac Strazimiro, Georgio, & Balsæ Zupanis (*a*) „ Zentæ, quos fidem orthodoxam amplecti ante decrevisse „ vidimus, tum universis Albaniæ Catholicis commenda„ vit „. Pacifice porro vixit deinceps Twartkus, ac prospere regnavit: mortuo enim Ludovico Ungariæ Rege [qui supremum Bosnensis Regni, quoad vixit, sibi reservavit dominium] Chelmensem Comitatum recuperavit; Ivaniscum seu Joannem Ba-

a Apud Raynald. ann. 1370. num. 8. *Zupanis Gentæ*, perperam.

num, viribus suis juvit adversus Hungaros: Spalatum, Tragurium, & Sebenicum iisdem extorsit, Turcosque Bosniam ingressos fudit & delevit. Obiit anno 1391., quumque ex legitimis uxoribus Dorothea filia Strascimiri Vidinensis, Imperatoris Alexandri Bulgariæ Regis filii, & ex Jalizza nobili Bosnensi, nullos liberos reliquisset, ex *Vucosava* concubina *Twartkum Scurum* filium nothum suscepit, qui post *Dabisciæ* (*a*) mortem Bosnensis Rex renunciatus, decessit anno 1443.; æmulos in Regno nactus *Ostojam Christichium Pauli Christichii* ex *Jablanovichiorum* familia filium, & *Stephanum Ostochum*, seu *Ostojam*; quorum primus obiit anno 1435. relicto filio *Radivojo*: alter celebs anno 1422.; ipse vero Thwartkus Scurus in diplomate anni 1435. *Stephanus Dvertho Dei gratia Rex Bosnæ* inscribitur: quibus nominibus ac titulis donatur etiam a Luca Waddingo. Cangius pag. 331. de Bosnensibus Banis ac Regibus, num. XXI. „ Nestoriana [inquit] perinde ac decessores, „ hæresi infectus, ad Basileense Concilium Legatos suos mit- „ tere renuit „. Fortasse, pro *Nestoriana hæresi*, dicere voluit, Thwartkum ejusque decessores infectos fuisse hæresi *Patarenorum*, seu *Manichæorum*, uti ex supra dictis perspicuum redditur. Subjungit enim idem Cangius num. XXII. de ejusdem Thwartki successore: „ Stephanus Thomascus, seu Thomas, „ Pauli Jablenovichii filius, extincto Thwartko, a Bosnensibus „ proceribus Rex continuo acclamatur. Quumque esset Ma- „ nichæus, ac proinde nondum baptizatus, abjurata hæresi, „ baptismum excepit a Jo. Carvajalo S. R. E. Tit. S. Angeli „ Cardinale. Sed & Manichæos omnes, qui verum cultum „ una amplecti abnegarent, Regno exegit anno 1459. „ Huic Eugenius Papa coronam obtulit, & Pontificales Eccle- „ sias in Bosnia voluit erigere. Renuit ille, ne Turcorum in „ se odium provocaret, quum præterea novus Christia- „ nus esset, nec Manichæos adhuc Regno expulisset. In ea, „ quæ a Christianis Principibus adversus Turcos inita est con- „ fœderatione [quibus viginti quinque millium aureorum tri- „ butum quotannis pendebat, ex quo in Bosniam cum valido „ exer-

a Mortuo anno 1391. Stephano Thuvartko Rege, *Stephanus Dabiscia*, Miroslavi, Stephani Bosnensis Bani fratris, filius nothus, in Regnum successit, illudque tenuit usque ad ann. 1396. quo obiit.

„ exercitu irrumpens Amurathes II., hac pacta conditione recesserat] nomen dare Thomam hortatus est Callistus III.PP. „ scriptis ad eum literis, in quibus Stephanus appellatur, nomenclatura cæteris Bosniæ Principibus communi, uti scribit „ Gobelinus. Atque iis adjungere se velle primum finxit, „ missis postea ad Pium II. Callisti successorem Legatis. Verum in alterum mutatus virum, Turcorum partes statim amplexus, cum Sultano Mahometo II. qui Jaiczæ aliorumque „ Bosniæ oppidorum explorandorum gratia venerat, agnitusque ab eo deinceps fuerat, spiritualem quamdam fraternitatem, dimisso libero, contraxit juravitque. Quo cognito, „ ira succensus Hungariæ Rex Matthias, Stephanum filium & „ Radivojum fratrem, religionis specie, in eum concitavit, „ a quibus in lecto strangulatus est in Bielaxensi agro, quum „ in Croatiam venisset, Vukmano Croatiæ Bano bellum illaturus. Uxor Catharina, Stephani Cossacia Sancti Sabæ Ducis filia, conjugis accepto nuncio, Mahometum in Bosniam „ evocavit, quo condignum de parricidis supplicium exigeret. At ille hac captata invadendi Regni occasione, in Bosniam cum validissimis copiis descendit, ac primo quidem „ anno agros vastasse, captivosque abduxisse contentus, domum rediit. At Regina Turcorum agnitis consiliis, e Bosnia „ excessit, Stagnumque, tum Romam venit, ubi & obiit „ die xxv. Octobris anno 1458. annorum 54. nata. Et „ in æde sacra Deiparæ de Aracæli humo condita, ubi duplex ejus Epitaphium legitur, alterum Latina, Sclavonica „ alterum lingua exaratum. Utrumque cum Tumuli descriptione, ipsiusque Reginæ effigie, & armorum insignibus dedit nuperus Ciaconii in Cardinalium historia Continuator & „ illustrator „. Latinum Cangius describit sic. „ D. O. M. „ Catharinæ Reginæ Bosnensi, Stephani Ducis Sancti Sabæ sorori, ex genere Helenæ & domo Principis Stephani natæ, „ Thomæ Regis Bosnæ uxori, quantum vixit annorum LIV. „ & obdormivit Romæ Anno Domini MCCCCLVIII. die xxv. „ Octobris. Monumentum ipsius sumptibus positum „. Verum Slavonicum Epitaphium sic (a) habet: „ Катарин.

„ Кра-

a Græcis literis Slavonicas exprimo.

„ Κραλιζε . Βοσανσκον . Σπιπανα . Χερζεγα . Σβετογα . Σαβε .
„ Σποροδα . Ελινε . и . Κυτζε . Ζαρα , Σπιπανα . Ροειи . Το-
„ μαζζια . Κραλα . Βοσανσκογα . Ζεnи . Κοιζиβи . Γοδиnи .
„ и . νδ . и . πριμиνυ . ς . Ρиμи : να . λиτ̃ɤ . Γνα̃ . ου . и.
„ ο . и . λиτο . να . χ . χε . δνи . Οκτβρια . Σπομиνακ .
„ νε . πиσμομ . ποσ̃ɤβλεν . Catharinæ . Reginæ . Bosnen-
„ si . Stephani . Ducis . Sancti . Sabæ . ex . genere .
„ Helenæ . & . Domo . Principis . Stephani . natæ . Tho-
„ mæ . Regis . Bosnensis . uxori . Quantum . vixerit .
„ annorum . LIV. & . obiit . Romæ . Anno . Domini .
„ M. CCCC. LXX. VIII. anno . XXV. die . Octobris .
„ Monumentum . ipsius . sumptibus . positum . „ Error itaque est in Anno Domini *MCCCCLVIII.* quum Slavonica Inscriptio disertim habeat *Annum MCCCCLXXVIII.* Porro hæc *Catharina*, quæ *Thomam Bosniæ* Regem maritum habuit, filia fuit *Stephani Cossaciæ*, Ducis Sancti Sabæ, eademque soror *Ladislai*, *Wlatki*, *Stephani*, & *Mariæ*, quorum hæc ultima *Joanni Zarnoevichii Zarnagoræ* seu Montis nigri, domino nupsit; *Ladislaus*, & *Wlatkus*, post Stephani patris obitum, paternam hæreditatem inter se partiti, primus Ducatus sancti Sabæ partem superiorem, alter inferiorem occupavit, uterque forte sua haud diu potiti, a Turcis sub Bajazete II. ditionibus suis exacti, Ragusium, hinc in Arbensem insulam apud Zarnoticchios concessere, ubi Vvlatkus vitæ finem fecit; Ladislaus vero in Hungariam deinde transiit, Ducis S. Sabæ titulo semper donatus, his verbis: *Dux Primorski*, *Dominus Hlum*, & *Custos Sepulcri Sancti Sabæ*. *Stephanus* filiorum postremus, quum Mahometo II. a patre obses datus esset in tributi, cui sese obstrinxerat, securitatem, ejurata Christiana religione, Turcicam sectam amplexus & *Achmet* dictus, *Achmetis* Sultani filiam Phatimam in uxorem obtinuit, ex qua *Mahometum* & Achmetem, aliasque præterea filias genuit, ut scribit Flavius Comnenus. At *Stephanus*, horum & Catharinæ pater, filius fuit *Vvkasii*, & patruo *Sandalio* anno 1435. defuncto, in S. Sabæ ducatum successit, familiæ *Hrana* seu *Hranich*, in *Cossaciæ* cognomen mutato, obiitque Dracevizæ haud procul a Castro Novo anno 1466. *Vvkasius* Stephani pater, *Vvlatkum* parentem habuit, *Vvko* cognomento *Hrana* natum, qui *Vvlatkus*, Thuvarki

varki primi Bosniæ Regis gratiam promeritus, Vaivodæ dignitate donatus est; quumque egregiam eidem Thuvarko operam in profligandis Turcis impendisset, universam regionem, quæ sancti Sabæ Ducatus appellatione postmodum donata est, ab eodem Rege obtinuit, filiis quatuor ex conjuge relictis, *Sandalio* scil., *Vukaso*, *Vuko*, & *Vucbico*: quorum duo postremi interfecti sunt; *Sandalius* autem qui & *Sandal*, cognomento *Hranich*, ab *Ostoja* Serviæ Rege, cui operam suam adversus Hungaros anno 1410. & adversus Turcos anno 1414. impenderat, multis prædiis præter S. Sabæ Ducatum, donatus, obiit anno 1435. nullis ex Maria conjuge susceptis liberis. Unde in ejus hæreditatem successit Stephanus ex fratre Vukaso nepos, uti modo dicebam.

XI. Animadversiones in Cangium de Stephano Thoma ejusque filiis & successoribus, Bosniæ postremis Regibus, deque Catharina Regina Romæ sepulta.

Atque hæc de Bosniæ Principibus juxta mentem Cangii retuli: qui addit num. XXIII. de Stephani Thomæ successore: „ Stephanus parenti in Bosinense Regnum successit, quem „ morbo familiari, uti diximus, mortuum in vulgus disse„ minavit. At fraude ab honorario puero detecta, Turcos „ qui parricidium ulciscerentur, evocavit Catharina conjux. „ Stephanus interea Nicolai Modrusensis Episcopi ac Ponti„ ficii Legati suasionibus, cum Mahumeto fœdus rupit, ne„ gato consueto tributo, illiusque cum insolenti responso di„ missis Legatis, coactisque a decessoribus immensis thesauris „ in virium ac potestatis speciem ostensis, si ab iis bello impe„ teretur. Ea contumelia mirum in modum permotus Sul„ tanus, proximo anno cum centum & quinquaginta millium „ equitum exercitu, præter pedites, Bosinam ingressus, „ Bobazium munitissimum in monte situm oppidum, quodque „ Bosinæ Regni caput fuit, a Radace olim Manichæo, dein„ de Christianum mentito, per proditionem recepit. Tum „ evocatus Bassa Mechmetus cum coactis ex Europa copiis fu„ gientem Regem secutus, Jaicza quo se cum thesauris con„ tulerat, abiisse invenit; eumque magnis itineribus conse„ cutus, in castello Clutio clausit, & arcta cinxit obsidione. „ Ille quarta demum die fame & siti coactus, sese cum omni „ thesauro, quem quinque Reges tot annis congregaverant, „ fidei Bassæ credidit; quem Sultanus ad se ductum multa „ spe demulcens, facile induxit. ut oppida quæ in sua pote„ state

„ ſtate reſtiterant, reddi juberet, plura & meliora a ſe de-
„ nique expectaturus. Scribitur præfectis arcium, ut claves
„ munitionesque tradant: parent omnes; atque ita octo fer-
„ me dierum ſpatio amplius ſeptuaginta natura & arte muni-
„ tiſſima oppida in manus hoſtium pervenere. Regi paucis
„ poſt diebus contra fidem datam caput abſciſſum, & cum eo
„ alti ſanguinis plerique in Blagajenſi agro necati: quos inter
„ extitit Radivojus Regis frater „. Et poſt pauca circa ipſius
Regis mortem, quem ait Cangius, ex Paulo II. & Pio II. Pontificibus, propria Sultani Mahumetis manu truncatum fuiſſe conſtare: „ Stephani Regis uxor Maria, Lazari Serviæ
„ Deſpotæ filia, ſeu, ut alii volunt, Soror, dum perdito
„ Regno, viroque capto ab hoſtibus, furorem Turcorum fu-
„ gitat, in manus Pauli Sclavoniæ Bani pervenit, a quo tam-
„ quam hoſtis eſſet, captiva eſt retenta, theſauris omnibus
„ quos ſecum adduxerat direptis, quamvis ad eum quaſi hoſpi-
„ tem declinaſſet. Cujus perfidiæ ac violati hoſpitii pœnas
„ tandem perſolvit Banus, a Turcis, dum agrum ſuum va-
„ ſtantibus occurrit, circumventus & occiſus. Maria ejus
„ manibus elapſa, unacum matre in Hungariam, Catharina
„ vero Rodoslai Paulovichii Soror ac Radivoji Regis fratris
„ uxor, cum Gliubeſcia filio, aliiſque Boſinenſibus proceri-
„ bus Raguſium venere.

Verum miror, Cangium diligentiſſimum cæteroquin veritatis hiſtoricæ indagatorem, a Luccario & quibuſdam aliis Illyricarum rerum ſcriptoribus in tam turpem errorem abduci ſe ſiviſſe,ut Stephanum Thomam, Oſtojæ filium nothum & Catharinæ virum, Pauli Jablenovichii filium fuiſſe diceret, eumque a Stephano & Radivojo filiis,Matthiæ Uungariæ Regis ſuaſionibus, impie ſtrangulatum; Stephanum vero, ejuſdem Stephani Tomæ filium legitimum, nothum appellaret. Fabulam hanc a Raguſino Scriptore excogitatam,& a Cangio bona fide hauſtam, authenticis Summor.Pontificum ſcriptorumque Synchronorum documentis confutandam ſuſcipio, demonſtraturus, poſt illas Oſtojæ, & Thuuartki Scuri concertationes, Stephanum Boſnæ Regem, Catharinæ conjugem, Oſtojæ Regis filium nothum, patre anno 1435. defuncto, Regnum Boſnæ occupaſſe, illudque tenuiſſe uſque ad annum exeuntem 1462. quo obiit: ei-

que

que successisse filium Stephanum, qui anno 1463. fuit a Sultano contra datam fidem occisus; Catharinam autem Stephani hujus postremi matrem, & prioris uxorem, eandem ipsam fuisse, quæ Romæ anno 1478. obiit, quemadmodum supra dixi. Itaque Eugenius IV. Papa in literis (*a*) ad Andream in sacra pagina Magistrum, Rectorem Parochialis Ecclesiæ in Glanesk in Prussia. Dat. *Romæ apud S. Petrum anno* 1444. III. *Non. Sept. Pontificatus XIV.* agit de perfecta jam a se Græcorum, Armeniorum, Jacobitarum, Nestorianorum, ac Bosnæ Regis cum Ecclesia Catholica conjunctione: „ Dilecte fili, „ tuam devotionem scire non dubitamus, nos post sacratissimam unionem Græcorum cum Ecclesia Occidentali, magnis laboribus & expensis per nos factam, Armenios etiam „ in ovile Dominicum, & Jacobitas, Nestorianosque, ac Regem Bosnæ ad bonam frugem Christianæ fidei reduxisse „. Qua de Regis Bosniæ reductione in epist. Benedicti Ovetarii Vicentini, Regis Cypri ab epistolis, ad Petrum Donatum Episcopum Patavinum data ex Urbe Kal. Octobris anno 1442. (apud Martene Tom. I. Veter. Monument. col. 1592.) hæc leguntur: „ His diebus venit ad Sedem Apostolicam Dominus „ Ferrariensis cum quodam Legato Regis Bosniæ; & in publico Consistorio, Regis nomine & totius Regni, dogma „ Manichæorum ipse Legatus abjuravit, Romanamque fidem „ & traditiones nostras meliores esse confessus est „. Porro hunc Bosniæ Regem non alium a Stephano Thoma fuisse, patet ex ejusdem Eugenii IV. literis (*b*) Dat. *Romæ apud S. Petrum Anno Inc. Dom.* 1445. IV. *Kal. Junii*, *Pontific. XV.* in quibus, quum Stephanus Rex veteres Manichæorum errores damnasset, quumque pio studio æstuans, hæreticos e Regno Bosniæ (quam Raynaldus *Dardaniam* vocat) exscindendos suscepisset, justorum natalium privilegio donatur, ut sceptrum cum dignitate gereret, atque eximio elogio exornatur, his verbis: „ Charissimo in Christo filio Stephano Thomæ, „ Bosnæ Regi illustri, salutem &c. Attendentes, quod postquam ob multarum magnarumque virtutum dona, quibus „ per-

a Apud Raynald. ann. 1444. num. 2.
b Raynald. ann. 1445. num. 23.

„ personam tuam illarum largitor Dominus insignivit, in Re-
„ gium culmen conscendisti, purum te atque incontaminatum
„ ab hæreticorum, qui prædicti Regni partes jamdiu obtinue-
„ runt, vulpina & fraudulenta versutia & pestiferis fallaciis,
„ ut Catholicus Princeps, conservasti; nec solummodo Nos
„ in verum Summum Romanum Pontificem Jesu Christi in-
„ dubitatum Vicarium, ac B. Petri Regni cœlestis clavigeri
„ unicum successorem, pure ac simpliciter recognovisti; ve-
„ rum etiam extento brachio Regiæ Majestatis, Nos, Eccle-
„ siam, & Fidem orthodoxam a Schismaticorum & hæretico-
„ rum lupina rabie defensas, ipsosque de tui Regni finibus ex-
„ stirpare studes: ac insuper quod defectum natalium, quem,
„ ut ipse asseris, pateris de Ostoya clar. mem. Bosnæ Rege
„ genitore tuo uxorato, & cum alio conjugata natus, quam-
„ plurium virtutum favoribus redimis; tuis in hac parte sup-
„ plicationibus inclinati, tecum, ut in præfato Regno Bosnæ
„ ac quibuscumque aliis Regnis, Dominiis, civitatibus, ter-
„ ris, castris, villis, cæterisque bonis omnibus dicti genito-
„ ris, ac agnatorum, & cognatorum, nec non aliorum quo-
„ rumcumque, tam ex testamento, quam intestato, etiam
„ cum præjudicio quorumcumque succedentium, ab intestato
„ succedere, nec non ad quascumque etiam Regias & majores
„ dignitates ac honores assumi & præfici, eaque gerere &
„ exercere libere ac licite valeas, perinde ac si de legitimo
„ thoro natus esses; authoritate Apostolica, tenore præsen-
„ tium, de specialis dono gratiæ dispensamus: Teque ad jura
„ naturæ, & quoslibet actus legitimos reintegramus; appro-
„ bantes etiam assumptionem de Te factam ad Regium cul-
„ men, ac omnia & singula per te in eo gesta; Tibique con-
„ cedentes, quod in omnibus gratiis pro te, vel per Te de
„ cætero a Sede Apostolica quomodolibet impetrandis, nul-
„ lam de defectu & dispensatione hujusmodi mentionem face-
„ re tenearis „. Non ergo hic Stephanus Thomas, fuit filius *Pauli* Jablenovichii, neque a Jo: Carvajalo S. R. E. Cardinali baptizatus (uti Cangius asserit) quum expresse dicatur patrem habuisse *Ostoyam Regem*, quumque Jo: Carvajal non ante annum 1446. in Sacrum Cardinalium Collegium ab Eugenio IV. cooptatus sit, uti constat ex literis ejusdem Euge-

genii IV. ad ipſum (*a*) *anno* 1446. XVII. *Kal. Januar.* ſcriptis. Quid? quod Thomas iſte Boſnenſis, non a Carvajalo, ſed a Thoma Pharenſi Epiſcopo diſertim perhibetur, ad orthodoxam fidem traductus: ſic enim ſcribit Raynaldus ad annum Chr. 1449. Nicolai V. Papæ tertium, num. 9. „ Non „ modo in excidendo Schiſmate, verum in tuenda illibata „ fide atque ab impiorum erroribus vindicanda ſollicitam cu„ ram poſuit Nicolaus. Quum enim ineunte Pontificatu ſuo „ (*b*), Manichæorum ſectam repullulaſſe in Boſna ac late „ graſſari accepiſſet, Thomam Epiſcopum Pharenſem, cu„ jus opera Stephanus Thomas Boſnæ Rex jam ante ad fi„ dem orthodoxam traductus fuerat, ampliſſima fretum au„ ctoritate eo legavit: qui poſtea Romam reverſus, Pontifici „ ſignificavit, oſtenditque Manichæam luem adeo regiones „ illas infeciſſe, ut ad eam abolendam ferro opus eſſet. „ Quocirca Nicolaus eidem Epiſcopo gerendæ Legationis mu„ nere iterum aucto, poteſtatem dedit, ut Chriſti cultores „ ad capeſſenda adverſus contumaces hæreticos arma concita„ rent, iiſque ampliſſima Indulgentiarum præmia largiretur. „ Implicatus inter alios Manichæorum erroribus erat Stepha„ nus Wayvoda, Regis Boſnæ Socer, qui quamvis ample„ ctendæ fidei orthodoxæ propagandæque in ſuo Principatu, „ pii deſiderii ſpecimen præbuiſſe tuliſſet, haud tamen ad „ eoſdem errores deponendos a Legato adduci potuerat: ne„ que ſcelere inferior erat Joannes Paulonich Wayvoda, qui „ Fidem Catholicam antea profeſſus, priori impietate ſe con„ taminaverat. Nonnulli etiam religioſo induti cultu, ſub „ pietatis larva hæreſim fovebant, & a Legato appellati, ut „ de orthodoxa religione cum ipſo agerent, ad conſtitutum „ locum non acceſſerant. Hos igitur Pontifex fidelium com-

a Raynald. ann. 1446. num. 5. Eugenius &c. Nuper de perſona tua Placentinæ Eccleſiæ tunc Paſtore carenti authoritate Apoſtolica providimus, teque illi præfecimus in Epiſcopum & paſtorem: ac hodie penſatis grandium virtutum meritis . . . ut Eccleſiæ univerſalis onera nobiſcum perferas, ad Cardinalatus honorem duximus aſſumendum.

b Nicolaus V. Papa, antea dictus Thomas Tit. S. Suſannæ Presb. Card. Bononienſis, die Lunæ, quintadecima Martii, anno a Nativ. Dom. 1447. Ind. x. per Rmos Dnos S. R. E. Cardinales in Monaſterio B. Mariæ de Minerva ad ſummi Apoſtolatus apicem concorditer aſſumptus eſt. Raynald. anno 1447. num. xv. ex Cod. MSS. Vat.

„ munione ejectos ab eodem Legato renunciari juſſit: contu-
„ lit etiam jus Catholicis, ut eorum terras opeſque invade-
„ rent, atque in ſuam redigerent poteſtatem, aliaſque pœnas
„ impiis hominibus irrogavit; tum Eccleſiaſticis cenſuris illos
„ perculit, qui commeatus in Wayvodarum ipſorum ditio-
„ nem inveherent. De quibus hoc diploma eidem Epiſcopo
„ Legato tradidit. „ Ven. Fratri Thomæ Epiſcopo Pharenſi
„ in Regno Boſnæ & circumvicinis partibus A. S. L. Quum,
„ prout tua fraternitas nuper ex partibus dicti Regni ad Nos
„ perſonaliter accedens, ſua nobis relatione monſtravit, Cha-
„ riſſimus in Chriſto filius noſter Stephanus Thomas Rex Boſ-
„ næ illuſtris, qui a paucis retro temporibus a veritate Ca-
„ tholicæ Fidei devius, Manichæorum hæreſis labe infectus
„ cum ſubjectis ſibi populis longius aberrabat, veluti obedien-
„ tiæ filius ſalutaria monita Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ per
„ te, Venerabilis Frater Epiſcope, quem ad partes dicti Re-
„ gni fel. rec. Eugenius PP. IV. Prædeceſſor noſter ob eam
„ cauſam tranſmiſerat, audiens omni depoſito errore verita-
„ tem Catholicæ Fidei ſuſceperit, ac profeſſus fuerit; rema-
„ neantque nonnulli ejuſdem hæreſis labe infecti, tam Nobi-
„ les & Barones, quam alii, qui Religioſi nuncupantur, inter
„ quos primus & præcipuus Stephanus Vaivoda Socer dicti
„ Regis, licet olim ad præfatum Eugenium Oratores ſuos mi-
„ ſerit, ac Prælatum aliquem ad ſe dimittendum pro cauſa
„ reductionis hujuſmodi poſtulaverit, tuque ad eum tranſmiſ-
„ ſus fueris, neque tamen, licet eum inſtanter requiſiveris ac
„ monueris, ad errores hujuſmodi deponendos compellere
„ potuiſti, & licet memoratus Stephanus dudum paulo poſt
„ aſſumptionem noſtram ad Summum Pontificatum ſuos ad
„ Nos Oratores miſerit, ac obedientiam verbalem tantummo-
„ do Nobis exhibuerit, quoniam ipſum Catholicum Chriſtia-
„ num eſſe aſſeruerunt, non tamen propterea ipſum, quoniam
„ rei veritas prætermiſſa fuit, pro Catholico reputamus:
„ Joannes vero Paulonich Vaivoda, prout accepimus, a tri-
„ bus annis citra Catholicam Fidem profeſſus, jam ſecundo
„ velut canis ad vomitum ſuum rediens, a Fide Catholica de-
„ viavit; illi vero, qui Religioſi appellantur, quum tua fra-
„ ternitas eos nonnunquam requiſiverit, ut de veritate Fidei
„ Ca-

„ Catholicæ inter te atque ipsos tractaretur, promiserunt, se „ quidem id facturos esse, atque ad eam rem locum & diem „ certum statuerunt, demum te ad diem & locum accedente „ & paratum te offerente, illi contra promissa sua venientes „ ad locum ipsum accedere contempserunt „. *Cetera*. Dat. *Romæ apud S. Petrum anno* 1448. *Kalend. Februarii Pontificatus nostri anno II.* hoc est, Chr. 1449. Obdurnere autem adeo in perfidia Hæretici illi [Manichæi scilicet in Bosniæ Regno degentes] ut quum eos, ex Pharensis Episcopi consilio, armis edomandos sacra expeditione Nicolaus V. PP. censuisset, ipsi anno 1450. vocatis in auxilium Turcis, periculosum bellum adversus Stephanum Thomam Bosniæ Regem concitarint. Quo vero Stephanus felicius illud conficeret, Nicolaus omnes sub ejus signis adversus Manichæos Turcosque militantes, amplissimis Indulgentiis donavit, diplomate dato, *Romæ apud S. Petrum anno Inc. Dom.* 1450. *Idib. Jun. Pontif. IV.* cujus initium: *Stephano Thomæ Regi Bosnæ illustri*. „ Debita ex „ caritate recensentes, quod tu in bello, quod contra Teucros (a) & Hęreticos Manichęos pro tua defensione gerens „. *Cetera*. Ad Callistum III. qui Nicolaum V. die VI. Idus Aprilis anno 1455. excepit, Stephanus Thomas Bosniæ Rex Jacobum Testam Oratorem misit, qui regia in Sedem Apostolicam studia resque in Turcos gestas explicaret. Quibus auditis Pontifex, collaudatis piis illius studiis, eidem Regi significavit, pollicitus, confecto feliciter bello, ereptas Turcis urbes ac provincias ei restitutum iri, literis datis Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnat. Dom. 1455. prid. Kal. Maji, Anno Pontif. I. „ Charissimo in Christo filio Stephano Thomæ Re- „ gi Bosnæ illustri. Decet Romanum Pontificem &c. Quum „ itaque zelum tuæ devotionis recensentes, etiam ante assum- „ ptionem nostram ad Apostolatus apicem cognosceremus, „ & nunc etiam ex relatione dilecti filii nobilis viri Nicolai „ Jacobi Testæ Oratoris tui, Serenitatem tuam ardentiorem „ fieri ad ea, quæ in augmentum Christianæ Fidei redun- „ dant ... Serenitati tuæ, necnon Comiti Stephano filio tuo, „ ac cunctis posteris & hæredibus tuis, tenore præsentium ex „ nunc pollicemur atque promittimus, nostræque intentio- „ nis

(a) Ita *Turcos* vocant Scriptores eorum temporum, sed errore manifesto.

„ nis existere declaramus, Nos, si & postquam Regnum tuum „ Bosnæ & illi finitimæ regiones Christianæ ditioni plenarie „ reintegratæ & restitutæ ac a tam nefaria servitute ereptæ & „ liberatæ fuerint, omnia & singula dominia, civitates, ca„ stra, terras, jurisdictiones, & alia Regni tui loca, perti„ nentias, & jura quæcumque, quoquo nomine censeantur, „ a nonnullis Baronibus ac aliis finitimis, qui a tua, tuorum„ que Prædecessorum fidelitate defecerunt, hactenus occupa„ ta, si ad te legitime spectare constiterit, tibi, ac Stephano „ filio tuo, ac cunctis posteris & hæredibus tuis, tuæ & eorum „ ditioni plenarie reintegrari &c. „. Aliis literis idem Callistus III. suscepit ejusdem Stephani Thomæ Regis, ejus filii Stephani, necnon universæ eorum ditionis patrocinium, decrevitque Bosnæ Regnum Sedi tantum Apostolicæ obnoxium fore, atque adversus quoscumque illud opprimere molientes, ab ea defensum iri. Adjecit adhortationem, ut arma contra Christi hostes exercere pergeret. Quum vero Jo: Hunniades Comes Bistricensis, & Ladislaus Hungariæ Rex nonnullas cum ipso Bosnæ Rege controversias haberent, Callistus ad eas sedandas in Pannoniam misit Thomam Episcopum Fanensem, quem Legati a Latere dignitate auxit, ut in communem hostem omnium arma verterentur.

Anno 1458. Pius II. post Callisti III. obitum ad Summum Pontificatum XIV. Kal. Septembris assumptus, arma quæ in Dalmatia sub Venetorum manu erant Cruciatæ nomine collecta, præcepit ut ad Stephanum Thomam in Bosniam mitterentur, quibus adversus Mahumetem Turcarum Sultanum is uteretur.

Anno 1459. dum Mantuæ conventus a Pio II. cogitur, Rex Bosnæ, quamquam Turcis clam reconciliatus esset, Legatos tamen ad Pontificem misit, [Bzovio in Annalib. ad annum 1459. num. 23. scribente] adversus illos opem flagitans. Vafer hic homo fuit, & inconstantis animi, si Gobelinum in Commentar. Pii II. lib. 3. pag. 115. edit. Rom. anno 1584. audimus, ex quo Bzovius sua hausit, inquiens: „ Is paulo an„ te ad Matthiam Hungariæ Regem profectus, interventu „ Joannis S. Angeli Cardinalis, Apostolici Legati, fœdus „ cum eo inierat, multa in Turcas pollicitus, plura mentitus.

„ Ra-

„ Rasciani per id temporis Turcarum impetum ægre ferebant: „ ob quam rem passus est Hungariæ Rex, ut Senderoviam „ oppidum apprime munitum, & ad ripam Danubii situm, „ Stephani filius defendendum acciperet: qui paucis post „ mensibus quam intromissus est, accersitis Tureis, magno „ auri pondere oppidum vendidit. Quæ res non minus Hun- „ garorum animos fregit, quam perdita olim Constantinopo- „ lis. Est enim Senderovia, porta quædam ex Rascia in Va- „ lachiam, ad bellum Hungaris inferendum opportuna; quo „ in loco multæ sunt naves ad fluvium trajiciendum, & facilis „ descensus in alteram ripam. Verum prius Legati Bosnen- „ ses ex Mantua recesserunt, quam proditio innotesceret, „ quæ ad Legatos Hungaros primum delata est: ii fuerunt „ Episcopi duo, Cenadiensis, & Segniensis, & cum his Ste- „ phanus Croatiæ Comes, ab origine Romanus Frangepa- „ nia gente.

Anno 1460. Rex Bosniæ sub idem fere tempus [verba sunt Bzovii ad (*a*) eundem annum 1460. num. 38.] ut piaculum traditæ Turcis Senderoviæ purgaret, ac suæ religionis fidem faceret, sive, quod multi crediderunt, avaritiæ obtentu, Manichæos, qui erant in Regno suo quamplurimi, nisi Baptismum Christi acciperent, è Regno migrare coëgit, substantia relicta. Duo circiter millia baptizati sunt; quadraginta, aut paulo plures, pertinaciter errantes, ad Stephanum Bosnæ Ducem perfidiæ socium confugerunt. Tres principes hæreseos in Aula Regis potentes, Episcopus Nonensis vinctos, ad Pium Pontificem duxit, quos Pius per Monasteria relegatos, edoceri Christianum dogma curavit. Fr. Joannes Turrecremata Cardinalis S. Sixti ad se vocatos instruxit, persuasitque tandem, abjuratis erroribus, Ecclesiæ Romanæ documenta suscipere. Reconciliatos, Pius II. an. 1461. ad Stephanum Regem in Bosniam dimisit, hoc diplomate dat. *Tibure anno* 1461. IV. *Non. Augusti*. „ Dilectis filiis Georgio Cu- „ chignich, Stoysano Turtchonich, & Radonilo Vecichinch, „ de Regno Bosnæ, salutem &c. Pia Mater Ecclesia &c. Quum „ Charissimus in Christo filius Stephanus Thomas Rex Bosnæ „ illustris & vere Catholicus, vos ad eandem viam veritatis „ redu-

a Ex Gobelino lib. 5. pag. 227.

„ reducere non valeret; ut ab eifdem erroribus facilius defi-
„ fteretis, & viam agnofcere falutis valeretis, ad eandem San-
„ ctam Romanam Ecclefiam, & Nos, ac Sedem Apoftoli-
„ cam, prout ex debito tenebatur, transmifit „. *Cetera*. Duo ex his in fide orthodoxa conftantes permanfere; tertius, ubi Bofniam attigit, ad Stephanum Comitem, qui Manichæorum infaniam fectabatur armifque firmabat, transfugit.

Valachia anno 1462. Turcorum excurfionibus vaftata, impofitoque illius Vaivodæ annuo tributo, Pius II. a Stephano Rege Bofniæ, tum a Stephano Duce certior factus de proxima barbarica irruptione, Laurentio Archiepifcopo Spalatenfi, Nuncio Apoftolico, mandavit, ut Bofnenfes fymbolo Crucis infigniret. „ Fraternitati [inquit] tuæ, fi cafus acciderit di-
„ ctorum Turcorum irruptionis & invafionis Regni, & Duca-
„ tus Bofnæ prædictorum, publicandi Cruciatam fuprafcri-
„ ptam &c. „. Dat. Romæ apud S. Petrum an. 1462. x. Kal. Aprilis Pontificatus anno IV. Ejufdem Stephani Regis rogatu, facram ædem Jaitzenfem, in qua Sancti Lucæ Evangeliftæ [ut ajunt] Reliquiæ reconditæ erant, eodem anno 1462. Pius II. nonnulla Indulgentiarum præmia luftraturis conceffit. Erat Jaitza [ut Bonfinius dec. 3. lib. 10. defcribit] in mediterraneæ Illyrici regionis edito monte fita, quam duo amnes circumfluunt, ac deinde ad radices montis urbifque ambitum in Savum devolvuntur, beneficio loci & operis munitiffima, Bofnenfiumque Regia, quam Mahometes II. Turcorum Sultanus anno fequenti, ideft Chr. 1463. cepit. At vero Stephanus Thomas vel inclinante anno 1462. vel ineunte 1463. [incertum, qua morte] deceffit: certe a Stephano filio non ftrangulatus; alioquin hujus parricidii fama ad Pium II. aliofque ejus ævi Scriptores manaffet.

Stephanus igitur, Thomæ Stephani & Catharinæ filius, qui paulo ante genitori fuo vita functo fucceflerat, an. 1463. Legatos ad Pium II. Pontificem mifit, duos fenes, ftatura (ut fcribit Gobelinus lib. xi. pag. 547.) proceros & habitu venerabiles: quorum alter hujufmodi orationem habuit: „ Rex
„ Bofnæ, filius tuus, Beatiffime Pater, nos ad te mifit, juffit-
„ que fuo nomine hæc dicere. Certior factus fum, Mahume-
„ tem qui Turcis imperat, æftate proxima infefta contra me
„ figna

„ ſigna moturum, & jam copias & belli machinas apparaſſe.
„ Non ſum ego, qui tantum impetum ferre poſſim. Oravi
„ Hungaros, & Venetos, & Georgium Albanum, ut opem
„ mihi afferant. Idem ex Te peto: neque auri montes poſtu-
„ lo. Scire hoſtes ac provinciales meos cupio, tuum mihi fa-
„ vorem haudquaquam deeſſe. Si norint Boſnenſes, me non
„ futurum in bello ſolum, fortius dimicabunt, neque Turcæ
„ terras meas ingredi audebunt, quarum ſunt aditus difficil-
„ limi, & arces pluribus in locis propemodum inexpugnabi-
„ les. Tuus Anteceſſor Eugenius patri meo coronam obtu-
„ lit, & Pontificales Eccleſias in Boſna voluit erigere. Renuit
„ pater, ne Turcarum in ſe odium provocaret: erat enim no-
„ vus Chriſtianus, nec Manichæos adhuc Regno expulerat.
„ Ego a puero baptizatus fui, & literas Latinas didici, & Chri-
„ ſtianam Fidem ſolide complexus ſum: non timeo quæ pater
„ timuit. Coronam ut ad me mittas, opto, & Sanctos Epiſco-
„ pos. Hoc ſignum erit, Te mihi non defuturum. Siqua in-
„ gruerit belli moles, ſpem ſubditis a te coronatus, terro-
„ rem hoſtibus afferam. Juſſiſti, vivente genitore meo, arma,
„ quæ in Dalmatia ſub Venetorum manu erant, Cruciatæ no-
„ mine collecta, ut ad eum mitterentur: non placuit Senatui
„ Veneto. Jubeto, ad me modo mittantur: fortaſſe majus
„ imperium invenies, quando mutata eſt mens Venetorum,
„ & Turcis feruntur indicturi bellum. Hæc peto, & ut Le-
„ gatum ad Hungaros mittas, qui meam cauſam Regi com-
„ mendet, horteturque arma mecum jungere. Hoc pacto ſal-
„ vari Boſna poterit; alioquin peritura eſt. *Et infra*. Si quæ-
„ reret Regnum meum Mahumetes, neque ultra progredi
„ vellet, ferenda eſſet mea ſors, neque pro me tuendo reli-
„ quam Chriſtianitatem vexare deceret. Verum inſatiabilis
„ regnandi cupido nullas habet metas. Poſt me Hungaros
„ agitabit, & Dalmatas Venetis ſubjectos, & per Carnos &
„ Hiſtros quæret Italiam, cujus imperium ambit, & ſæpe de
„ Roma loquitur, atque huc direxit animum. Quod ſi per-
„ mittentibus Chriſtianis, meo Regno potitus fuerit, aptiſſi-
„ mam provinciam & loca peropportuna inveniet ad ſuum de-
„ ſiderium explendum. Ego tempeſtatem primus expecto:
„ poſt me Hungari & Veneti, & reliquæ nationes ſuam ſortem

„ experientur, nec Italia conquiescet. Sic stat consilium hostis. Hæc explorata ad Te defero, ne olim dixeris non fuisse prædicta, & me argueris negligentiæ. Pater meus antecessori tuo Nicolao & Venetis futuram Constantinopolis calamitatem prædixit. Non fuit adhibita fides, amisit cum suo malo Christianitas Regiam Urbem, & Patriarchalem Sedem, & Græciæ columen.. Nunc ego de me vaticinor: si fidem datis & opem, salvabor, alioquin peribo, & meam ruinam multi sequentur. Hæc Stephanus ad Te deferri jussit: Tu qui Pater es Christianæ Religionis, & consilium & auxilium adhibe.

Pius his auditis, consilio Cardinalium habito, ita respondit. „ Habemus fidem Legationi Stephani. Eadem multis ex locis nunciantur. Occidentis quærit imperium Mahumetes, qui Orientale pervasit. Aptissima ejus desiderio Bosna est: hanc portam [credibile est] inprimis perfringere conabitur. Non perficiet, audente Rege, forti animo resistere. Ardua sunt montium claustra, & aditus, quos facile tueri pauci queant. Conjungent Ungari arma, & Veneti. Legatum ejus rei causa ad utramque gentem mittemus. Communem causam communibus adjuvabunt viribus. Nos tantum auxilii præstabimus, quantum per facultates licebit. Arma, quæ sunt in Dalmatia, ministrari jubebimus. Ecclesias Cathedrales in Bosna mandabimus erigi, & in erectis constituemus Episcopos. Coronam mittere sine præjudicio Regis Ungariæ haudquaquam possumus, cujus Rex Bosnæ Vassallus est, & ad eum pertinet coronare Regem. Scifcitabimur, quid sit animi ejus. Si æquo animo tulerit, Coronam, quæ parata est, per Legatum mittemus. Invito, non faciemus injuriam, neque irritabimus eum, a quo sunt auxilia expectanda. Stephanus, si sapiat, Matthiam Ungariæ Regem omnibus sibi studiis conciliabit, quo cum fœdere ac benevolentia junctus, difficile a Turcis pessumdabitur „. Sic remissi Bosnenses, læti abierunt: quos secutus est Orator Pontificis, Dominicus Lucensis, qui & apud Venetos, & apud Ungaros eorum postulata exequi curaret. Circa idem tempus Joannes Dragula Princeps Valachiæ ad Turcos deficere volens, a Matthia Rege Ungariæ interceptus, & in vin-

vincula conjectus est. Causam mox referam, ubi de Valachis sermo erit. Interim Legati ejusdem Matthiæ Regis Pontificem adierunt, Albertus Episcopus Vesprimiensis, & Stephanus Segniæ Comes: ac statuisse Turcos Ungariam invadere dixerunt, nec vires Ungaris esse, quibus tanti hostis propulsare impetum queant: orare Pontificem, rebus afflictis ut opem afferat, simulque reliquos Christianos hortetur, ne Christianæ religionis murum Ungariam expugnari sinant. Pontifex collaudata Ungarorum constantia, qui annis supra octoginta cum Turcis pro religione certaverint, stipendia Equitum mille missurum se regi pollicitus est in annum præsentem, hortaturumque Reges, qui proximi sunt, ut arma conjungant, inque annum sequentem spem longe majoris auxilii præbuit, dum medio tempore sibi ipsi, & Reipublicæ non deessent Ungari. His sponsionibus Legati fiduciæ pleni, domum rediere; ubi res multo deteriores invenere, quam dimiserant, Regno Bosnæ interea a Turcis subacto.

Rex enim gentis novus tributum, quod sui majores jampridem pendere Turcis consueverant, petentibus recusarat, & oppidum quod ad confluentes Savum, Bosnamque, hostes construxerant, Sclavis & Hungaris magnopere formidandum, expugnaverat. Ea contumelia permotus Mahumetes Turcorum Sultanus, virus quod in Ungaros aut alios existimabatur concepisse, in hunc Regem evomuit. Hoc quum ille accepisset, mæstus ac pavidus accersito Nicolao Modrusiensi Episcopo, qui tum forte Romani Præsulis in Regno Bosnæ Legationem gerebat: Tu me, inquit, Legate, his mersisti malis, qui eousque tuis consiliis perpulisti, ut Imperatoris potentissimi, cui vix queat orbis resistere, ausus fuerim oppida expugnare. Aufer quod intulisti periculum. Huic Legatus: sine, inquit, in Ungariam proficiscar; mox adero cum certis & validis auxiliis. Tu modo in fide permaneas. Conceditur eundi facultas: Episcopus Ungaros adiit, & petiturus Bosnensibus opem, Apostolicæ Sedis nomine implorat. Ungari exercitum cogunt, Savoque propere transmisso, hostem a tergo lacessere statuunt, si forte ab incepto possit retrahi. Utile consilium perfidia intercepit. Unus ex Turcorum Ducibus, Bassam vocant, XIV. Kal. Junias (*anni* 1463.) ingentibus præfectus copiis sub oppi-

do Bobazio, quod Regni Bosnæ caput fuit, castra locavit: postridie Mahumetes Sultanus consecutus est. Radaces (idem fortasse ac is, qui Radonilus Vecinchinch in diplomate Pii II. appellatur) Manichæus olim, deinde Christianum mentitus, oppido præfectus erat. Is pretio corruptus hostem intra mœnia recepit, suasitque custodibus arcis, ne Turcis rerum dominis resisterent. Tradita est arx munitissima, quæ facile poterat biennio defendi, nulla re indigens. Sultanus præter opinionem oppido potitus, ad persequendum Regem cum parte copiarum Bassam mittit. Triginta passuum millibus Rex aberat in oppido quod (*a*) Jaitza vocatur: eo namque, Turcorum adventu percepto, cum thesauris confugerat, Dalmatiam petiturus. Bassa quum venisset Jaitzam, abiisse Regem invenit, eumque magnis itineribus consecutus, in castello Elutio clausit, & arcta obsidione cinxit. Ille quarta demum die fame & siti coactus, sese cum omni thesauro, quem quinque Reges (*b*) tot annis congregaverant, fidei Bassæ credidit: quem Sultanus ad se ductum, multa spe demulcens, facile induxit, ut oppida, quæ in sua potestate remanserant, reddi juberet, plura & meliora a se denique expectaturus. Scribitur præfectis arcium, claves munitionesque ut tradant. Parent omnes: atque ita octo ferme dierum spatio, amplius septuaginta natura & arte munitissima oppida, & auri amplius quam decies centena millia nummum ex Christianis opibus in manus hostium pervenere: quamvis non tam re, quam nomine Bosnenses Christianum sibi nomen usurpavere. Raptæ matronæ atque Virgines, templa Sanctorum diruta: viri religiosi omni contumeliarum genere affecti: nobilitas omnis ad servitium in Asiam missa. Regi paucis post diebus caput abscissum, & cum eo alti sanguinis plerique necati. De Regis morte hæc Pius II. in Bulla an. 1463. qua Christianos adhortatur, ut Turcorum conatibus obsistant: „ In Bosna (inquit) Regem, qui salutem pactus, sese dederat „ cum Patruo suo, Mahumetes ipse humano sanguine insatia- „ bilis, sua manu, ut fertur, jugulavit „. Et Paulus II. in Literis ad Ludovicum Francorum Regem datis *Romæ apud S. Pe-*

a Tam apud Gobelinum, quam apud Bzovium, *Laxia* perperam dicitur.
b Nimirum, Stephanus Thomas, Ostoja, Thuvartkus Scurus, Stephanus Thuvartkus primus Bosniæ Rex.

S. Petrum Anno Incarn. Dom. 1464. VIII. *Id. Januar. Pontificatus* I. hoc est, Chr. 1465. „ Tanta enim acerrimo hosti „ dominandi cupido incessit, ut nihil gratius ei sit, nihil avi„ dius, quam sanguinem fundere Christianorum, Reges & „ Principes interficere atque delere, sicut Bosnæ Regem cru„ entus hostis propria manu truncavit, & alios plures Reges „ extinxit „. Post Regem, secundum in Bosna caput Dux Stephanus fuit, subditorum numero atque auro potens; verùm Manichæorum infectus hæresi. Ejus filius quum patris imperium ferre non posset, ad Turcos defecerat, quorum armis adjutus, patrem bello persequi cœpit, eumque viribus imparem, ad insulas Dalmaticas fugere compulit. At ubi Regem Bosnæ contra fidem necatum animadvertit, veritus Turcorum sævitiam, patri reconciliatus, cum eo ad munitiora loca se contulit. Regina Bosnæ (Maria scil., uti eam vocat Cangius) dum perdito Regno, viroque Stephano capto ab hostibus, furorem Turcorum fugitat; in manus Pauli cujusdam, Slavoniæ Bani, pervenit, a quo, tamquam hostis esset, captiva retenta est, quamvis ad eum quasi hospitem declinasset. Ipse vero non multo post, dum Turcis agrum suum vastantibus occurrit, cum quingentis nobilibus circumventus, ab illis occisus, violati hospitii pœnas persoluit. Maria ejus manibus elapsa, Catharina quoque (uti ex Luccario addit Cangius) Radivoji Regis Stephani fratris uxor, Ragusium venerunt. Bacchari undique per Bosniam Turci, abdita quæque scrutari, nihil intactum relinquere, vicinas regiones incursare atque prædari. Prope Rex (*a*) Ungariæ aderat cum copiis: qui ubi per transfugam insidiari sibi Turcos accepit, insidias contra tetendit: Turcorum quemdam ducem cum quatuor millibus militum convenit, congressusque in fugam vertit, ac persecutus, omnes ferro

a Joachimus Cur.us in Annal. Silesiæ pag. 169. de Mahomete Turcorum sultano ad ann. 1463. „ Lesbon insulam potentem, & paulo post, regnum Bosnæ opibus & „ munitionibus florens in suam potestatem tradnxit: Regem Stephanum cum urbe „ præcipua Jaitza in d. ditionem accepit, contra datam fidem palo alligatum sagittis „ confixit... Ex gente illa Triballica, & Hene.a, quæ robore corporis præstat, „ Mahometus multos phalangi suæ prætoriæ ascripsit, quos milites Janizeros voca„ vit. Imminebant vicinæ Pannoniæ jam undique Turci, sed virtute & diligen„ tia Matthiæ frustrati sunt successu „. Cetera, de magna Rassianorum caterva, quæ in servitutem a Turcis abducebatur, a Matthia liberata, deque Jaitza unacum 27. aliis oppidis Bosnæ & Rasciæ ab eodem Matthia Rege receptis, Hoc ipsum legere

ferro trucidavit. Hoc tantum ſolamen poſt amiſſum Boſnæ Regnum Hungaris eſt datum.

De altera Catharina, Stephani Thomæ uxore, quæ Romæ deceſſit, hæc ſcribit Cangius: „ Ex Thomæ cum Catharina conjugio nulla proles prodiiſſe dicitur: nam Stephanum ſucceſſorem ex illegitimo cum Vojaccia concubitu natum volunt ſcriptores, ut & filium alterum, qui quum annos natus XXV. matrem ad Meledanam ædem ſacram, in qua ſummæ venerationis Deiparæ Imago colitur ac ſervatur, votivæ peregrinationis cauſa comitatus veniſſet, ibi mortuus, in Monaſterio Ordinis S. Benedicti humo conditus, cum hocce Epitaphio: Hic jacet filius Thomaſci Regis Boſnæ. Duplex Cangii, eorumque quos citat Auctorum error. Primus quidem, dum *Stephanum* Boſnæ poſtremum Regem a Sultano impie obtruncatum, *Thomæ filium illegitimum ex concubitu cum Vojaccia natum* contendunt. Thomas Stephani hujus pater, ex Oſtojæ cum Vojaccia, conjugati cum conjugata, illegitimo concubitu, natus eſt, ut ſupra ex Eugenii IV. diplomate perſpicuum fit; Stephanus autem Thomæ filius, tamquam legitimus & naturalis, indigitatur in epiſt. Calliſti III. iis verbis ad Thomam patrem: „ Serenitati tuæ, necnon Comiti Stephano filio tuo, ac cunctis poſteris & hæredibus tuis. *& infra*: Tibi, ac Stephano filio tuo, ac cunctis poſteris & hæredibus tuis „. Alter error, dum *ex Thomæ cum Catharina conjugio nulla proles prodiiſſe dicitur*. Nam, præter quam quod, ut modo dicebam, ex Thomæ cum Catharina conjugio Stephanus Thomæ ſucceſsor prodiit; certo certiora documenta habemus, quibus demonſtratur, filium & filiam præterea ex Thoma Catharinam genuiſſe, quorum diſerta fit mentio in MSS. Codice Vaticano, ubi inſignia quæque tum in Cardinalium Conſiſtoriis, tum in Urbe geſta literis (*a*) conſignantur: his verbis: „ Profugerat ad Nos pulſa Regno Catharina „ Regina Boſniæ, quod jam ante occupaverat Turcus. Ejus „ filius

legere eſt ex Leunclavio apud Raynald. ann. 1463. num. 16. „ Hoc modo Boſina, „ Raſcia & Serviæ magna pars Turcorum in poteſtatem venit: Matthias tamen Rex „ Hungarus Jaitzam cum XXVII. Boſnæ oppidis recepit, quam militum corona de„ inde rurſum Machumetes circumdedit & oppugnavit, ſed irrito conatu, fama „ dumtaxat adventantis Matthiæ territus, ab obſidione Boſnæque finibus diſceſſit.

a Apud Raynald. ad ann. 1478. num. 44.

„ filius abnegata fide, cum illo erat contra Christianos militans. Quum autem annos circiter duodecim apud nos ea fuisset, nostris pecuniis sustentata, diem obiens, hæredem amissi Regni Pontificem Romanum reliquit, addita conditione, si filius ad fidem rediret, utique in paternum regnum rediret. Ad offerendum Testamentum Regnumque tradendum, institutus est Vicecancellarius. Hodie itaque ceteris in Senatu absolutis, introducti nonnulli Reginæ domestici sunt, qui & Testamentum ostenderent, ensemque & calcaria Pontifici traderent in possessionis aditæ signum. Laudavit Reginam Pontifex (*Sixtus IV.*) Testamentum accepit simul & ensem prehendidit, prehendique a singulis Patribus voluit, ut unum cum illo corpus nos facere significaret. Imperavit Vincecancellario, ut documenta acceptæ hæreditatis confecta in Archivis Apostolicis condi curaret. Extat in Archivo Vaticano id Testamentum, cujus formulam ad ostendenda filii filiæque Catharinæ ac Thomæ Regum Bosniæ nomina, hic inserendam duxi. „ In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen. Anno Inc. Dom. 1478. Ind. XI. die vero 20. mensis Octobris, Pontificatus SS. in Christo Patris & Domini nostri Domini Sixti divina providentia Papæ IV. In mei Notarii, & testium infrascriptorum & subscriptorum ad omnia & singula infrascripta vocatorum specialiter & rogatorum præsentia, Illustrissima Domina Catherina quondam Ducis Stephani filia, Regina Bosnæ, nunc in Alma Urbe in Regione Pineæ in domo suæ solitæ habitationis prope Ecclesiam S. Marci de Urbe constituta, ægra corpore, sana tamen & compos mente. *& infra*. Volens, quod, licet per immanissimum Christianæ religionis hostem Turcum retroactis temporibus de facto, & per tyrannidem prædicto Regno Bosnæ pulsa & spoliata sit, propterea tamen jus præfati non amisit, nec amittit, quod spectat ad eam, propter incapacitatem & inhabilitatem *filiorum suorum legitimorum & naturalium*, *& Illustrissimi Regis Thomæ memorati Regni Bosnæ*, ex professione Mahometanæ sectæ contractam; habensque fiduciam in Domino, qui nullum violentum finit esse perpetuum, quod prædictum Regnum aliquando de manu tyran-

„ nica

„ nica & hostili excidet, & evertetur ab ea, & Christianæ subjicietur ditioni; volens propterea incolis Regni prædicti & Regno consulere, ne ad manus veniat aliquorum nullum habentium jus in Regno, sed suum juridicum & legitimum habeat Regem; præfata Regina ex præmissis, & quibusdam aliis rationabilibus causis animum suum moventibus, ac memor munificentiæ, gratiarum, & beneficiorum a S. R. E. & Apostolica Sede, a fel. & san. me. Paulo PP. II. & SSmo D. N. Sixto PP. IV. collatorum, qui eam gratissima hospitalitate sunt semper prosecuti, subveniendo eidem secundum Regiam dignitatem condigno annuali stipendio & provisione sufficienti pro suis necessitatibus: in prædicto Regno Bosnæ cum omnibus & singulis juribus &c. ac utili & directo ejusdem dominio Sacrosanctam Romanam Ecclesiam & Sedem Apostolicam ac prædictum SSmum Dominum nostrum Dominum Sixtum divina providentia Papam IV. & suos successores canonice electos & intrantes, universales hæredes ac successores instituit. Rogavitque, & rogat per solenme fideicommissum dictam Sedem Apostolicam, ac prædictum Sanctissimum Dominum nostrum, & prædictos successores, ejusdemque prædictæ Sedis fidei commisit, & committit, & ita voluit & ordinavit, quod *filio suo & prædicti Regis Thomæ legitimo & naturali Sigismundo*, si (quod Deus per infinitam suam permittat clementiam) ex Mahometanorum vomitu, in quo degit de præsenti, ad veram Christi fidem realiter & cum effectu revertatur, prædictum Regnum, & Regni jura, dominia, & jurisdictiones absque detractione Legis Tribellianicæ plene restituat, eumque Regem in prædicto Regno nominet, intitulet, & investiat, quantum in prædicta Sede Apostolica fuerit. Si vero dictus *Sigismundus ejus filius* ad christanam fidem non venerit, ut præfertur, tunc illo casu dicta Illustrissima Domina Regina voluit dictum fideicommissum esse nullum, irritum, & inane, nulliusque roboris vel momenti, ac si factum non fuisset; sed in tali casu iterum rogavit & rogat dictam Sedem Apostolicam, & Sanctissimum Dominum nostrum & suos successores præfatos, & ejus ac prædictorum fidei committit, quod, si *filia ejus Catherina*, quæ similiter de præsenti

„ Maho-

„ Mahometanorum vomitum ſequitur, revertatur realiter & „ cum effectu ad Sanctam Chriſtianam fidem, eidem *Filiæ ſuæ* „ modo & forma præmiſſis Regnum prædictum integraliter „ reſtituant, quantum fuerit in eiſdem: Ambobus autem & „ *Filio & Filia* prænominatis in perfida Mahometana ſecta „ perſeverantibus, dictum fideicommiſſum prædicta Regina „ voluit ſimiliter eſſe nullum, irritum, & inane modo quo „ ſupra eſt præmiſſum: & interim dictam Sedem Apoſtolicam „ poſſe plene & libere de prædicto Regno, ejus juribus, & „ titulo diſponere ad ſuam voluntatem & beneplacitum, tam- „ quam de re, patrimonio, hæreditate, ac bonis ſuis pro- „ priis, quibuſvis contradictionibus non obſtantibus &c.

Ex his diſcimus Primo, Thomæ Stephani & Catharinæ Boſniæ Regum filios fuiſſe legitimos ac naturales *Sigiſmundum* & *Catharinam*, præter *Stephanum*, qui in Regno patri ſucceſſerat, quique anno 1463. a Sultano necatus fuit: falſum proinde eſſe quod Cangius ex Luccario aliiſque ſcripſit, *ex conjugio nempe Catharinæ & Thomæ nullam prolem prodiiſſe*.

Diſcimus ſecundo, Catharinam Thomæ Regis uxorem, extincto, ut ſupra, anno 1463. Stephano Rege filio, in Dalmatiam primum fugiſſe, indeque Romam veniſſe anno 1466. ibique poſt annos duodecim deceſſiſſe anno Chr. 1478. die 25. Octobris, poſtquam die 20. ejuſdem menſis & anni Teſtamentum ſupra recitatum condidiſſet: adeoque falſum etiam eſſe quod de eadem Regina apud Cangium & Vvaddingum alioſque narratur, eam ſcil. *anno Chr.* 1458. *obiiſſe*. Non modo ex laudato ipſius Teſtamento, ſed etiam ex ſepulcrali Slavica Inſcriptione manifeſtum redditur, mortem ipſius nonniſi *die* 25. *Octob. anno* 1478. contigiſſe.

Diſcimus denique *Sigiſmundum* & *Catharinam*, Thomæ Stephani & Catharinæ Boſniæ Regum filios, Mahometanam Sectam tunc temporis, quum Stephanus ipſorum frater a Sultano captus necatuſque fuit, amplexos, anno 1478. adhuc in vivis fuiſſe, in Aula ſcilicet Mahumeti II. Turcorum Sultani, qui die 3. Maji anno 1481. interiit.

CAPUT IV.

De Valachis & Bulgaris. Bulgariæ & Blachiæ regnum restitutum. Series Regum ab anno circiter 1200. ad 1462: Ab Innocentio III. Papa coronam Regiam, sceptrum, & vexillum Joannes Bulgariæ & Blachiæ Rex accipit: Pallium vero, & Patriarchalem dignitatem Archiepiscopus Trinovitanus. Series Achridensium Archiepiscoporum. Codex Vaticanus Slavicus figuratus illustratur.

I. Bulgariæ & Blachiæ seu Valachiæ Regnum, circa ann. Chr. 1187. restituitur.

A BOSNIA ad Bulgariam & Valachiam transitum facio. Bodinum cognomento Constantinum, a patre Michaële Serviæ Rege, Bulgaris præfectum fuisse, ex Scylitze edit. Reg. pag. 851. supra vidimus. Cangius in Famil. Dalmat. cap. VI. num. XXIX. „ Sub Alexio Comneno [inquit] eandem Bulgariæ Ducis dignitatem obtinuit Nicetas, quem Albertus „ Aquensis & Antistes Tyrius *Nikitz*, Thuroczius vero *Nicotam* vocant, quique ab Hungaris in prælio captus, libertatem postea est consecutus. Is est Nicetas, qui præcipuam „ Christianorum exercitus partem, cui ad expeditionem Hierosolymitanam pergenti præerat Petrus Eremita, profligavit „. Alexius Comnenus ab anno Chr. 1081. usque ad ann. 1118. Constantinopoli imperavit. Thuroczius autem lib. 1. cap. 50. Nicotam ab Hungaris captum scribit sub Salomone Hungariæ Rege, qui ab anno 1061. ad 1071. regnavit. Nicetas proinde Bulgaris præfuerit, oportet, ab anno circiter 1065. quo in Regnum ab Imperatore socero suo restitutus Salomon fuit, usque ad annum 1098. quo Hierosolymitana expeditio suscepta. Pergit ibid. Cangius: „ Nicetæ suffectus „ Dux alter, quem idem Albertus [Aquensis lib. 8. cap. 34.] „ Guzh nuncupat, qui Guillelmi Pictavensis Comitis copiis „ eam suscipientibus expeditionem transitui aliquandiu obstitit. Mansit denique Romanorum annexa Imperio exinde „ Bulgaria usque ad Isaacii Angeli Imperium, sub quo tandem „ omnino est abstracta, trium fratrum defectione, ut deinceps „ sumus dicturi „. *Isaacius Angelus* Comnenus Andronico Comneno die 12. Septemb. anno 1186. interfecto, Imperium quum

quum iniisset, in carcerem conjectus & excæcatus fuit die 10: Apr. anno 1195. *Alexio Angelo* Comneno fratre imperium arripiente, quod tenuit usque ad ann. 1203. quo expugnata die 25. Julii a Latinis Constantinopoli, Alexio isto ejecto, *Alexius Isaacii* filius unacum patre Isaacio restitutus, sed post sex mensium intervallum strangulatus est ab *Alexio Duca* cognomento *Murzuflo*, qui in Imperio successor, post 70. dierum spatium misere periit, Constantinopoli a Latinis anno 1204. die 12. Apr. capta, & *Balduino* Flandriæ Comite die 31. Maji in Imperatorem coronato.

Nicetas Choniates in Isaacio Angelo edit. Reg. pag. 236. causam defectionis Bulgarorum refert his verbis: „ Isaacius „ Angelus uxore defuncta alienigenam ducere statuit: & per „ legatos, Belæ Hungariæ Regis filiam, nondum decem an- „ nos natam, ambit. Sed dum ex tenacitate (*a*) nuptias ex „ fisci pecunia celebrare reformidat, & sumptus illos ab urbi- „ bus & provinciis affatim exigit, cum alias urbes, præsertim „ Anchialo finitimas afflixit; tum barbaros Hæmi montis acco- „ las, sibi & Romano Imperio infestissimos reddidit, qui olim „ Mysi, nunc Blachi nominantur. Hi enim angustiis & castel- „ lis freti, quæ plurima habent præruptis saxis inædificata, „ quum prius etiam Romanos parum curarent, tum per cau- „ sam abacti pecoris & vexationum quas tolerassent, aperte „ defecerunt. Ejus defectionis principes & auctores fuere „ duo ex illa gente fratres, Petrus & Asan: qui ne sine causa „ res novas moliri viderentur, Imperatorem Cypsellis degen- „ tem adeunt, petentes, ut in Romanas legiones referantur, „ & sibi prædium exigui reditus in Hæmo monte situm asi- „ gnetur. Ea re non impetrata (nam fatorum vis pruden- „ tiam humanam superabat) submurmurabant, ut contempti „ & voti impotes: & verbum audacius emiserunt, quo defe- „ ctionem, & ea quæ domum reversi acturi essent, innuebant;

 „ Asan

a Chronologia, Nicetæ a Vrolphio & Fabroto præmissa, vacillat. Nam Isaacius Angelus Imperium iniisse dicitur Anno Mundi 5154. Chr. 1164. Friderici Ænobarbi anno 35. omnia hæc stare nequeunt. Primo quia annus 1184. erat Friderici 33. non 35 Secundo quia Isaacius Angelus non ante annum 1186. inauguratus est. Tertio, quia annus Christi 1184. non anno Mundi 5154. respondet juxta Græcorum supputationem, sed anno 6692. Adeoque quum hæc Bulgarorum Blachorumque defectio anno 2. Isaacii Angeli contigerit, annus erat Christi 1187. Mundi 6695. Friderici 36.

„ Aſan præſertim, homo audacior & crudelior: cui ob impudentiam, Joannis Sebaſtocratoris juſſu, colaphus infringitur. Ita non infecta modo re dimiſsi, ſed contumeliis etiam irritati homines iſti nefarii & conſcelerati, quomodo contra Romanos graſſati ſint, quis verbis conſequatur? quæ oratio tantorum malorum pelagus complectatur „? Eadem leguntur apud Georgium Acropolitam pag. 113. ubi *Bulgaria* & *Bulgari* vocantur, qui apud Nicetam *Myſi & Blachi*, *Myſia & Blachia*: ſic enim ſcribit: „ Quum Imp. Iſaacius rem gereret Conſtantinopolitanam, uxore demortua, quam ſupra diximus, Ungaram Ungarorum Principis filiam uxorem duxit; quum appararet nuptias, eaſque regias magnificis quoque ſumptibus decorare decrevit. Hinc ex univerſa Romanorum ditione pecudes, ſues, ac boves congregabantur. Sed quum harum rerum Bulgaria omnium feraciſſima ſit, plurima quoque ab ea depoſcebantur. Bulgari & antea quidem inimici Romanis, illiſque multorum bellorum, captivitatum, excidiorum urbium, & aliorum ſexcentorum infortuniorum per annos plures cauſa, tandem ab Imp. Baſilio, quem non aliam ob cauſam Bulgaroctonum dictum, fama atque auditione accepimus, debellati, ad Imperatoris uſque Iſaacii tempora Romanis tributa (*a*) pendebant, tum ob ea quæ memoravimus, rebellionem moliuntur, & ab Aſano neſcio quo ſuaſore atque impulſore, omnibus quæ intra Hæmum ad Iſtrum uſque excurrunt, in poteſtatem redactis, regio occupatur, eo res Romana quam maxime afflicta eſt. Bulgari namque, quum Scythæ mutuas operas tradidiſſent, multis malis Romanos vexarunt. Propterea indignatus Imp. Iſaacius, in unum collectis copiis adverſus eos aciem ducit, & maritima prætergreſſus, atque per Meſembriam civitatem iter faciens, Hæmum ingreditur. Aſanus cum exercitu in oppidulo, cui nomen Strinabo, immoratur; & Imp. Iſaacius (*b*) tentoriis fixis Bulgaros obſidet; ſed ab illis eluditur. Unus enim ex illis, transfugam ſimulans, Imperatori „ Scy-

a Ex his colligitur, majorem Bulgariæ partem poſt Baſilium Bulgaroctonum Græcis ſubjectam fuiſſe, uſque ad Iſaacii tempora; tametſi Petrus Deleanus aliique uſque ad Bodinum, Nicetam, & Guzhum, aliquam ejus partem occuparint.

b Lat. Interpres habet, *Alexius*, perperam. In Græco textu eſt, *Iſaacius*.

„ Scytharum irruptionem denunciat. Imperator conturbatus „ nuncio, licet die ſequenti oppidulum ſubacturus eſſet, loco cedit, nec eam quam inierat, redit viam, ſed deluſus a „ Bulgaro, breviorem nec inconſultus aggreditur. Progredientem itaque & in anguſta ſemita laborantem Bulgari aggrediuntur, militem fundunt, apparatumque omnem bellicum deprædantur, ipſam etiam Imperatoris ſupellectilem „ diripiunt. Ex Romanis plures cæſi ſunt; qui cum Imperatore evaſerant, pauci admodum fuere & prorſus nudi. Hac „ victoria, præda, ſpoliiſque Romanorum Bulgari nimis & „ inſolenter animos ſublevarunt: quippe & ipſis Imperatoriis „ inſignibus pretioſiora conquiſierant, & præter ea regias pyramidas, phialas celebres, pecuniæ vim immenſam; ipſam „ etiam Imperatoriam Crucem, quam Sacerdos abjecerat, „ non multo poſt in flumine offendunt, ex auro compactam, „ in medio ex ſacroſancto Ligno, cui Chriſtus Dominus affixus „ pependerat, in modum Crucis efformato complectentem; „ necnon parvas & plurimas thecas habentem, in quibus celebriorum Martyrum Reliquiæ, Deiparæ lac, Zonæ ejuſdem „ pars, & reliqua multa, quæ ſanctis loculis aſſervantur, „ continebantur. Imperator ergo Iſaacius Conſtantinopolim „ fugiens ſe recepit.

Fuſius hæc, inque plures annos digeſta leguntur apud Nicetam Choniatam: nam anno quidem ſecundo Iſaacii Angeli, ideſt Chr. 1187. lib. 1. num. 4. 5. & 6. deſcribitur cauſa Blachicæ ſeu Bulgaricæ defectionis, & quomodo Blachos a furioſis & dæmoniacis ad bellum concitatos, Iſaacius ſua negligentia confirmaverit, & ab ipſius Ducibus bellum male ſit commiſſum. Anno ejus quarto, ideſt Chr. 1189. lib. 2. num. 1. Iſaacii in Blachos expeditio, in qua Græci a Blachis cæduntur, & Iſaacius pedem referre cogitur. Anno ſeptimo, Chr. 1192. lib. 3. num. 3. 4. Clades Iſaacii in Blachica expeditione: Blachorum & Scytharum graſſationes. Blachi a Conſtantino Angelo repreſſi. Anno octavo Chr. 1193. lib. 3. num. 8. Iſaacius in Blachos expeditionem ſuſcipit, & paulo poſt ab Alexio fratre Imperio & oculis privatur.

Leunclavius in continuatione Glycæ Annalium edit. Pariſ. pag. 340. ſub Iſaacio de Ulachis ſe Valachis hæc habet: „ Se-

„ cun-

,, cundum hæc infeliciter tentata Cyprus, & sequuti motus
,, Ulachorum nationis: adversus quos nihil recte gestum a
,, Joanne patruo Imperatoris, nec a Joanne Cantacuzeno;
,, missus autem ad debellandos eos Alexius Branas, imperio
,, adfectato, Constantinopolim reversus est. *Et pag.* 341.
,, Ceterum non crebræ tantum seditiones multorum qui adfe-
,, ctabant Imperium, Isaacium exercebant: sed etiam Ulacho-
,, rum natio progressa, munitas urbes invadebat. Anchialum
,, enim vastabant, Varnam subigebant, Triaditzam sive Sar-
,, dicam delebant; Stumpio cives ejiciebant. Tandem in ex-
,, peditione contra Ulachos, magnifico cum apparatu susce-
,, pta, quum venationi esset intentus Isaacius, ab Alexio fra-
,, tre, de quo non tantum nihil mali suspicabatur, sed etiam
,, summam sibi caritatem observantiamque pollicebatur, &
,, oculis & imperio spoliatus est. Imperavit annos IX. men-
,, ses VIII. nondum anno XL. natus, quum regnum amit-
,, teret.

II. Blachorum & Blachiæ, seu Valachorum & Valachiæ nominis originatio. Mysia & Mysi olim dicti, & cum Bulgaris conjuncti.

Antequam reliqua restituti Bulgarici Regni persequar, juvat in *Vlacorum* seu *Blachorum* nomen inquirere. Nam quos Acropolita aliique *Bulgaros* appellant, eos Nicetas Choniates *Mysos Blachosque* vocat. Sic lib. I. in Isaacio Angelo num. 4.
,, Tum barbaros Hæmi montis accolas, sibi & Romano Impe-
,, rio infestissimos reddidit, qui olim Mysi, nunc Blachi no-
,, minantur. *Et num.* 5. Quum Mysi aperte defecissent, ab
,, iis, quos dixi, impulsi, Imperator bellum eis infert. Sed
,, nec illud prætereundum est. Quum Blachi principio ab
,, eo conatu, ad quem a Petro & Asane inducebantur, rei
,, difficultate perterriti abhorrerent; fratres, ut popularibus
,, suis eum metum adimerent, ædem nomine præclari Mar-
,, tyris Demetrii ædificarunt, in eamque multos dæmoniacos
,, utriusque sexus coëgerunt, qui cruentis & perversis pu-
,, pillis, effusisque crinibus cætera omnia exquisite exprime-
,, bant, quæ id genus hominum propria habet; eosque do-
,, cebant, in furore proloqui: Deo visum esse, ut gens
,, τῶν Βυλγάρων ϗ Βλάχων Bulgarorum & Blachorum, diu-
,, turno jugo excusso, libertatem consequatur: eaque de
,, causa Christi Martyrem Demetrium, relicta Metropoli Thes-
,, salonica & æde, Romanorumque consuetudine, ad ipsos
,, per-

,, perveniſſe, adjuturum id opus. *Et infra*. Imperator ve-,, ro, quum nemine prorſus prohibente (*a*) totam Myſiam ,, pervagari, & præſidia in urbes, quæ pleræque in Hæmo ,, ſunt, ſed plures ac potius fere omnes in præruptis rupibus ,, & altiſſimis tumulis extructæ, introducere liceret, neutrum ,, fecit; ſed cumulis frumenti incenſis, ſupplicum Blacho-,, rum confictis verbis deceptus, ſtatim retro abiit, relictis ,, illis rebus adhuc plane exulceratis. Unde factum, ut bar-,, bari Romanis audacius inſultarent. *Et num. 6.* Nam is qui-,, dem in urbem reverſus, ut re bene geſta gloriabatur. Qui-,, dam vero ex ordine Judicum, Monaſteriotes Leo, falſe ,, dicebat, Baſilii Bulgaroctoni animam dolere: Qui quum ,, Bulgaros funditus deleviſſet, edixerit: Si quando Blachi ,, denuo novis rebus ſtuduerint, ſuum exemplum imitan-,, dum eſſe; & Provinciam, caſtris in ea poſitis, peragran-,, dam ei, qui bellum cum eis geſſerit: eo edicto in Soſthe-,, nii Monaſterio affixo: quod nunc ſit irritum, quod Impe-,, rator ea, quæ ille multis annis confici juſſerit, tam exiguo ,, momento abſolverit, ut illi tale nihil in mentem venerit. ,, Aſan vero, maximis auxiliaribus Scytharum copiis ſuo ar-,, bitratu delectis, reverſus, quum Myſiam patriam perpur-,, gatam & Romano exercitu vacuam reperiſſet, factus inſo-,, lentior & jactantior, Myſiæ incolumitate & dominatu non ,, contentus, maxima Romanis detrimenta inferenda, & ,, Myſorum ac Bulgarorum dominatum, ut olim fuiſſet, omni ,, contentione conjungendum eſſe cenſuit. *Et lib. 2. num. 1.* ,, Imperator vero dolens, quod prima in Myſiam impreſſione ,, bellum non rite adminiſtraſſet.... denuo Blachis arma in-,, ferre ſtatuit ,,. Eodem *Myſiæ*, *Myſorumque* vocabulo idem Nicetas *Blachiam*, *Blachoſque* donat lib. 3. num. 3. 4. & 8. ubi & quinam illi *Scythæ* fuerint, quibus Bulgari ſeu Blachi auxiliaribus uſi ſunt, iis verbis num. 3. declarat: ,, Ut autem ,, res Occidentis ſubinde in pejus ruebant, & Blachi cum Co-,, manis *καὶ οἱ Βλάχοι ληϊζόμενοι μετὰ Κομάνων*, Romanas Pro-,, vincias ferro & igni vaſtabant: Imperator iterum egreſſus, ,, Anchialo præterita, per ambages Hæmum montem adit.

Coma-

a Nam Blachi ſeu Bulgari in Iſtrum illapſi, ad finitimos Scythas trajecerant.

III. Comania, & Comani partem Valachiç incolentes.

Comania, Asiæ Regio, inter Georgiam seu Colchidem, & Tanaim fluvium, ubi etiam partim Circassi populi sui pene juris, quidam tamen sub clientela Turcorum, & alii sub Dominio Moschorum. Inde egressi *Comani* (*a*) eam partem Valachiæ inhabitarunt, quæ est sita a fl. Alutha inter Alpes & Istrum jacens, versus Tartariam parvam, quæ nunc inhabitatur a Valachis, & nuncupatur pars Transalpinæ & Moldaviæ. *Cumani* frequentius dicuntur apud Raynaldum in Annalibus, ubi *anno* 1227. num.50. Gregorius IX. gratulatur Strigoniensi Archiepiscopo, quod Borises eorum Princeps, quum aliqui ejus gentis proceres ad Baptismi gratiam pervenissent, unacum Fratribus Prædicatoribus ad ipsum Archiepiscopum misisset, petitum, ut personaliter ad se, & Cumanos sibi subjectos accederet: id quod sibi gratum esse Pontifex renunciat, simulque eundem Archiepiscopum Legationis Apostolicæ in Cumania & Brodinia terra illi vicina exornat: *Anno* 1229. num. 60. idem Pontifex Cumanos in clientelam Apostolicæ Sedis accipit; queriturque *anno* 1231. num. 40. Cumanos ad Christi fidem conversos opprimi a Saracenis: quumque Tartari Belam Ungariæ Regem, & Colomanum Russorum Regem eundemque Slavoniæ Ducem bello profligassent, in suspicionem venerunt anno 1241. num. 21. Cumani, quod Tartaros in Ungariam traxissent, quum ipsi Cumani a Tartaris sedibus pulsi, ab Ungaris perhumaniter excepti fuissent: quare coorta seditione, Cumanorum Princeps Cutherus obtruncatus cecidit: inde in alios Cumanos versus furor: qui mox cum Tartaris percusso fœdere, in Ungaros conceptum furorem evomuere. Indicta proinde in Cumanos anno 1264. num. 51. jussu Urbani IV. sacra militia, datumque in mandatis Strigoniensi & Colocensi Archiepiscopis, ut eos qui Baptismo abluti essent, Christiano ritu vivere cogerent, alios ad Baptismum suscipiendum inducerent. Quum autem *anno* 1273. *num.* 13. juncti cum Ungaris, in Ungariam, Styriam & Moraviam irrupissent, ac strages horrendas, nullo ætatis sexusque discrimine, edidissent; Ladislaus Ungariæ Rex *anno* 1279. *num.* 30. coram Philippo Firmano Legato Apostolico, juravit fidelitatem Romanæ Ecclesiæ, & quod expelleret hæreticos e Regno suo, coge-

a Baudrand. in v. Comania & Comani.

cogeretque gentem Cumanam ad servandam fidem catholicam, & ad restituendum bona ablata christianis, datis Budæ anno Dom. 1279. IX. Kal. Jul. Regni anno VII. literis hisce. „ La-„ dislaus Dei gratia Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramæ, „ Serviæ, Galiciæ, Lodomeriæ, Cumaniæ, Bulgariæ Rex, „ omnibus Christi fidelibus, præsentes inspecturis, salutem in „ auctore salutis. Divinæ visitationis exordium „. *Cætera*. Sed violato jure jurando, laxatoque cupiditatibus fræno, Cumanarum mulierecularum insanis amoribus irretitus, quum jura matrimonii, contempta uxore Caroli Siculi filia, violaret, ac rem Christianam in periculum adduceret, tam a Nicolao III. Papa, quam a Philippo Legato Apostolico, frustra admonitus, ut Cumanorum mores habitumque exueret, anathemate percussus est a Martino IV. anno 1281. Regnique proceres, justo in ipsum concitati zelo, ad comprimendam Regis sui temerariam insolentiam, illum comprehenderunt; depulsisque cum ignominia omnibus illis concubinis, in arce una cum uxore incluserunt. Revocatus tandem ad officium Ladislaus, Oldamirum Cumanorum Ducem profligat: de quo hæc Longinus ad ann. 1282. „ Oldamir Comanorum Dux in superbam ja-„ ctantiam elevatus, & credens se universum Ungariæ Re-„ gnum propter Wladislai Regis pravos & leves mores suba-„ cturum, Ungariam invadit. Cui Wladislaus Ungariæ Rex „ circa lacum Hood occurrens, secum confligit; & prælio „ acri inter utrosque durante, tempestas ingens coorta, ora „ & vultus Comanorum verberans & obcæcans, magno adju-„ mento Uungaris fuit, ut vincerent „. Victus tandem ab Hungaris est Oldamir, & omnis suus exercitus, paucis qui fugiendo ad Tartaros evaserant, exceptis, deletus. At Cumani anno 1285. acceptæ cladis ulciscendæ cupidi, Tartaros excivere, qui tanta multitudine se in Ungariam infuderunt, ut omnia ferro, flamma, rapinis vastarint, Ladislao cum illis conserere non auso. Nicolaus IV. Fratribus Prædicatorum Ordinis anno 1288. spargendi verbi divini provinciam demandavit in terris „ Saracenorum, Græcorum, Bulgarorum, „ Cumanorum, Walachorum, Colchorum, Syrorum, Ibe-„ rorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Cirorum (a) „ Ru-

a Fort. *Scytarum*, aut *Circassorum*.

„ Ruthenorum , Jacobitarum , Nubianorum , Neſtoria-
„ norum, Georgianorum, Armenorum , Indorum, Moſce-
„ litorum (*a*) , Tartarorum, Ungarorum majoris Unga-
„ riæ, Chriſtianorum captivorum apud Tartaros, aliarum-
„ que exterarum nationum Orientis communione S. R. E. ſe-
„ gregatarum „ . Clemens VI. anno 1348. Fratres Minores
ad Cumanos & Tartaros mittens; „ Attendentes (*inquit*)
„ quod in partibus Cumaniæ, ac aliarum plurium nationum
„ infidelium, infra fines Regni Ungariæ conſtitutis, eo qui
„ ſalutis author & lumen de lumine verus Deus eſt, illuſtran-
„ te, lumen ipſius fidei eluceſcere jam cœpit, multis ex in-
„ fidelibus ipſis ad ipſius agnitionem fidei jam converſis „ .
Urbanus V. anno 1369. iiſdem Minoritis Evangelium prædican-
dum committens; „ Cum vos (*inquit*) ad terras Saracenorum,
„ Paganorum, Græcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum,
„ Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scytharum, Ruthe-
„ norum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Ge-
„ orgianorum, Armenorum, Indorum, Mochitorum, alio-
„ rumque non credentium nationum orientis & aquilonis.
„ *Cætera* „ . Ludovici Regis Ungariæ anno 1382. defuncti
elogium ex Cromero (*b*) accipe: „ Pietatis atque religionis
„ ita fuit obſervans, ut non in poſtremis duceret Judæos,
„ & Cumanos falſorum deorum cultores, ad Chriſtianam
„ Religionem adducere: quod in Cumanis quidem aſſequu-
„ tus eſt; Judæis autem quum neque minis, neque præmiis
„ perſuadere poſſet, omnes proſcripſit. *Et infra*. Hic Rex
„ rebelles Hungaris Bulgaros, Boſnenſes, Serbos, Croatas,
„ Tranſalpinoſque ad officium reduxit: Valachiam cum Bog-
„ dano Palatino in clientelam accepit.

IV. Valachiæ deſcriptio.

Itaque ut ad *Valachos* regrediar, ii quidem a Niceta in *Myſia* ponuntur, cumque *Bulgaris* confunduntur; non alia nempe ratione, quam quia Bulgarorum Rex in *Myſia* cis Iſtrum habitantium, idem quoque eſſet & *Blachorum* trans Iſtrum in *Dacia* degentium. *Dacia* quippe propria (ut ait Baudrandius)
„ extenſa erat inter Sarmatiam Europæam, & Iſtrum ſeu Da-
„ nubium, ubi nunc Principatus Tranſſylvania, Valachia,
„ & Mol-

a Fort. *Moſcherum*, ſeu *Moſchovitarum*.
b Lib. 13.

„ & Moldavia, Alutha fluvio Tranſſylvaniam a reliquis ſe-
„ parante. *Valachia* autem (juxta eundem Baudrandium)
„ olim pars Daciæ, in duas provincias diſtincta, nempe in
„ Valachiam propriam, & Moldaviam ſeu Valachiam inferio-
„ rem: ex quibus prima, quæ Valachia propria & Occidenta-
„ lis & minor, a Græcis, Slavis & Turcis *Ungrovlachia*, quod
„ Hungaricam Valachiam ſignificat, a Latinis *Tranſalpina* &
„ *Superior*, ab ipſis autem Valachis *Muntena*, ideſt Monta-
„ na dicitur: terminaturque a ſeptentrione Poloniæ Regno
„ & Ruſſia Rubra; ab ortu Beſſarabia; a meridie partim Bul-
„ garia, & partim etiam Moldavia, a qua terminatur adhuc
„ ad occaſum; Principem nunc habens proprium Vayvodam
„ dictum, ſub clientela Turcorum. Ejus urbes præcipuæ
„ (*a*) ſunt Jaſſium, & Soczova. Valachia autem inferior,
„ ſive Orientalis, & major, nunc *Moldavia* dicta, & olim
„ *Maurovlachia*, ideſt, nigra Vlachia a Græcis, hodie quoque
„ a Turcis *Carabogdania*, ideſt nigra Bogdani Regio, a Bog-
„ dano Principe dicitur, & hanc Slavi *Moldovlachiam*, a flu-
„ mine Molda dicunt, Valachis autem Moldove. Principem
„ quoque proprium habet Vvayvodam dictum ſub Turcorum
„ clientela. Ejus caput eſt Bucoreſta, & alia urbs præcipua
„ eſt Tergoviſtum: pars quoque ejus eſt Beſſarabia Provincia,
„ quæ extenditur ab ortu in occaſum inter Pontum Euxinum
„ ad ortum, Podoliam ad ſeptentrionem, & Moldaviam ad
„ meridiem, Bulgariamque, a qua ſeparatur Iſtro fluvio:
„ ubi alias Arpii populi Moeſiæ inferioris, teſte Ptolemæo,
„ quorum Regio Getarum ſolitudo dicta fuit, nunc Beſſarabia
„ a Beſſis, & Arpiis populis, quorum urbs Arpis ipſorum
„ caput in ora Ponti Euxini prope oſtia Iſtri fluvii, quæ nunc
„ Bialogrod dici putatur.

V. Valachiæ Principes, Vayvodæ dicti.

Joannes (*b*) *Comnenus* Medicus *Proſcynetarium*, ideſt deſcriptionem locorum, *ſacri montis Atho* ἐν Βουκουρεστίῳ, *Bucureſtii*, *typis Anthimi Hieromonachi* ἐν τῇ μονῇ τοῦ Συναγώβου *in monaſterio Synagobi*, edidit *menſe Majo anno* 1701. ἐπὶ τῆς

O 2 γαλη-

a In Valachia ſunt 26. oppida & caſtra: præſertim „ Chotiina, Nempzs, Ro-
„ mani Wivar, Bahloiiazvar, Wazlo, Zoruca, Orhe, Barlat, Tataros, Huztvva-
„ ras, & Romanvvaſar.

b Apud Montfaucon. in Palæographia Græca a pag. 441.

γαληνοτάτης ἡγεμονίας τῦ ἐυσεβεςάτυ ἐκλαμπροτάτυ κ̀ ὑψηλοτάτυ Α᾿υθέντυ κ̀ ἡγεμόνος πάσης Οὐγγροβλαχίας Κυρίυ Κυρίυ Ι᾿ωάννυ Κωνςαντίνυ Βασσαράβα Βοεβόνδα; Α᾿φιερωθὲν δὲ τῷ πανιερωτάτῳ Μητροπολίτῃ Ο᾿υγγροβλαχίας Κυρίῳ Κυρίῳ Θεοδοσίῳ, „ Serenissimo Principe, piissimo, clarissimo & celsissimo Authente & Duce universæ Ungarovlachiæ, Domino Domino „ Joanne Constantino Bassaraba Voëvoda; dedicatum autem „ Sacratissimo Metropolitano Ungarovlachiæ Domino Domino „ Theodosio „. In eodem Proscynetario memorantur (apud Montfaucon. pag. 452. & 454.) ὁ ἀυθέντης τῆς Οὐγγροβλαχίας Νεάγυλος Βασσαράβας Βοεβόνδας, *Authentes Ungarovlachiæ Neagulus Bassarabas Voevoda*, depictus in Monasterio S. Athanasii unacum conjuge. Pag. 455. *Authentes totius Ungarovlachiæ Joannes Constantinus Bassarabas Voevoda*, qui caput S. Michaëlis Synnadensis in theca argentea auro & lapidibus pretiosis exornata reposuit. Pag. 477. monasterium *Dionysii* exornasse dicitur „ Neagulus Bassarabas Voëvoda Ungarovlachiæ: & post ipsum Authentes Ungarovlachiæ Petrus Voëvoda, qui anno 1580. Ecclesiam depingi curavit: demum „ Roxandra uxor Alexandri Voëvodæ, filia Petri Voëvodæ, „ Nosocomium & Refectorium excitasse picturis decoratum. Pag. 480. ejusdem Monasterii Dionysii post Alexium Comnenum Imperatorem fundatores perhibentur *Neagulus Bassarabas Voevoda*, filius ejus *Theodosius*, *& Petrus Voevoda*. Pag. 482. Monasterium Xeropotami instaurasse fertur ἀυθέντης τῆς Βλαχίας Α᾿λέξανδρος Βοεβόνδας, *Authentes Valachiæ Alexander Voevoda*. Pag. 483. monasterium Cutlumusæ ab Alexio Imp. fundatum, instaurasse *Valachiæ Authentes Neagulus Voevoda*, *Radulas* Voëvoda, Bassarabæ: *Myrtzes* (*a*) Voëvoda, & *Vintilas* Voëvoda. Pag. 487. Monasterium *Zographi a Mose*, *Aarone*, *& Joan-*

a Georgius Reychersdorff Transylvanus in Chorographia Moldaviæ, quæ rerum Hungaricarum scriptoribus Francofurti anno 1602. editis, a pag. 585. subjungitur: „ Præterea Moldavienses simul & Transalpinenses Vayvodæ (inquit) vires „ Turcarum Cæsaris non semel magno suo malo experti, suoque imperio & regno „ depulsi sunt. Quemadmodum quondam Petro Vayvodæ Moldavo, Bogdano co„ gnomine, paucos ante annos (*is porro scribebat anno* 1550.) obrigit: quem Cæsar „ Turcarum suo privaverat dominio & ablato ejus thesauro, in diram captivitatem „ Constantinopolim abduxerat, ubi ad plures menses vinculis retentus, tandemque „ impetrata Cæsaris gratia, pristinæ libertati restitutus est: post cujus obitum filius „ ejusdem *Elias Bogdanus*, patris imperio successit, feliciterque ac summa cum „ peu-

& Joanne Achridensibus fundatum, instaurasse Authentes Μολδοβλαχίας *Moldovlachiæ Stephanus* Voëvoda anno mundi 7010. Chr. 1502.. Pag. 490. monasterium *Docbiarii* ab Euthymio cathegumeno & Nicolao Patricio fundatum, instaurasse *Authentes Moldovlachiæ Alexander* Voëvoda anno mundi 7086. Chr. 1578. Pag. 492. monasterium S. Pauli a Bulgaris & Servis habitatum, nova turri excitata, exornasse dicitur *Authentes totius Ungarovlachiæ Joannes Constantinus Bassarabas* Voëvoda *Brancobanus*: fundasse autem *Authentes Symendri in Servia Giuras Despotes* pater Dominæ *Maro*, quam Mahumetes postea in uxorem duxit, quando Constantinopolim cepit. Pag. 494. monasterium Xenophontis a cognomine Xenophonte exstructum, instaurasse an. mundi 7053. Chr. 1545. *Ducas Bornicus*, & frater ejus *Radulas Principes Ungarovlachiæ*, & *Authentes Valachiæ Matthæus* Voëvoda *Bassarabas*: depicti in eodem dicuntur Principes, *Banus Barbulus*, *Dantzulas Bornicus*, *Purbulus*, *& Radulas*. Pag. 494. monasterium *Gregorii* instauratum ab Authente *Moldovlachiæ Alexandro*, patre *Bogdani* Voëvodæ,

---

„ prudentia & moderatione atque benignitate subditos suos omnes gubernare, & „ Transylvanis bonam amicitiam & vicinitatem servare dicitur: nihilominus tamen „ Cæsaris Turcarum imperio substrictus quibusvis annis solitum tributum pendere „ solet. In Transalpina autem provincia quidam Miircza, qui (ut ajunt) pluribus „ annis in aula Cæsaris Turcarum versatus, & tandem non multis ante annis, priori „ illius terræ Vayvoda Vvlad nominato, e medio sublato, auctoritate Turcarum „ Cæsaris in dominium istius provinciæ restitutus est, quem sua crudelitate & tyrannide prædecessores Vayvodas ejusdem provinciæ multo superare ferunt „. Cetera. Hofmanus in V. *Valachia*. Casimirus M. Poloniæ Rex, dum *Stephanum* Vaivodam a fratre *Petro* pulsum, restituere conatur, ab hoc in insidias pertractus & victus est Anno Chr. 1369. Ejus vero successor Ludovicus Ungariæ Rex Transalpinam Valachiam subegit Anno Chr. 1370. Uladislaus quoque Jagello Valachiæ Palatinos in fidem recepit Anno Chr. 1411. Et rursus Sigismundus Poloniæ Rex, Valachis victis, Senatuque gentis capto, Bogdanum Vaivodam sibi jurare coëgit Anno C. 1506. Dein vero Turcæ hic rerum potiti, ac sub Sigismundo III. Constantinom Vaivodam infeliciter adversus Tomsam a Turcis substitutum, restituere Poloni tentarunt Anno Chr. 1612. Cumque post hæc Gratianus Vaivoda Anno Chr. 1620. ad Polonos defecisset, Osmanus Turcarum Imperator misso in Valachiam Skinder Bassa cum 100. mill. Turcarum, Polonicum exercitum fudit, Gratiano qui paulo ante fugerat, in casa cujusdam Valachi ab hoste cæso. Hactenus Hofmanus. Mirum, ab hoc diligentissimo auctore fuisse prætermissum *Stephanum Valachiæ Vaivodam*, qui anno 1475. Mahometi Turcorum Sultani exercitum delevit, de quo Joachimus Cureus in Silesiæ Annal. ab an. 1467. ad 1504. quo decessit, nimirum a pag. 172. ad pag. 223. qui pag. 204. Bessarabiam ei a Bajazete ereptam refert: „Anno (inquit) 1484. Bajazetes pulso fratre, „ ut ulcisceretur cladem patri Mahometi acceptam a Stephano Valacho, bellum ter- „ ra marique Valachiæ intulit, & primo impetu, etsi non sine strage suorum, extre- „ mam oram Valachiæ ad Pontum Euxinum, quæ Bessarabia nominatur, ad ripas „ Istri & Tyræ, occupavit, captis urbibus Cylia & Moncastro.

vodæ, anno mundi 7005. Chr. 1497. Pag. 495. monasterium *Caracali* ab Antonio Caracalo fundatum, instaurasse Authentes τῆς Μολδαβίας *Moldaviæ Petrus* Voëvoda, *Bogdaniæ* dominus. Pag. 499. In Monasterium *Stauronicetæ* a Hieremia seniore Patriarcha CP. extructum, perhibetur aquam ad potum deduxisse Authentes *Ungarovlachiæ Serbanus Cantacuzenus* Voëvoda.

VI. Blachorum seu Ulachorum nominis originatio juxta nonnullos scriptores.

Hæc de Valachiæ Voëvodis. Nunc de *Valachorum* nomine & origine. Primus omnium, ni fallor, *Joannes Cinnamus*, qui anno circiter 1180. vivebat, *Blachos* seu *Ulachos*, a Romanis genus duxisse scribit lib. 6. Historiar. num. 4. inquiens: „ Leonem autem, Batatzem nomine, aliunde cum exercitu „ perinde magno, maxime vero (*a*) *Ulachorum* ingenti „ multitudine, qui Italorum Coloni quondam fuisse perhiben- „ tur, ex locis Ponto Euxino vicinis irruptionem in Hungariam „ facere jubet, qua ex parte nemo adhuc a primis seculis eos „ invaserat „. Huc respexisse videtur Innocentius III. Papa lib. 2. Epistolar. dum Joanni Bulgarorum & Ulachorum Regi de stirpis origine quodammodo adblandiens: „ Nos autem „ (inquit) audito, quod de nobili Urbis Romæ prosapia pro- „ genitores tui originem traxerint, & tu ab eis & sanguinis „ generositatem contraxeris, & sinceræ devotionis affectum, „ quem ad Apostolicam Sedem geris, quasi hæreditario jure, „ jampridem te proposuimus literis & nunciis visitare „. Quæ quidem Pontificis verba (uti adnotat Cangius in Cinnamum edit. Paris. pag. 483.) non ad solius dumtaxat Joannis, verùm ad totius Ulachorum gentis originem referenda sunt. Sed & Pius II. qui Romanam Cathedram ab anno 1458. ad ann. 1464. Pontifex exornavit, de Valachis hæc habet: „ Postremo Romanis armis subacti ac deleti sunt, & Colonia Romanorum, quæ „ Dacos coërceret, eo deducta, duce quodam Flacco, a quo Flac- „ cia nuncupata: exin longo temporis tractu, corrupto, ut fit, „ vocabulo, Valachia dicta, & pro Flacciis, Valachi appellati.

Georgius quoque a Reycherſdorffer Transylvanus in Chorographia Transylvaniæ ad Ferdinandum Romanorum, Hungariæ, & Bohemiæ Regem, anno Christi 1550. exarata, & an. 1602. Scriptoribus Rer. Hungaricarum subjuncta, pag. 571. de Va-

a Græc. text. πρὸς δὴ καὶ Βλάχων πολὺν ὅμιλον, οἳ τῶν ἐξ Ἰταλίας ἄποικοι πάλαι εἶναι λέγονται.

de Valachis: „ Hujus nationis (inquit) genus ex Italis profe-
„ ctum esse lingua arguit, nomen ex Sarmatis (quibus alicubi
„ etiam contermini sunt) adepti videntur, ipsamque quam
„ inhabitant provinciam, Flacciam, a Flacco quodam Roma-
„ no cive, quo duce eo sit deducta Colonia ad tuendas Mœ-
„ sias contra Dacos (quos Romanis nunquam fidos fuisse Taci-
„ tus autor est.) Verum ut sit, longa temporum serie, quæ
„ nihil non vitiat, pro Flaccia Valachiam, proque Flaccis Va-
„ lachos dici coeptos. Et citant hi de Flacco Nasonis versicu-
„ los ex epistolis Ponticis reductos lib. 4.

Præfuit his Cæcine locis modo Flaccus, & illo
Ripa ferax Istri sub Duce tuta fuit.
Hic tenuit Mœsas gentes in pace fideli,
Hic arcu fisos terruit ense Getas.

„ Porro Mœsos olim fuisse, qui nunc Valachi sunt, receptius
„ est hodie, quam quis negare audeat, in tanta præsertim au-
„ torum, qui sectandi erant, diversitate: inter quos quidem
„ primus Ptolemæus Cosmographorum antistes & plane al-
„ pha, quod ajunt, nihil Mœsis concedit ea, qua Valachi se-
„ dent parte: siquidem is a Carpatho monte incipiens, quid-
„ quid terræ ab occasu, Tibisco amne; a Meridie, Danubio;
„ a Septentrione, Sarmatia Europæ clauditur, Daciæ nomi-
„ ne apprehendit: juxta quam descriptionem Transylvanos,
„ Ciculos, Valachos, quosque Moldavienses vocant, & Un-
„ garorum bonam partem, qui Poloniam versus, planam
„ colunt terram, Dacos appellans... At Strabo geographicæ
„ rei diligentissimus observator, Mœsos scribit utrumque la-
„ tus Istri accoluisse: cum quo Plinius sentire videtur lib. 3.
„ natural. histor. Pannoniæ, inquit, jungitur provincia, quæ
„ Mœsia appellatur, ad Pontum usque cum Danubio decur-
„ rens „. Idem Georgius Transylvanus in Moldaviæ Choro-
graphia pag. 585. „ Ipsa autem Valachia Transalpini nominis
„ originem ex re sortita: Alpibus enim & montibus conti-
„ nuis, & his quidem altissimis, ab Hungaria, & ejus potissi-
„ ma Transylvaniæ parte, nemorosis passim amœnisque in-
„ tervenientibus sylvis, dividitur & conterminatur. Præter-
„ ea Valachia appellatur a Flaccis Quiritum gente. Romani
„ enim Getis superatis & deletis, Flacci cujusdam ductu eo
„ co-

„ coloniam deduxere, unde primum Flaccia, deinde corrupta voce Valachia dicta. Adſtipulatur huic opinioni Romanus ſermo, qui adhuc in ea gente durat: verum adeo ex omni parte corruptus, ut vix ab homine Romano intelligatur. Igitur Valachi Italicum genus, a veteribus [ut ajunt] Romanis derivatum, præter quod hiſtoriis traditur, in Coloniam Dacicam a Trajano Imp. deductos eſſe, plane in Getarum mores abierunt, atque nihil antiquæ originis, ſuique monumenti retinent, præter nativam linguam, quæ admodum barbara & corrupta eſt „. Hoc ipſum Scriptores fere omnes Neoterici aſſerunt quoad Valachorum nominis, gentiſque originationem: Italos nempe eos fuiſſe, a Flacco Coloniam in Myſiam deductam. Præſtat Abrahamum Bzovium audire, qui ad annum Ch. 1463. num. 27. de quibuſdam Valachiæ Principibus, deque Valachorum nomenclatione ſic ſcribit: „ Dum hæc (*a*) Boſnenſes contra Turcas quæritant, Joannes Dracula (*b*) Princeps Valachiæ ad Turcas deficere volens, a Matthia Rege interceptus & in vincula conjectus, non modicam Pio lætitiæ materiam miniſtravit. Non eſt reticenda Joannis atrox nequitia, & natura immanis, cujus inter Valachos, quibus præfuit, adeo nobilitata ſunt ſcelera, ut nulla queant tragœdia ſuperari. Valachi populi ſunt ultra Danubium habitantes, inter mare Euxinum, & regiones, quas hodie Tranſylvanas appellant, in quibus ſeptem (*c*) civitates Theutonici ſermonis exiſtunt. Valachi lingua utuntur Italica, verum admodum imperfecta & corrupta. Sunt qui Legiones Romanas eo miſſas olim cenſeant adverſus Dacos, qui eas terras incolebant: Legionibus Flaccum quemdam præfuiſſe, a quo Flacci primum, deinde Valachi mutatis literis ſint appellati, quorum poſteri barbariores barbaris evaſere. Iis hac ætate Dragula præfuit, animo inconſtanti & vario, quem anno ſexto & quinquageſimo

a Nimirum, dum Stephanus poſtremus Boſnæ Rex, Thomæ Stephani filius, Legatos ad Pium II. mittit, petitum opem adverſus imminentem Turcorum irruptionem, quam ſupra deſcripſi.

b Legendum, *Radulas*.

c Septem urbes Saxonicæ in Tranſylvania ſunt, 1. Cibinium. 2. Braſſovia. 3. Biſtricia. 4. Segeſvvaria. 5. Megies. 6. Zabeſus ſeu Zaazſebes. 7. Coloſvvaria. Vide Georg. Reycherſdorff in Tranſylvaniæ Chorographia pag. 572.

,, ſimo ſupra mille quadringentos Incarnati Verbi, Joannes
,, Huniades Regni Gubernator, eo quod ad Turcas defeciſ-
,, ſet, bello victum, captumque cum altero filio neci tradi-
,, dit, Ladislao (*a*) quodam ei ſuffecto, qui Valachos im-
,, perio regeret. Fugit Gubernatoris manus alter Dragulæ fi-
,, lius, nomine Joannes, de quo imus narratum, qui paulo
,, poſt exercitu comparato, interfecto Ladislao, paternæ hæ-
,, reditatis magnam partem vindicavit, cunctis qui ſibi pa-
,, trique fuerant adverſi, crudeliter necatis. Hic Cibinien-
,, ſem (*b*) ingreſſus provinciam, quamplures villas populo
,, plenas ſuccendit: viros catenatos admodum multos in Va-
,, lachiam tractos, palis affixit. Ex Vurcia (*c*) quadringen-
,, tos pueros, tamquam lingua Valachorum erudiendos, ad
,, ſe juſſit adduci, quos in æſtuario clauſos, immiſſo (*d*) igne
,, cremavit. Viros ſui generis nobiliores, & qui propinquio-
,, res ſibi fuerunt, cum liberis & uxoribus interfecit. Quoſ-
,, dam ex domeſticis ſuis umbilico tenus terra ſuffodi juſſit ac
,, ſagittis transfodi, nonnullis cutem ademit, Daxm quemdam
,, filium

a ***Wlad***, hoc eſt, ***Wladislaus***, appellatur a Reycherſdorfero pag. 588. in Moldaviæ Chorographia, cujus verba ſupra retuli. Idem auctot in Tranſylvania pag. 575. ,, Ex qua arce (ideſt, Braſſovia) anno 1541. Stephanus Maylat, iſtius
,, Regni Tranſylvaniæ Vayvoda, vir militaris ac ſtrenuus, a Turcis & Petro Vayvo-
,, da Moldavo, dolo & fraude ae ſimulara eorumdem fide, elieitus, & in captivi-
,, tatem Cæſaris Turcarum abductus eſt Conſtantinopolim, ubi hactenus acerrimis
,, detinetur vinculis: de cujus tam inſperata ac improviſa captivitare, & Petri Vay-
,, vodæ perfidia longa poſſet ſcribi hiſtoria ,,. Et paulo poſt. ,, Megienſis civitas
,, elade quondam Ludoviei Gritti Gubernaroris non incognira, cujus duo filii in-
,, ſignes adoleſcentuli in captivitatem Vayvodæ Moldavieoſis deducti, capite pater-
,, num ſcelus (qui Varadienſem Epiſcopum iotetſecerat) expiarunt. Acta ſunt
,, hæc anno vigeſimo ſeptimo (ſupra 1500.)

b *Cibinium*, al. Hermanſtatt, Metropolis Tranſylvaniæ, a Cibinio amne nomen retioens: cujus Parochia Cathedralis, ſuo Præſule infularo digna, viginti & quatuor Saeerdorum adaucta aris, eſt conſpicua. Reycherſdorff pag. 573.

c Braſſovia, ſeu Corona, civitas, quam Pannones Burczam, noſtri antem Burciam vocant, vel ab amne cognomine qui id loci interluit, vel a radiee, quaſi dicas noſtrate lingua Vurcziam, quæ vulgo reeepta eſt opioin. Reychetſdorff. p. 574. & ſeq.

d Hunc *Joannem Dragulam* Reycherſdorſus vocat *Mirczam* pag. 588. ſic de ejus tyrannide ſcribens: ,, Hic ſiquidem initio regiminis ſui, potiores Seniores, Ba-
,, rones, & Nobiles iſtius Provinciæ, nulla legitima occaſione habita, partim mi-
,, ſerabili nece affici, ac nonoullos in diram captivitatem redigi juſſit: unde plures
,, alii formidine ducti, oe in manus illius inciderent, relictis omnibus opibus, ſeſe
,, clam in fugam ſubduxere, & in Tranſylvaniam, qua tutiores eſſent, contulere.
,, De cujus Vayvodæ Mircza tyrannide, rebuſque tam ſeveriter & crudeliter geſtis
,, quiſpiam ocioſiot longam poſſet edere hiſtoriam.

„ filium alterius (*a*) Daxm Vaivodæ in bello cepit, viven„ tique ac videnti ſepulcrum erexit, juſſitque Sacerdotes „ exequias decantare, quibus finitis, captivo caput amputa„ vit. Legatos Siculorum (*b*) & Tranſylvanorum quinqua„ ginta tres ad ſe miſſos, in vincula conjecit, & ingreſſus eo„ rum terras, nihil hoſtile timentes, ferro & igne cuncta vaſta„ vit. Cælinum ſuarum copiarum Ducem, eo quod imma„ nitati ſuæ non ſatisfaceret, palo transfixit. Viros ex Vur„ cia ſexcentos in alteram provinciam tranſeuntes, quum in „ manus ejus perveniſſent, ad palos peremit... Tranſylva„ nam ingreſſus provinciam, cunctos Valachos illic habitan„ tes quaſi amicos ad ſe vocavit, & in unum congregatos, im„ miſſis militibus interfecit, & villas eorum exuſſit. Supra 30. „ hominum millia his artibus interemiſſe dicitur. Superiore „ anno [*ideſt*, 1462.] Turcarum Imperator, cujus ditioni ſub„ eſſet, cenſum ab eo petiit. Ipſe iturum ſe Adrianopolim „ dixit, cenſumque allaturum: petiit ergo literas ad locorum „ præfectos, quibus tuto ire poſſet. Conceſſæ ſunt. Tranſmiſ„ ſo Danubio, qui glacie coactus erat, cum exercitu occurren„ tes Turcarum præfectos interfecit, & late graſſatus in po„ pulos, ſupra 25. millia utriuſque ſexus hominum trucida„ vit... Quum tot flagitia perpetraſſet, a Matthia Rege „ Hungariæ tandem captus eſt. Cauſam capturæ præbuere li„ teræ ſuæ, quæ in hunc modum ad Imperatorem Turcarum „ quum ſcriptæ mitterentur, interceptæ ſunt „ Imperato„ rum Imperatori, & Dominorum Domino qui ſub Sole ſunt, „ magno Admirato, & magno Sultano Mahumeto, in omni„ bus fortunato. Joannes Vaivoda, & Dominus Valachiæ, „ hu-

a *Danum* vocat Laonicus *Maſarempis* filium cap. 7. pag. 178.

b Qui Bzovio *Siculi*, Tranſylvanis *Ciculi* vocantur. Reycherſdorf pag. 507. *Ciculia* Daciæ angulus, Moldaviæ regioni contiguus, ejus terræ populi dicuntur *Ciculi*, Scytharum (ut ajunt) genus, a quo originem traxere, ſuis vivunt legibus & moribus, ſuaque officia ſorte diſtribuunt. Nemo apud illos ignobilis eſſe cenſetur... Hi ſunt Hunnorum antiquiſſimi, quos Ciculos appellare malunt quidam, quod è Scythis originem trahant. Sunt autem in ſeptem diviſi regiones, quarum nomina ſunt: Sepſi, Orbai, Kyſdi, Czijk, Girgio, Marcus Zeech, Aranyas Zeech, Hungarico ſermone appellatas. Joannes Jacobinus in enarratione rerum a Sigiſmundo Tranſylvaniæ Principe anno 1595. geſtarum, eundem Principem vocat „ Sigiſmun„ dum D. G. Tranſylvaniæ, Moldaviæ, Valachiæ Tranſalpinæ, & S. R. I. Prin„ cipem, partium Regni Hungariæ Dominum, & Siculorum Comitem &c. „ Pro Ciculis enim *Siculos* ubique habet.

„ humilem subjectionem. Servus ego magni Imperii tui, „ certiorem te facio, me hodie ad terram meam proficisci „ cum exercitu, & confido in Deo, obtenturum me illam, „ nisi tuo præpediar imperio. Ideo magnitudinem tuam sup- „ plex oro, ne meum errorem & peccatum magnum meum „ inspicias: quoniam imprudenter in te peccavi, & malum fe- „ ci in terra tua; sed misereatur mei tua clementia, atque „ indulgeat, ut Legatos ad te mittere possim. Mihi nota est „ omnis Transylvana regio, & omnis Hungaria; & conditio- „ nes locorum, rerumque calleo. Si placuerit Imperii tui „ magnitudini, possum pro redemptione delicti mei, totam „ regionem Transylvanam tuis manibus tradere, cujus posses- „ sionem adeptus, poteris omnem Hungariam tuæ potestati „ subjicere. Legati mei plura ad te deferent. Ego quoad vi- „ xero, tuus ero inconcussæ fidei servus. Deus magni Impe- „ rii tui multos faciat annos. Scriptum in Rothel VII. Idus „ Novemb. 1462. „ Fuerunt & aliæ binæ literæ ejusdem fere „ sententiæ, una ad Bassam, altera ad Thœnanæ Dominum, „ ut pro se intercederent apud Magnum Imperatorem. Eæ de „ lingua Bulgarica in Latinum conversæ, ad Pium Pontifi- „ cem missæ fuere.

VII. An Valachi genus ex Italis duxerunt?

Verum, quoad Valachiæ Chorographiam, resque Ducum Valachorum, uti supra narrantur, gestas, ego quidem Reychersdorfero & Bzovio libenter me subscribo: At vero, *Valachos Italici generis esse homines, deductamque olim a Flacco Romanorum Coloniam*; *Valachos* proinde pro *Flaccis*, & *Valachiam* pro *Flaccia* dici cœptam fuisse; id enimvero constanter pernego. Et primum quidem ajo, fabulam hanc esse nuper excogitatam, quum nullis veterum Scriptorum documentis ostendi queat, a Flacci temporibus Romanos milites ad tuendam Mœsiam sive Daciam ibi relictos, eo usque susceptis liberis crevisse, ut eorum posteritas Italici generis sermonisque ad præsentem usque diem permanserit. Mœsia enim & Dacia tam frequenter sunt a Getis, Hunnis, aliisque Barbaris invasæ, ut incredibile sit, eo deductam Coloniam, ad nostra usque tempora incolumem integramque permanere potuisse. In Illyricum, in Græciam, in Syriam, in Ciliciam, in Ægyptum, in alias Orientis & Occidentis regiones, æque sunt deductæ,

 imo

imo frequentiores, Romanorum Coloniæ; nec tamen Italici generis linguæque homines, a Julii & Augusti Cæsarum temporibus ad hanc diem ibi superstites videmus: longa quippe temporum series, gentiumque Barbararum irruptio, nihil non vitiat. Præterea, neque *Flacciæ Flaccorumve*, neque *Valachiæ*, aut *Valachorum*, ab Augusti ac Tiberii ætate usque ad duodecimum Christi sæculum, ulla legitur apud idoneos Scriptores mentio, sed regiones illæ cis & trans Danubium sitæ *Mysiæ Daciæque* nomen semper retinuere, donec diversis Scytharum populis illuc confluentibus, nova iis imposita sunt vocabula, sive è Scythico sermone, sive è Græco petita. Porro Cangius, qui notis in historiam Joannis Cinnami, eam de Valachorum origine sententiam tueri videtur, idem ipse loc. cit. haud obscure innuit, ita hæc a se affirmari, non ut ei sententiæ subscribat, sed ut illam ostendat, jam sub Manuele Imperatore, qui ab anno 1143. ad 1180. imperavit, apud Græcos invaluisse: sic enim ait: „ Sed licet hanc de Valachorum origine
„ sententiam, ut fabulis innixam respuat damnetque Leun-
„ clavius, illud tamen in confesso esse debet, non extremis
„ dumtaxat natam sæculis, sed jam Manuele ipso imperante
„ invaluisse „. Veram hujus nominis Etymologiam nos docet *Anna Comnena* Cæsarissa in Alexiade lib. 8. pag. 227. edit. Paris. ubi Imperatorem Alexium literas dedisse scribit ad Cæsarem Nicephorum Melissenum, quibus dicto citius [ad reprimendos Scytharum impetus] Ænum petere jubebat, cum legionibus recens conscriptis: „ Mandaverat enim ei antea, ut
„ quamplurimos posset, conscriberet milites: non è veteranis
„ [siquidem hos ipse occupaverat Augustus per occiduum
„ spargere limitem, urbibus ejus tractus præcipuis præsidio fu-
„ turos] sed novos, & eatenus expertes belli: genera ipsa
„ subtiliter explicans, ex quibus hos fieri delectus tyronum
„ mallet, *ὁπόσοι τε ἐκ Βυλγάρων, καὶ ὁπόσοι τὸν νομάδα βίον*
„ *εἵλοντο* [*Βλάχυς τύτυς ἡ κοινὴ καλεῖν οἶδε διάλεκτος*] nem-
„ pe Bulgaros, & pastoritiæ duratos vitæ laboribus agrestes,
„ juvenes incertis sedibus vagos, quos communis Dialectus
„ BLACHOS vocare consuevit. *Ad verbum*. Quoscumque
„ ex Bulgaris, & quoscumque ex Nomadum vitam ducenti-
„ bus, quos communis Dialectus Blachos vocare consuevit „.
Ita

Ita *Blachi*, juxta communem Dialectum, iidem sunt, ac *Nomades*, & *Vagi*. Scythæ enim [quemadmodum Nicephorus Gregoras lib. 1. cap. 4. scribit] „ propriam suam appellatio„ nem ipsi utique sua lingua norunt. Qui vero Græcis nomi„ nibus eos appellant, alias aliter, suo quique arbitratu, illos „ vocant „. Græca quippe hæc vocabula, *Nomades*, *Hamaxobii*, *Abii*, *Galactophagi*, *Melanchlæni*, *Hyperborei*, & similia, non propria sunt ejus gentis nomina, sed mores, habitum, situmque apud Græcos Scriptores exprimentia. Cangius in Glossario Annæo, sive declaratione verborum, quæ singulari, aut rara notione usurpantur ab Anna Comnena, postquam verba supra recitata de *Blachis* retulisset, subjungit: „ Et tamen Blachi, „ populorum nomen est Mœsiam (*a*) Superiorem incolen„ tium, qui hodie Valachi vocantur, olim fortasse ex Scy„ this Nomadibus & Hamaxobiis Vagis in iis denique sedibus „ conquiescentes; unde invaluerit, ut proprium antea sectæ „ atque instituti nomen genti postmodum adhæserit. Neque „ enim nunquam studia in generis appellationem transeunt „ in similibus. Occurrunt nunc *Corsi*, seu *Corsicæ* insulæ cul„ tores, qui quoniam opportunitate litorum & marium ille„ cti piraticam olim studiose factitabant, inde vulgari voca„ bulo Piratas *Corsaires* dicimus: uti & latrones *Brigans* vo„ camus, quod *Brigantes* olim magnæ Britanniæ populi, la„ trociniorum infamia flagrarent: ut omittam *Chaldæorum* „ nomen sæpius olim Astrologiæ studium, quam locum patriæ „ designasse. Cui geminum est quod sacrarum literarum In„ terpretes annotant in illis verbis Proverb. 31. 25. *Sindonem* „ *fecit*, *&* *vendidit*, *&* *cingulum tradidit Chananæo*; Cha„ nanæum dici Mercatorem. Sed nullus sit finis, si curem „ congerere cuncta ejus loci exempla. Unum addam, de „ quo fuerit operæ pretium monuisse. Joannes Cinnamus, „ cujus historiarum libros rerum narrationum indidem, ubi „ Annæ nostræ Alexius desinit, auspicantes, Latina versione „ deproperamus brevi prodituros, libro secundo (*b*) me„ minit

a Imo, *Daciam*.

b Num. 3. pag. 19. edit. Paris. „ His igitur arcibus, obsistente nemine, expu„ gnatis, ad urbem usque Antiochiam, facta Mysorum, ut ajunt, præda, & raptis „ quæ obviam erant, penetravere.

„ minit deprædationis Myſorum, quæ inter Cilicum & Antiochiæ Syriæ fines exerceretur. Unde autem tali loco Myſi? nempe *Myſos* viles perſonas & mancipia intelligit, ſignificatque magnum numerum ruſticorum & vilium capitum, captos & ſervituti fuiſſe addictos. Id adeo inde ortum ſuſpicari fas eſt, quod *Myſorum* gens deſpicabilis & ſervituti nata olim proverbio locum dederat, *ἔσχατος Μυσῶν*, quum alicujus infima vilitas exaggeranda cum hyperbole eſſet. Cicero pro Flacco ſect.65. *Quid porro in Græco ſermone tam tritum atque celebratum eſt, quam ſi quis deſpicatui ducitur, ut Myſorum ultimus eſſe dicatur?* Igitur, ut *Myſi* mancipia dicti, ut bello capti & inclementi ſervitute habiti *Sclavi* ſive *Slavi* vocitati: ſic *Blachi*, quum gentis vagæ proprium eſſet nomen, appellatione poſtea deſignaverit inſtabilis & deſultoriæ vitæ barbaros, *ἑλόντες τὸν νομάδα βίον*, erraticæ & nuſquam habentis domicilium vitæ ſectarios.

VIII. Vera Valachorum etymologia.

Sed Undenam id vocabulum, *Blachia*, *Blachi*, derivatum? A Slavis ne, an ab aliis populis? Leunclavius in Pandectis ſect. 71. a voce Germanica derivatum contendit *Ulachorum* nomen. „ Ulachiam [inquit] vocavere (*a*) Græci, & incolas *Ulachos*: pro quibus interpretes (*b*) Zonaræ, Cedreni,& aliorum hiſtoricorum reddidere *Blachiam* & *Blachos* contra molliorem pronunciandi rationem Græcorum: quos imitantes Turci, non *Iblach*, ſed *Iſlach* dicunt. Nomen *Valachorum* non a Flaccis Romanis, origine fabuloſa, quæ pluribus tamen placuit: ſed a Germanis noſtris profectum arbitror. Habuerunt enim vicinos Daci Germanos, puta Quados, Gothos, Gepidas, in quorum agro, qui nunc Cepiſienſis dicitur, incolæ præſertim Calemarca vicini, ſe *Nemetſaſſios* hodieque nominant, voce de (*c*) *Nemetis* [ſic Ungari Germanos appellant, ut Venedæ nationes *Nemitzos*] & *Saſſis* compoſita, quæ Saſſios ſive Saxo- „ nes

a Βλαχία, Βλάχοι.

b Neque *Blachiæ*, neque *Blachorum* nomen, ni fallor, reperitur apud Cedrenum & Zonaram. Sed apud Nicetam, Nicephorum Gregoram, Annam Comnenam, & alios recentiores.

c Turcis quoque Germani omnes communi vocabulo [illegible] *Nemices*, ut & Hungari [illegible] *Magiari* dicuntur.

„ nes Germanos ſignificat. Germani vero plerique tam Italos, „ quam Gallos [qui Germanis ſunt *Walli*, ſicut Gilimer nomen Gothicum eſt *Vvilmer*: & in Anglia quoque *Vvallorum* „ nomen priſcis incolis provincialibus, ab Angloſaxonibus noſtris inditum, manet] vocare ſolent *Vvalchos* & *Vvaliſchos*: „ quorum linguæ provinciali quum lingua Daciæ, quæ ipſa „ quoque Romanorum provincia quondam fuit, adfinis eſſet: „ idem a noſtris *Vvalchorum* nomen accepere, quod denunciatione molliori mutatum in *Vvalachos*. Suffragatur huic „ opinioni meæ vetus etiam *Galliciæ* nomen, frequens in antiquis Ungariæ Regum titulis, quo Valachia ſignificabatur, „ eadem cum Gallis & Italis utens lingua, ſicut & nunc adfinitatem aliquam cum eorum lingua provinciali retinet „. Hæc Leunclavius: cui, quod de vocis *Galliciæ* etymologia tradit, aſſentiri omnino nequeo: non enim *Gallicia* a Gallis dicitur, ſed *Galitz*, principatus eſt cum urbe & caſtro ex Moſcovia in Orientem per Caſtromowgorod euntibus, uti ab Herberſteinio deſcribitur rer. Moſcoviticar. Commentar. pag. 56. & 84. *Galliziam* & *Halyciam* vocat Baudrandius, inquiens: „ Gallizia & Gallicia, regio, cujus fit mentio in titulis Regis „ Hungariæ, pro Valachiæ Principatu ſumitur, ſeu majori „ Valachia, teſte Leunclavio cum Sambuco; ſed Jo: Lucius „ exiſtimat Reges Hungariæ titulum Galliciæ ſumpſiſſe ab Halycia urbe Ruſſiæ Rubræ, ut ex Longino & Cromero refertur, „ non a Galac ſive Gallicia Moldaviæ oppido ad Iſtrum, ut „ quidam exiſtimant. *Et in* v. *Halicia*. Halicia, [inquit] „ Halitz, oppidum Poloniæ in Ruſſia Rubra, & in tractu Halicienſi dicto, ad Tyram fl. cum arce munita. Alias urbs fuit „ magni nominis, & Regni Ruſſici caput, Rexque proprie „ Halicienſis vocabatur, non Ruſſiæ, quia hæc tota in plurimas Tetrarchias ſciſſa, proprios Duces habebat, ſed, quos „ inter, primatum & quaſi Monarchiam, Duces Kiovienſes „ tenebant, teſte Stravolſcio; Archiepiſcopalique dignitate „ inſignita fuerat (*a*) a Greg. XI. Pontifice Max. Sed poſtea „ ejus

a Raynald. ann. 1375. num. 28. Gregorius XI. ſanxit ad Ladislai Opulienſis Ducis & Ludovici Ungariæ & Poloniæ Regis preces, ut Primislienſis, Laudimirienſis, & Chelmenſis Eccleſiæ in Ruſſia, ſedium Epiſcopalium dignitate inſignirentur, ipſiſque

„ ejus Archiepiscopatus translatus fuit Leopolim anno 1414„ Hinc a Culcinio in Specimine Eccl. Ruthenicæ Part. 3. pag. 139. in serie Primatis, Archiepiscoporum, & Episcoporum Russiæ, ut vocant, Unitorum, num. v. recensetur *Episcopus Leopoliensis, Haliciensis, & Kamenecensis*. *Galitzam* vocat Cinnamus lib. 3. pag. 51. his verbis num. vi. „ His confectis, Romani „ (idest, Græci), versus Sacrum, velut fluvium trajecturi „ pergunt ... sed necdum flumen transierant, quum nunciatur, „ Pannoniorum Regem (*Geysam*) cum ingentibus istic adesse „ se copiis, summo animi ardore cum Romanis pugnare ge„ stientem, rebus jam in Galitza regione Tauroscythicæ, κατὰ Γαλίτζης χώρας Ταυροσκυθικῆς, præclare feliciterque ge„ stis. Hujus quippe rei potissimum causa bellum istud Impe„ rator aggressus erat, quod se invito Bladimerum (id nomen „ erat (a) Galitzæ Principi, τούτῳ γὰρ ὄνομα τῷ Γαλίτζης „ ἄρχοντι ἐκεῖνο) virum Romanis fœderatum, invasisset „. Itaque Leunclavius, dum de *Gallitia* scribit, *ejus nomine Valachiam significari, eadem cum Gallis & Italis lingua utentem*,

---

que Haliciensem jure Metropolitico præesse jussit, quum in iis locis religio effloruisset; ac Gnesnensi Archiepiscopo, & Cracoviensi Plocensique Episcopis partes demandatæ sunt, ut idoneos præsules illis præficerent; quamvis Episcopus Lubecensis eas sibi veluti Parochiales, obnoxias contendisset. Idem Raynald. ann. 1324. n. 53. recitat „ Henrici Ducis Haleciæ, hæredis Regni Poloniæ, Ducis Elogoviæ & Posnaniæ literas ad Joannem xxii. Papam „. Thuroczius Chron. Hungar. cap. 99. de morte Caroli Ungariæ Regis, quæ anno 1342. contigit: „ Cujus potentiam, Al„ tissimo taliter disponente, Dalmatia, Croatia, Rama, Servia, Gallicia, Lodo„ meria, Cumania, Bulgaria, totaque Hungaria &c. trepidantia abhorrebant „. Est & altera *Galitza* in Dalmatia, quam a Manuele Imp. expognatam scribit Cinnamus lib. 3. pag. 59. edit. Reg. altera in *Tauroscythica* regione, quam idem Cinnamus commemorat lib. 3. pag. 66.

a Carolus du Fresne not. in hunc Cinnami textum pag. 449. „ Galizia pars di„ citur Russiæ minoris, μέρος τῆς μικρᾶς Ῥωσίας, in notitia Andronici: Nicetæ „ vero in Manuel. lib. 4. num. 2. μία τῶν παρὰ τῆς Ῥῶς τοπαρχιῶν, ἃς καὶ Σκύθας „ ὑπερβορέους φασίν. Galitz hodie vocatur, estque Ducatus, magno Mosc vix Du„ ci obnoxius: qui ex Moscovia in Orientem per Castromovvgorod euntibus occur„ rit. Huic imperabat eo quo Uladimerus, seu Lodomerus, ut habent Annales „ Hungarici, qui Chunorum fretus auxilio, Miroslaum Russorum Regem seu Prin„ cipem regno perturbare, tyrannidemque sibi asserere ausus, a Geiza tandem Hun„ gariæ Rege, qui Miroslai filiam uxorem duxerat, inito prælio fusus ac deletus est, „ ut pluribus narrant Thuroczius in Geiza cap. 66. & Bonfinius decad 2. lib. 6. Uladimeri successorem Jaroslaum infra nominat Cinnamus lib. 5. num. 14 pag. 134. Baudrandius, perinde acsi Galitza a Gallizia differret, de prima sic scribit: *Galitza, Provincia Tauroscythiæ, antea proprio Principi parens, teste Cinnamo*. Atqui una eademque est quam ipse Galitzam, Gallitziam, & Haliciam appellat, uti ex dictis apparet.

tem, ita mihi videtur allucinatus, quemadmodum ii decepti sunt, qui Russos sive Ruthenos populos, tum in Polonia, tum in Moscovia degentes, perperam ajunt a Rutenis Galliæ populis originem ducere.

Vera ergo *Blachorum* nominis ea est Etymologia, quam supra ex Anna Comnena traditam vidimus, ita ut iidem sint *Blachi*, ac *Nomades* & *Vagi*. Consonat Arabicum vocabulum فلاح *Phallach*, ideft, *Rusticus* & *Arator*: qua nomenclatione eosdem *Scythas* & *Valachos* donat Nicephorus Gregoras lib. 1. cap. 5. num. 1. ubi de Scythis ultra, & cis Mæotidem ac Tanaim sic scribit: „ Interim vero Duce eorum [Scytharum seu Tartarorum] Sitzischane (a) defuncto, ambo ejus filii, Chalaus & Telepugas, exercituum Principatum diviserunt. At Chalaus Caspia, & Jaxarte fluvio lato & profundo, qui e Scythicis montibus ortus, Sogdianam perfluens, in mare Caspium irrumpit, ad septentrionem relictis, per inferiorem Asiam descendit. Sed de his loqui supersedeamus: Nam de Europa prius est dicendum. Alter enim Sitzischanis filius Telepugas, limitibus imperii sui constitutis, meridiem versus Caucasi cacuminibus, & deinceps mari Caspio, per Massagetarum & Sauromatarum terram proficiscitur: nec eas tantum, sed omnes gentes, quæ Mæotidem paludem & Tanaim accolunt, subigit. Deinde Tanais fontibus superatis, impetu adversus Europæas gentes descendit, quæ multæ ac variæ fuerunt. Nam quæ in mediterraneis habitabant, partes quædam ac reliquiæ erant veterum Scytharum, ὅσα ἐς νομάδας καὶ ἀροτῆρας ἐμερίζοντο, in Pastores & Aratores divisæ: quæ autem Mæotidis confinia & Ponti oram accolebant, Ζηκχοί τ' Ἀβασγοί τε εἶσαν, Γότθοι τε, καὶ Ἀμαξόβιοι, Ταυροσκύθαι τε καὶ Βορυσθενεῖται, Zicchi, & Abasgi, Gotthi & Hamaxobii, Tauroscythæ & Borysthenitæ, & Mysiæ quæ est ad Istri ostia habitatores. Hi vero Hunni & Comani vocabantur. Erant etiam qui eos Scythas nominarent „. Nimirum, commune omnibus nomen *Scytharum*: iis vero, qui trans Istrum & cis Borysthenem mediterra-

a Ita Ginghiscam Tartarorum Principem vocat, de quo vide Herbelot. in Biblioth. Orient. pag.

nea accolebant, Valachi scilicet Daciæ habitatores, Νομάδες ϗ Ἀροτῆρες, *Nomades* & *Aratores* dicebantur: id quod manifeste ad vocem Arabicam *Phallach* refertur, quæ juxta Slavos ipsos, Βλάχος, *Blachus* seu *Ulachus*, redditur. Primum enim hæc *Ulachiæ* & *Ulachorum*, seu *Blachiæ* & *Blachorum* nuncupatio, circa medium sæculi duodecimi apud Scriptores occurrit, uti supra ex Cinnamo observatum est.

IX. Primus Bulgarorum & Blachorum Rex Asanus: ejus filii, Petrus, Joannes, & Alexander: frater vero Juancus seu Joannes.

Ad Regem Bulgariæ & Valachiæ redeo. Georgius Acropolita pag. XI. num. 12. de rebus Bulgarorum Ulachorumque gestis post Isaacii Angeli obitum, quando Alexius Angelus rerum potiebatur: „ Hinc detrimentis noxisque non paucis [inquit] Romanos Bulgari affecerunt; sed & Imperatore Isaacio a fratre Alexio obcæcato, eoque Romani Imperii habenas moderante, multis præliis versus Philippopolim Beroëmque, ubi Protostrator Camytzes depugnans a Bulgaris captus est, Joanne Asani fratre tunc dominante, Romanos Bulgari vexarunt. Asanus enim duos habuit fratres, uni nomen fuit Petro, alteri Joanni. Joannes penes illum residebat: Petro partem e dominio avulsam commisit, ut regeret. Tum magnam (*a*) Parathlabam, & Probatum, & loca adjacentia frater Asanus Petro, ut jure suo ac nutu gubernaret, elargitur. Sic factum est, ut ad hunc diem ea loca, Petri regio cognominentur. Per integros novem annos quum Asanus regie admodum rem Bulgarorum gessisset, a consobrino suo Ivango, qui se postmodum illico in fugam dederat, jugulatur. Hæres fuit imperii Joannes ipsius frater: renuere namque Bulgari, Petro provinciam dominandi tradere.

Cangius cap. VII. in serie altera Regum Bulgariæ post instauratum regnum num. 30. de cæde Asani post captum Ducem Isaacium Sebastocratorem: „ Verum haud diu [inquit] partæ victoriæ superstes fuit Asan, statim postea ab Ivanco, seu Joanne nobili Bulgaro, quem Acropolita illius patruelem fuisse ait, interemptus. Scriptor vero Anglicus, veste Imperatoria veneno infecta induta periisse, fama tum vulgatum tradit, quod ad annum 1189. videtur referre „. Id falsum omnino est: nam Alexio Angelo imperante Asanus adhuc vivebat, uti modo ex Acropolita dixi: Alexius autem nonnisi

a Leg. *Presthlabam*.

nonnisi anno 1195. excæcato fratre Isaacio Imperium iniit. Reliquit Asanus duos filios, *Joannem* & *Alexandrum*, teste Acropolita cap. 20. quorum Joannes, uti idem Acropolita scribit cap. 12. exeunte, *in tenera adhuc ætate* erat, dum pater decessit, καὶ ὁ τοῦ Ἀσὰν δὲ υἱὸς Ἰωάννης ἔτι ἀφῆλιξ ὑπῆρχεν. Ubi Latinus Interpres Theodorus Dousa id Acropolitæ de Joanne dictum, ad caput 13. perperam traducens, confundit hunc Joannem Asani filium cum Joanne ipsius Asani fratre, qui post mortem Asani regnavit; sic inquiens: „ XIII. Joannes itaque Asani filius tenera adhuc ætate Rex Bulgaris constitutus, „ multa in Romanos mala ingessit „. At vero Græcus textus distinguit Joannem Asani fratrem ab altero Joanne Asani filio: & de priore quidem Joanne, de quo supra dixerat: *Hæres fuit imperii Joannes ipsius frater*, mox subjungit ineunte cap. XIII. οὗτος οὖν ὁ Ἰωάννης Βασιλεὺς Βουλγάρων ὀνομασθεὶς, πολλῶν τε τοῖς Ῥωμαίοις αἴτιος ἐγεγόνει κακῶν: „ Hic itaque Joannes „ Rex Bulgarorum constitutus, multorum in Romanos malo„ rum causa fuit „. Quæ proinde verba *ad Joannem alterum, in tenera ætate constitutum, Asani filium*, nullatenus referuntur. Rectius itaque Leo Allatius Acropolitam interpretatur pag. 114. edit. Paris. num. 12. „ Hæres fit imperii Joan„ nes ipsius frater, quum Asani filius Joannes tenera adhuc es„ set ætate „. Et num. 13. de Joanne Asani fratre: „ Hic „ multa in Romanos mala ingessit, & in Italos etiam ipsos. . „ Erat enim, quum Constantinopolis direpta est, Bulgarorum „ Rex.

X. Joan. fratre Asane cæso Regnum occupat. Petrus Asani filius, Jo: patruo interfecto, Regnum sibi & Joanni fratri vendicat.

Proinde ex mente Acropolitæ primus post restitutum Regnum fuit Bulgarorum Rex *Asanus*, secundus *Joannes* Asani frater: is enim [Acropolita scilicet] e numero Regum Bulgariæ excludit *Petrum* Asani filium de quo sic scribit ex versione Theodori Dousæ edit. Paris. pag. XI. Βασιλεύει δὲ τοῦ γένους ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Ἰωάννης, μὴ θελησάντων τῶν Βουλγάρων εἰς βασιλείαν τὸν πέτρον ἀναγαγεῖν: „ Regnavit autem genti (*Bul*„ *garorum*) frater ipsius Joannes; quum noluissent Bulgari „ Petro Regnum tradere „. At vero Cangius num. XXXI., inter Asanem & Joannem fratres, regnasse *Petrum* scribit his verbis: „ Petrus Bulgariæ in solidum imperavit post fratris „ necem, quam ultus est, Ivanco qui Trinovum occuparat,

 „ fuga-

„ fugato & Constantinopolim concedere coacto. Neque diu „ pariter postea vixit Petrus, eo a quodam e suis familiaribus „ occiso „. Id hausit Cangius ex Niceta Choniata, qui lib. I. cap. 5. de *Asanis* quidem nece, & Petri filio eam ulciscente sic scribit: „ Id consilium Ibancus statim exequitur: nam „ quum barbarus (*Asanes*) nihil moderati in eum (*Ibancum*) „ cogitaret, sed ad primum ejus conspectum efferatus, ensem „ quæreret, ille facinus occupat, & ense inguine defixo, Asa- „ nem occidit: inde elapsus, statim ad conscios se recipit: ac „ cæde indicata, cum eis consilium defectionis init. Neque „ enim fratres, cognatos & amicos interfecti quieturos. Quod „ si res ex sententia successerit, se regioni illi & toti Mysiæ „ justius & æquius, quam Asanes, dominaturos, neque, ut „ ille fecerit, ferro grassaturos in omnes, & quicquid iracun- „ dia suaserit, perpetraturos. Sin res aliter ceciderit, nec „ eventus consiliis responderit, aliam rationem inituros, & „ salutem suam, Romanorum Imperatori commissuros. Hæc „ nocturno adhuc tempore non modo decreverunt, sed mul- „ tos etiam in suas partes pertraxerunt: & Ternobo occupata „ (ea est omnium Hæmi urbium munitissima & præstantissi- „ ma, in montis vertice sita, firmis circumdata mœnibus, „ quam & amnis perfluit) Petro restiterunt. Nam ut primum „ diluxerat, fama cædem Asanis non Ternobi dumtaxat, sed „ in locis etiam remotioribus divulgavit. Sed quum nec Pe- „ trus Ibancum expugnari, nec Ibancus Petro se resistere faci- „ le posse cerneret; ille hunc obsidionis mora domandum, hic „ ad Romanorum Imperatorem confugiendum, & ejus ope „ hostibus resistendum esse censuit. *Tum vero cap. 6. subjun-* „ *git*. Ibancus Imperatorem, statu rerum exposito, hortatus „ est, ut aliquos cum copiis mitteret, qui & Ternobum acci- „ perent, & se adjutore, totam Mysiam vindicarent. Ac Ro- „ manis forsitan aliquid salutare actum esset, si Imperator sta- „ tim sine mora gerendæ rei animum intendisset. Nam Ter- „ nobo occupata, facile totius Mysiæ potitus esset. Verum „ ipse per stultitiam ut cochlea testam repetens, in palatio „ abditus, Manuelem Camytzem Protostratorem cum impe- „ rio mittit. Is cum suis copiis Philippopoli profectus, & My- „ siæ limites vix ingressus, præter exspectationem retro abit.

„ Mili-

„ Milites enim mota seditione, quo se duceret, & cum quibus pugnandum esset, rogabant ... Praeterea inopinato metu consternati, quasi hostes a tergo instarent, & omnis generis tela conjicerent, effuse fugerunt. Imperatore idem opus cum exercitu majore iterum tentante, subinde res successu caruit. Quare Ibancus quum nemo Romanorum cum barbaris vellet congredi, invalescentibus Petri opibus & majoribus copiis affluentibus, desperatis rebus Ternobo clam profugus, Imperatorem adit. Ita Petrus summa rerum denuo potitur. Sed nec ipse naturali morte obit, sed paulo post, eo quoque a popularium quodam miserabiliter confosso, Principatus ad Joannem, tertium ejus fratrem, transit; quem tum Petrus adjutorem laborum & Regni participem assumpserat. Is non parvo tempore apud Romanos obses fuerat, quum Imp. Isaacius secundum Mysis arma intulisset; sed fuga elapsus, domum redierat, nihilo fratre Asane Romanis spoliandis & infestandis mitior. E nostro autem exercitu nemo resistere Petro potuit: sed hostibus per tot annos, tot & tantas victorias adeptis, eo malo Romanam Rempub. perpetuo turbante, nunquam ulla victoria ullum rei bene gerendae simulacrum nostris arrisit. Haec Nicetas „. Certe *Petri & Joannis fratrum*, tamquam Bulgarici Regni instauratorum, diserta fit mentio apud Innocentium III. Papam, in epist. ad Ungariae Regem dat. ann. 1204. ubi sic ait: „ Antiquitus multi Reges in Bulgaria successive fuerunt. *& mox*: sed tandem praevalentibus Graecis, Bulgari perdiderunt Regiam dignitatem .... donec novissime duo fratres, Petrus videlicet & Joannicius, de priorum Regum prosapia descendentes, terram patrum suorum, non tam occupare, quam recuperare coeperunt.

XI. Jo:, alias Johannicius & Calojoannes, post Asanem & Petrum fratres, Regnum Bulgariae & Blachiae adeptus, ut ad Romanae Ecclesiae obedientiam rediret, provocatur ab Inn. PP. III.

Joannes igitur, alias, Joannicius, & Calojoannes, appellatus, post Asanem & Petrum fratres, Regnum Bulgaricum adeptus, Graecorum jugum se excussisse, atque e Romanis veteribus genus suum ducere gloriabatur. Ob quae Innocentius III. Pontifex anno 1199. missis legatis literisque ipsi gratulatus, ut ad Romanae Ecclesiae obsequium rediret, provocavit: de quo haec ejusdem Innocentii Gesta num. LXV. „ Quum Regnum „ Blachorum & Bulgarorum a longissimis retro temporibus se

„ ab

„ ab obedientia Sedis Apostolicæ subtraxisset, Dominus Innocentius, tamquam bonus Pastor, cupiens errabundas oves ad caulas reducere, direxit Dominicum Archipresbyterum [*Græcorum*] Brundusinum, virum in Græca & Latina lingua peritum, ad Johannicium dominum Blachorum & Bulgarorum, qui a Græcorum dominio se subduxerat: per quem tales ei literas destinavit. Respexit Deus (*a*) humilitatem tuam & devotionem, quam erga Romanam Ecclesiam cognosceris hactenus habuisse, & inter tumultus bellicos & guerrarum discrimina non solum potenter defendit, sed & misericorditer & mirabiliter dilatavit. Nos autem audito, quod de nobili Urbis Romæ prosapia genitores tui originem traxerunt, & tu ab eis & sanguinis generositatem contraxeris, & sinceræ devotionis affectum, quem ad Sedem Apostolicam geris, quasi hæreditario jure, jampridem te proposuimus & literis & nuncios visitare. Cetera.

XII. Joan. Bulgariæ & Blachiæ Regis epistola ad Innoc. III.

Johannicius autem nuncios & literas Domini Papæ devote recipiens, rescripsit hoc modo. „ Venerabili (*b*), & Sanctissimo Patri Summo Pontifici. Ego Calojohannes Imperator Bulgarorum & Blacorum, gaudium & salutem mando Tibi. Notum facimus Sanctitati Vestræ quod nos recepimus vestras sacrosanctas Literas, quas nobis portavit Religiosus Archipresbyter Brundusinus. *Et post pauca*. Et quamvis fratres mei bonæ mem. jamdudum voluerint mittere Sanctitati Vestræ, non tamen ad vos pervenire propter multos nostros contrarios potuerunt. Et nos similiter probantes semel, secundo, & tertio ad vos dirigere, deducere non potuimus (*c*) quod optabamus in effectum. Et nunc videntes, quod Sanctitas Vestra dignata est mittere Imperio nostro, tamquam proprii & dilectissimi filii sicut amantissimo & desideratissimo patri mittimus misericordiæ vestræ Religiosum electum Brandizuberensem fidelem nostrum

a Lib. 2. epist. 266. nobili viro Joannicio. Ut Legatum Apostolicum reverenter excipiat. Data epistola anno 1199. Vide Raynald. ad ann. 1199. num. 58.

b Lib. 5. epist. 115. Dat. anno Pontif. 5. Chr. 1202. Vide Raynald. ad ann. 1202. num. 33.

c Cangius scribit Jo: Bulgaror. Regem misisse nuncios ad Rom. Pont. anno 1197. Hoc ipsum affirmat Rex Joannes in epist. ad Innoc. III. data anno 1203. cujus initium: Ego *cartam mitto tibi*. Vide Raynald. ann. 1203. num. 20.

„ strum Presbyterum Blasium, una cum fideli nuncio vestro „ Archipresbytero (*a*) Brundusino; referentes vobis ex „ parte nostra gratiarum actiones, & amicitiam, & servitium, „ sicut Patri spirituali, & Summo Pontifici. Sanctissime „ Pater, significastis nobis per sacras literas vestras, quod nos „ significaremus vobis, quid ab Ecclesia Romana petamus. „ Hoc autem petit Imperium nostrum ab Apostolica Sede, ut „ nos simus in Ecclesia Romana sicut matris filialitate firmati. „ In primis petimus ab Ecclesia Romana matre nostra coro- „ nam & honorem, tamquam dilectus filius, secundum quod „ Imperatores nostri veteres habuerunt. Unus fuit Petrus, „ alius Samuel, & alii, qui eos in Imperio præcesserunt, „ sicut in libris nostris invenimus esse scriptum. Nunc autem, „ si placitum est Sanctitati Vestræ nobis istud implere, quic- „ quid Imperio nostro duxeritis injungendum, ad honorem „ Dei & Ecclesiæ Romanæ complebitur. Nec miremini, „ quod nuncius vester citius non redit, quia nos suspicati fui- „ mus aliquid contra eum, quia multi venerunt in Imperium „ nostrum nos decipere cogitantes: sed nos ab omnibus be- „ ne novimus præcavere; sed nos pro eo testimonium re- „ cepimus Prætaxati, & ei aquievimus. Verum si placet vo- „ bis, Sanctissime Pater, mittite nobis magnos nuncios, de „ quibus nobis per literas nunciastis, & istum destinate cum „ eis: & tunc certificabimur de prima missione pariter & se- „ cunda.

XIII. Basilii Bulgarorum Archiepis. epistola ad Papam Inn. III.

Basilius quoque Bulgarorum Archiepiscopus, hujusmodi literas Papæ transmisit „ Honoratissimo & Sanctissimo Sum- „ mo Pontifici (*b*) Papæ, Ego Basilius indignus Archiepi- „ scopus Sanctitatis Vestræ, & Pastor de Zagora, salutem, „ gaudium & adorationem merito vobis tamquam Patri nostro „ spi-

---

a Hunc Dominicum ex Brundusino Archipresbytero, Illmus Nicolaus Carminius Falconius in commentario ad Caponianas Ruthenas Tabulas edito ann. 1755. in Prolegomenis cap. 7. num. 4. *Archiepiscopum* perperam facit, & pro anno 1204. quo Basilius Bulgariæ Primas Trinovitanus constitutus unctusque fuit, ponit annum 1205. sic scribens. „ Bulgari eodem anno 1204. obedientiam S. R. E. præstiterunt, „ in manibus Apostolici Legati Dominici Archiepiscopi Brundusini: datumque est „ Pallium Basilio eorum Metropolitæ Trinovitano, quem anno 1205. cum suis omni- „ bus Episcopis & Presbyteris, Romano ritu, oleo sancto ungi, & ita deinceps ob- „ servari, voluit Innocentius „. Nos ipsius Innocentii Literas & Gesta sequimur.

b Lib. 5. epist. 127.

„ ſpirituali. Quamvis non poſſumus vos corporaliter adorare, „ vos tamen ſpiritualiter adoramus; notificantes Sanctitati veſtræ, quod quum nos vidimus miſſum a vobis Dominicum „ Archipresbyterum Brunduſinum, Deo gratias egimus, qui „ non deſpexit nos humiles & indignos ſervos ſuos, eſurientes & ſitientes gratiam & benedictionem Sanctæ Catholicæ „ & Apoſtolicæ Sedis: quia Domini noſtri Imperatores & nos „ voluimus a multis annis mittere ad vos, ſed non potuimus. „ *Et poſt pauca*. Unde nos omnes parvi & magni, ſicut boni „ filii, rogamus vos ſicut bonum Patrem, ut Dominus noſter „ Imperator quod petit a vobis obtineat. Quia dignus eſt hoc „ obtinere; quia ipſe ac totum Imperium ejus bonam devotionem ad Eccleſiam Romanam habent, tamquam hæredes „ deſcendentes a ſanguine Romanorum. Item rogamus Sanctitatem Veſtram, quod ſint vobis recommendati filius ſocius „ noſter Blaſius Presbyter, Brandizuberenſis electus, una cum „ fideliſſimo nuncio veſtro Dominico Archipr. Brunduſino; quia „ eis commiſit Dominus noſter Calo-Johannes Imperator ſua „ ſecreta, & quod iſti dixerint vobis & noſtræ literæ, firmum „ habeatis. Et precamur Sanctitatem Veſtram, quod feſtinetis veſtros nuncios deſtinare.

XIV. Inn. III. Papæ literæ ad Jo: Blachorum & Bulgarorũ dominum & ad Archiepiſ. de Zagora, quibus legatos mittit Jo: Capellanum, & Archipresbyterum Brunduſinum.

Receptis his literis, Innocentius III. Papa tranſmiſit ad eos Johannem Capellanum ſuum cum Apoſtolicis ſcriptis in hæc verba. „ Calojohanni (*a*) Domino Blacorum & Bulgarorum. Apoſtolica Sedes, cui licet immeriti præſidemus, „ Evangelci verbi memor, quo B. Petro Apoſtolorum Principi. *Et infra*. Hoc igitur attendentes, jampridem nobilitatem tuam per nuncium & literas noſtras duximus viſitandam, ut intellecto devotionis affectu, quem habes ad Romanam Eccleſiam matrem tuam, majores ad te nuncios poſtmodum mitteremus, qui tam Te, qui ex nobili (*b*) Roma-

a Lib. 5. epiſt. 116. dat. 5. Kal. Decembris anno 1202.

b Ioquirendum hic eſt, quonam pacto dicatur *Joannes Bulgaror. Rex ex nobili Romanorum proſapia* una cum genitoribus ſuis deſcendiſſe. Græçi enim ſcriptores aſſerunt, Uladimiri filiis *Simeone*, *Petro* & *Boriſe*, qui poſt *Bogorim* ejuſque filios, regnaverant, extinctis, rerum ſummam a Bulgaris delatam fuiſſe quatuor fratribus Comitopulis *Davidi*, *Moyſi*, *Aaroni*, & *Samueli*, quibus mortuis, poſt invaſum a Gabriele Regnum, *Joannem* tandem, *Aaronis* Samuelis fratris filium, in Bulgaria regnaſ-

„ manorum prosapia diceris descendisse, quam degentem „ sub te populum verbo pascerent & exemplo, & de benevolentia & gratia Sedis Apostolicæ redderent certiorem. „ Et licet de nuncio nostro primum tua nobilitas dubitaverit, „ sciens quod Angelus Satanæ interdum se in lucis Angelum „ transfigurat, intellecta postmodum per nobilis viri Prætaxati testimonium veritate, benigne ac honorifice ipsum recipere procurasti. *Et mox*. Addidisti etiam, quod licet inclytæ recordationis fratrum tuorum secutus exemplum, „ semel &secundo & tertio ad nos nuncios dirigere tentavisses, „ non potueras tamen quod desideraveras adimplere; sed „ nunc per nostras literas confortatus, *B*. (*Blasium*) Presbyterum Brandizuberensem electum cum nostro nuncio destinabas; quamvis idem electus ad nos propter viarum discrimina non potuerit pervenire. Petisti vero humiliter, ut „ coronam Tibi Ecclesia Romana concederet, sicut illustris „ memoriæ Petro, Samueli, & aliis progenitoribus tuis in „ libris tuis legitur concessisse. Nos igitur ut super hoc majorem certitudinem haberemus, Regesta nostra perlegi fecimus diligenter; ex quibus evidenter apparet, quod in „ terra Tibi subjecta multi Reges fuerant coronati. Præterea „ continebatur in eis, quod tempore bon. mem. Nicolai Papæ „ Prædecessoris nostri, Rex Bulgarorum, ad cujus Consulta „ sæpissime respondebat, cum toto Regno sibi commisso ad „ prædicationem ejus fuerat baptizatus, & Rex ipse ab eo „ Archiepiscopum postulaverat. Legatus quoque Michaëlis „ Re-

regnasse, usque ad ann. circiter 1019. quo Basilius Bulgaroctonus, eodem Joanne cæso, Bulgariam subegit. Scio, Petrum Deleanum sub Imp. Michaële Paphlagone, filium Romani & Samuelis nepotem, vel Aaronis Samoelis fratris filium nothum se jactitasse Bulgarosque ad defectionem concitasse: quem postea *Alusianus* Aaronis secundus filius dolo interfecit, & ad Imperatorem Constantinopolim profugit, a quo *Magistri* dignitatem obtinuit. Hujus igitur Alusiani, ni fallor, aut certe anios ex Samuelis nepotibus ex prosapia descenderint tres illi fratres *Asanes*, *Petrus* & *Joannes*, qui Regnum Bulgaricum instaurarunt. Verum quum nemo ex antedictis Regibus genus ex urbe Roma traxisse legatur, videndum nunc, quonam id pacto eum veritate dicatur. Crediderim, Bolgaros Reges pro *Roma nova*, veterem perperam accepisse, & *Romæos* Byzantinos cum *Romanis* Italis confudisse. Petrus enim Simeonis filius, ex quo genus duxisse se ajunt, ex Maria, Irene appellata, Christophori Cæsaris filia, anno 932 ducta uxore, filios suscepit Borisem & Romanum: unde & se descendisse, & de nobili Urbis Romæ prosapia originem traxisse gloriabantur.

„ Regis Bulgarici cum donis regalibus Adriano Papæ Prædecessori nostro Regias literas præsentarat, & postularat ab eo, ut aliquem ex Cardinalibus in Archiepiscopum eligendum dirigeret, quem post approbationem eorum, ad Sedem Apostolicam remeantem ipse postmodum consecraret. Qumque idem Adrianus illuc cum duobus Episcopis quemdam Subdiaconum direxisset, Bulgari corrupti donis Græcorum & promissionibus circumventi, Romanis ejectis Græcos Presbyteros receperunt. Licet igitur tantæ memoria levitatis Nos usque adeo induxerit ad cautelam, ut nullum ex fratribus nostris, Cardinalibus scilicet, ad tuam præsentiam mitteremus; nihilominus tamen dilectum filium Johannem Capellanum & Familiarem nostrum, Apostolicæ Sedis Legatum, virum providum & discretum, quem nos & Fratres nostri, suæ probitatis, & religionis obtentu, inter cæteros Capellanos nostros specialis in Domino dilectionis brachiis amplexamur, ad Te duximus destinandum; cui etiam commisimus vices nostras, ut & in tota terra tua quoad spiritualia corrigat quæ corrigenda cognoverit, & statuat quæ secundum Deum fuerint statuenda. Per ipsum quoque Archiepiscopo terræ tuæ Pallium, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, destinamus, ei juxta formam quam sub bulla nostra dirigimus, conferendum. Eidem quoque Legato nostro dedimus in mandatis, ut siqui forsan in terra tua promovendi ad Ordines fuerint, vel in Episcopos consecrandi, per vicinos Catholicos dumtaxat Episcopos, & ordinandos ordinet, & consecret consecrandos. Mandamus quoque ipsi, ut de Corona progenitoribus tuis ab Ecclesia Romana collata tam per libros veteres, quam alia documenta, inquirat diligentius veritatem, & de omnibus tecum tractet, quæ fuerint pertractanda, ut quum per ipsum & nuncios tuos de omnibus redditi fuerimus certiores, consultius & maturius, prout procedendum fuerit, procedamus „. Hortatur, ut Legatum benigne excipiat, ejusque salubria monita & statuta servanda curet: „ Expedit enim tibi (inquiens) tam ad temporalem gloriam, quam salutem æternam, ut sicut genere, sic sis etiam imitatione Romanus, & populus terræ tuæ, qui de sanguine Romanorum se „ asse-

„ asserit descendisse, Ecclesiæ Romanæ instituta sequatur, ut „ etiam in cultu Divino mores videantur patrios redolere „. Ejusdem argumenti literas (*a*) ad Archiepiscopum de Zagora reddidit. Initium: „ Quia nobis in B. Petro Apostolor. Prin- „ cipe intelligimus esse dictum: Et tu aliquando conversus „ confirma fratres tuos. *Et mox*. Nos ergo, quos Dominus „ licet immeritos, Vicarios suos esse voluit, & Apostolorum „ principis successores, ut paternæ dilectionis affectum circa „ Bulgarorum & Blacorum Ecclesiam, quæ a Romanis secun- „ dum carnem & sanguinem descendisse dicitur, per effe- „ ctum operis monstraremus, jampridem dilectum filium „ Archipresbyterum Brundusinum ad dilecti filii nobilis viri „ Calojohannis Domini Bulgarorum & Blacorum præsentiam „ duximus destinandum. *Et post pauca*. Volentes igitur „ adhuc plenius Te ac Ecclesiam Tibi commissam in Ecclesia- „ stica unitate ac devotione Sedis Apostolicæ roborare, dile- „ ctum filium Johannem &c. ad Te, ac nobilem memoratum du- „ ximus destinandum: cui etiam commisimus vices nostras, ut „ in tota terra ejusdem nobilis corrigat &c. Per ipsum quoque „ Fraternitati tuæ Pallium, ut supra.

XV. Jo: Bulgariæ & Blachiæ Rex significat Inn. III. Papæ, interpellatum se a Græcis, ut ab ipsis Regiam coronam acciperet.

Inter Epistolas Innocentii III. Papæ, lib. 6. exhibetur Epistola 142. qua Calojohannes (*b*) Bulgariæ Rex significat, interpellatum se ab Imp. & Patriarcha Græcor., ut ab ipsis Regiæ ornamenta dignitatis acciperet. Recitatur a Raynaldo ad ann. 1203. num. XX. „ Calo-Johannes Imperator Bulgarorum, „ Sanctissimo Domino Fidei Christianorum ab Oriente ad Oc- „ cidentem Patriarchæ Papæ Romano. Ego cartam mitto tibi. „ *Et paucis interpositis*. Notum facio Sanctitati Tuæ, quod „ elapsi sunt (*c*) sex anni, quod Ego semel, secundo, & „ tertio misi ad vos; sed nuncii mei non potuerunt ad Sancti- „ tatem Tuam accedere, & proponere verbum meum, & „ referre mihi consolationem tuam. Inspiravit Dominus San- „ ctitatem Tuam, ut mitteret mihi Dominicum Archipresby- „ terum Brundusinum, per quem intellexi, quod non es

 „ obli-

a Lib. 5. epist. 119. dat. v. Kal. Dec. anno 1202.
b Raynald. ad ann. 1203. num. 20.
c Itaque jam ab anno 1197. Joannes Rex nuncios suos miserat Romam: sed propter Græcorum invidiam illuc pervenire non potuere.

„ oblitus mei servi tui: quem honoravi sicut hominem tuum, „ & dedi ei literas quas tuæ Sanctitati deferret: quas utrum „ attulerit, vel non attulerit, Deus novit. Ex quo sciverunt „ istud Græci, miserunt mihi Patriarcha & Imperator: veni „ ad nos, coronabimus Te in Imperatorem, & faciemus Tibi „ Patriarcham, quia Imperium sine Patriarcha non staret; sed „ ego non volui, imo recurri ad Sanctitatem Tuam, quia volo „ esse servus S. Petri, & tuæ Sanctitatis, & sciat Sanctitas „ tua, quod ego misi ad Te Archiepiscopum meum cum omni „ ordinatione, & pecunia, & pannis sericis, cera, & argento, „ equis & mulis, ut adoret Sanctitatem tuam pro me servo „ tuo; & rogo per orationes B. Apostoli Petri, & per san„ctas orationes tuas, ut tu mittas Cardinales, quibus præ„cipiat Sanctitas Tua, ut me coronent in Imperatorem, & „ in terra mea faciant Patriarcham, ut sim servus tuus tem„pore vitæ meæ.

XVI.
Legatus Inno. III. Papæ defert ad Basilium Archiep. Bulgariæ, Pallium, Mitram, & Anulum: Præter ipsum Primatem seu Patriarcham Trinovitansis, instituuntur duo Metropolitæ in Bulgaria. Jo: Bulgariæ & Blachiæ Rex obedientiam exhibet S. R. Ecclesiæ. & Inn. III. Papæ: asserens, priores Bulgariæ Reges, & Episcopos, coronam, & Patriarchalem benedictionem a S. R. E. accepisse.

Subjunctæ sunt Basilii Bulgarorum Archiepiscopi (a) literæ; quas quum ad Sedem Apostolicam cum ingentibus donis deferret, emensoque longissimo itinere pervenisset Dyrrhachium, a Græcis, qui invidia perciti, Bulgaros a Romanæ Ecclesiæ conjunctione distrahere nitebantur, prohibitus est, ne in Occidentem trajiceret. Tunc enim tyrannus Alexius Murzuphlus, ereptum Isaacio sceptrum adhuc tenebat, ob cujus metum Archiepiscopus legatione persungi non potuit, sed fidissimos nuncios ad Innocentium transmisit. Quamobrem acceptis hisce literis Innocentius, redditisque aliis Archiepiscopo (b) Basilio, eum incitavit, ut relicto illo ingenti quo stipabatur comitatu, quandoquidem obeundæ legationis Provincia ipsi demandata esset, persequendo itineri se accingeret, peteret mari Apuliam, ibi honorifice susceptum iri, ardere se magno illius videndi reique perficiendæ desiderio. Quid etiam misso Dominico Brundusino antea jussisset, significavit. „ Nuper „ autem (*inquit*) idem Legatus noster nunciis ejusdem nobi„lis (*Calojohannis*) obviavit ad charissimum in Christo filium „ nostrum H. (*Hemericum sive Henricum*) illustrem Regem „ Ungariæ destinatis, cum quibus ad eorum Dominum sine „ mora

a Lib. 6. in Reg. post epist. 142.
b Lib. 6. epist. 143.

„ mora se asseruit profecturum. Licet igitur prædictos Con„ stant. Presbyterum & Sergium Comestabilem ad præsen„ tiam nostram duxeris destinandos; quia tamen Tibi specia„ liter memoratus nobilis veniendi ad nos laborem imposuit, „ & onus suæ legationis injunxit, monemus &c. „ Hæc Innocentius, qui eodem die, eademque fere ratione ad Regem (a) Bulgarorum scripsit. Id autem, quod de nunciis Regis Bulgarorum ad Regem Ungariæ missis scribit Pontifex, confirmat ejusdem Pontificis Legatus Joannes Capellanus in epist. 140. libri 6. ubi sic ait: „ Tractato negotio illorum „ quondam Patarenorum in Bosna, sicut jampridem scripsi „ Sanctitati Vestræ, fui in Ungaria aliquantis diebus ex vo„ luntate Regia. Interim nuncii illius magni viri Calojoannis „ venerunt ad Regem, cum quibus, Deo duce, spero ire „ ad ipsum, & Christianissimus Rex fecit eos super Evangelia „ jurare in Ecclesia coram Altari, quod me securum usque ad „ præsentiam ejus deducerent.

Joannes igitur Capellanus, Innocentii Papæ Legatus, a nunciis Bulgarorum Regis ex Ungaria, ut supra, in Bulgariam deductus, Pallium, Mitram, & Anulum præfato Archiepiscopo *Basilio*, *anno* 1203. assignavit, recepto ab eo juramento fidelitatis & obedientiæ summo Pontifici & Ecclesiæ Romanæ in perpetuum exhibendæ: quumque a præfato Joannicio, sive Calojoanne domino Bulgarorum & Blacorum fuisset honorifice ac devote susceptus, de ipsius consilio & assensu duos alios Metropolitanos in illo Regno constituit, videlicet Belesbulnensem (b) & (c) Post Clavensem, quos præfato Zagoranensi tamquam Primati subjecit, & apud Trinovum nobiliorem ipsius provinciæ civitatem constituit Primatiam. His igitur bene gestis, Joannicius se ac Regnum suum & Imperium Ecclesiæ Romanæ subjecit per Privilegii paginam aurea bulla signatam: cujus tenor talis est. „ In nomine Patris & Filii & Spiritus San„ cti Amen. Quum placuit Domino nostro Jesu Christo, me „ Dominum & Imperatorem totius Bulgariæ & Blaciæ facere, „ inquisivi antiquorum nostrorum scripturas & libros, & bea-

„ tæ

a Lib. 6. epist 144.
b Al. *Brandizuberensem*, Seu *Belesburdien.* al. *Vulcsunden.*
c Al. Postlavensem Leg. *Presthlaben.* seu *Presthlaven.*

„ tæ memoriæ Imperatorum nostrorum prædecessorum leges,
„ unde ipsi sumpserunt Regnum Bulgarorum & firmamentum
„ Imperiale, Coronam super caput eorum, & Patriarchalem
„ benedictionem: & diligenter perscrutantes, in eorum in-
„ venimus scripturis, quod beatæ memoriæ illi Imperatores
„ Bulgarorum & Blacorum, Simeon, Petrus & Samuel, &
„ nostri prædecessores Coronam Imperii eorum, & Patriar-
„ chalem benedictionem acceperunt a Sanctissima Dei Roma-
„ na Ecclesia, & ab Apostolicæ Sedis, Principe Apostolorum
„ Petro. Sed Imperium meum voluit benedictionem & Im-
„ periale firmamentum Coronæ capitis Imperii sui suscipere, &
„ Patriarchalem benedictionem ab Ecclesia Romana, ab Apo-
„ stolicæ Sedis Principe Apostolorum Petro, & a Sanctissimo
„ Patre nostro universali Papa tertio Innocentio; & a quocum-
„ que Patriarchalis benedictio & mandatum in civitate Im-
„ perii mei Trinovi data & concessa fuerit a Domino Papa fa-
„ ciendi & consecrandi Archiepiscopos, Metropolitas, & Epi-
„ scopos, & reliquas Ecclesiasticas obsecutiones sacramenta-
„ les, concedit Imperium meum, ut plenissimam in omni
„ tenimento & Imperii mei pertinentiis ipsi habeant potesta-
„ tem. Ecce enim omnes totius Imperii mei & tenimenti, &
„ Patriarcha meus, Metropolitanus, Episcopi, Archiepiscopi
„ & cuncti Sacerdotes, Romanæ subsint Ecclesiæ, & teneant
„ leges & consuetudinem & observationem, quas tenuerunt
„ beatæ memoriæ Imperatores totius Bulgariæ & Blaciæ, pri-
„ sci illi nostri Prædecessores, & nos eodem modo vestigia
„ eorum imitantes. Subsignat autem Imperium meum ad se-
„ curitatem Chrysobolum suum, quod nunquam ab Ecclesia
„ Romana & ab Apostolica Sede, Principe Apostolorum Pe-
„ tro, ipsum videlicet Imperium meum discedet; neque alii
„ Imperii mei Principes disgregabuntur; sed ut vocatus dile-
„ ctus filius Sacrosanctæ & Apostolicæ Romanæ Sedis Princi-
„ pis Apostolorum Petri ero. Et deinceps quascumque terras
„ Christianorum seu Paganorum meum acquisiverit Imperium,
„ sub potestate & mandato ejusdem Sacrosanctæ Romanæ Ec-
„ clesiæ & Apostolicæ Sedis erunt. Et ut præsens Chrysobo-
„ lum Imperii mei ratum & firmum habeatur, dedi Impe-
„ rium meum in manibus Reverendissimi viri Johannis Sacro-
„ sanctæ

„ ſanctæ Romanæ Sedis Legati & Domini Papæ Capellani, in „ quo & noſtrum pium & a Deo promotum ſubſignavit Imperium Anno ſex milleſimo ſeptingenteſimo duodecimo, Indictione ſeptima „ : ideſt anno Chriſti 1203. menſe Septembri, aut Octobri: uti ex (*a*) dicendis patebit. Nam Indictio VII. & annus ab orbe condito 6712. initium deſumunt a Kalendis Septembris anni Chr. 1203.

XVII. Literæ Joannis Bulgariæ & Blachiæ Regis ad Innoc. III. Papam una cum ſuo nuncio Blaſio conſecrato Epiſcopo miſſæ.

Miſit præterea Joannes Rex Bulgariæ, Blaſium Brandizuberenſem jam conſecratum Epiſcopum, unacum præfato Johanne Capellano, Sedis Apoſtolicæ Legato, per quem & quædam donaria, in ſignum devotionis, Domino Papæ tranſmiſit, & literas hunc tenorem habentes. „ Sanctiſſimo & dominatori „ & univerſali Papæ, ſedenti in Sede B. Petri & domino patri regni mei, tertio Innocentio, Papæ Sedis Apoſtolicæ „ & Eccleſiæ Romanæ, & magiſtro totius mundi. Spero in „ Deum Salvatorem omnium, quod bene & multum bene valeat Sanctitas Tua cum omnibus ſedentibus circa thronum „ Sanctitatis Tuæ Cardinalibus Sanctæ Eccleſiæ Romanæ. Noverit magna Sanctitas tua, quod ego filius tuus & Romanæ „ Eccleſiæ, Imperator omnium Bulgarorum & Blacorum, cum „ omnibus Principibus Imperii mei multum bene ſum per „ Deum & orationem tuam. Multoties miſit Imperium meum „ nuncios ſuos ad ſanctitatem tuam. Ideo certe non potuerunt „ tranſire, quia illi qui non habebant pacem cum Imperio „ meo, ſervabant vias. Poſtea menſe Junii præterito (*anni ſcil. Chr.* 1203.) Imperium meum miſit Archiepiſcopum „ meum & totius Bulgariæ regionis & univerſalem ſanctæ & „ magnæ Trinovæ & magnum hominem Imperii mei merito „ nominatum Primatem & Archiepiſcopum totius Bulgariæ & „ Blaciæ, nomine Baſilium; qui quum perveniſſet Durachium, „ non fuit permiſſus tranſire ad ſanctitatem tuam, ut compleret deſiderium Imperii mei ſanctitas tua, ſecundum conſuetudinem prædeceſſorum meorum Imperatorum Bulgarorum „ & Blacorum Simeonis, Petri, & Samuelis progenitorum „ meorum, & ceterorum omnium Imperatorum Bulgarorum. „ Ve-

a Raynald. num. 29. exiſtimat, Annum ab urbe condito 6712. in literis Regis Bulgarorum notatum, incidere in annum Chr. 1204. Sed fallitur, non advertens animum ad ſequentes ejuſdem Regis, necnon Baſilii Patriarchæ literas.

„ Verum, Deo adjuvante & intervenientibus orationibus
„ ſanctitatis tuæ, venit ad me præſens nuncius Apoſtolicæ ca-
„ thedræ & primæ Sedis Eccleſiæ Romanæ Johannes Capella-
„ nus, & detulit mihi literas ex præcepto Sanctitatis veſtræ
„ & Apoſtolicæ Sedis, & palliavit dictum Archi-Epiſcopum,
„ & fecit eum Primatem totius Bulgariæ & Blaciæ: & portavit
„ Imperio meo literas Sanctitatis tuæ, & expoſuit quidquid
„ ei ſanctitas veſtra mandavit; & repletum eſt cor meum
„ gaudio magno, quoniam ſecundum voluntatem Imperii mei
„ donavit mihi Deus & ſanctitas tua. Et rogo & deprecor ſan-
„ ctitatem tuam, ut compleat deſiderium Imperii mei, &
„ mittat Virgam Paſtoralem ad congregandas oves, & cætera
„ quæ Patriarcha conſuevit habere, & faciat præſentem Pri-
„ matem & Patriarcham in ſancta & magna Eccleſia Trinovæ
„ primæ civitatis totius Bulgariæ, & habeat Eccleſia ipſa etiam
„ poſt mortem iſtius Patriarchæ Patriarcham in perpetuum ex
„ præcepto Sanctitatis tuæ. Et quoniam grave eſſet propter
„ longitudinem viæ & guerram hominum in obitu cujuſ-
„ que Patriarchæ recurrere ad Eccleſiam Romanam; conce-
„ datur ab Eccleſia Romana Eccleſiæ Trinovæ, ut ſibi poſſit
„ eligere & conſecrare Patriarcham, ne ex ejus abſentia terra
„ illa ſine benedictione remaneat, & tua conſecratio imperfe-
„ cta, & redundet peccatum in ſanctitatem tuam. Nunc au-
„ tem petimus, ut fiat Chriſma ex præcepto ſanctitatis tuæ in
„ ſancta & magna Eccleſia civitatis Trinovæ pro Baptiſmate
„ Chriſtianorum. Sciat ſanctitas tua, quod quum ſciverint
„ Romæi (*ideſt Græci*) quod receperimus Comſecrationem a
„ Sanctitate tua, non dabunt mihi Chriſma. Et aliud peto a
„ Sanctitate tua, ut mittas Cardinalem ad Imperium meum,
„ ſeu iſtum qui venit ad me, ſive alium a Sede Apoſtolica, &
„ des ei Diadema & Sceptrum ſecundum Apoſtolicæ Sedis &
„ Apoſtolorum Principis benedictionem: & mittat Privile-
„ gium bullatum aurea bulla, ad exemplar ipſius ſervandum
„ perpetuo in Eccleſia Trinovæ. Et hæc omnia dent Imperio
„ meo, & conſecrent & coronent Imperium meum. Omnia
„ autem prædicta mitti debent ad Imperium meum a Sancita-
„ te tua. Videat præſens nuncius Epiſcopus Brandizuberenſis
„ Blaſius, ut poſſit referre quid Tu ſcripſeris manu propria.
„ Et,

„ Et, si hæc omnia impleverit sanctitas tua, ita reputabo cum „ prosapia Imperii mei & omnium Bulgarorum & Blacorum, quod sumus dilecti filii orthodoxæ Sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ. Et de confinio Ungariæ, Bulgariæ, & Blaciæ, „ relinquo judicio sanctitatis tuæ, & dirigas negotium istud „ recte & juste, ut non habeat peccatum anima sanctitatis tuæ, „ & ita habeat Imperium meum justitias Bulgariæ & Blaciæ, „ quod Rex Ungariæ habeat justitias Ungariæ, & cessent oc- „ cisiones Christianorum in me & Imperium. Sciat autem sanctitas tua, quod quinque Episcopatus Bulgariæ pertinent „ ad Imperium meum, quod invasit & detinet Rex Ungariæ „ cum justitiis Ecclesiarum; & ipsi Episcopatus sunt annihilati, & si justum est hoc, fiat. Quidquid dicturus est præsens „ nuncius Imperii mei Episcopus Brandizuberensis Blasius sanctitati tuæ, habeas verum; quoniam ex parte mea dicet.

XVIII. Basilius Bulgariæ Archiepiscopus significat Papæ Innocentio III. Pallium se accepisse: rogat ut sibi facultatem concedat sacri Chrismatis conficiendi.

Per eundem Blasium Episcopum, etiam Basilius Archiepiscopus tales summo Pontifici literas destinavit. „ Multas in- „ clinationes & magnas preces ad Dominum & gloriosissimum „ & Cathedralem Apostolicæ Sedis, Patri totius Christianitatis & Domino nostro Innocentio tertio Papæ, Archiepiscopus Basilius de minoribus & humillimis totius Bulgariæ & „ Blaciæ, vestram perfectam benedictionem. Adoro clementissimum Deum, & beatissimam Dei genitricem Mariam, ut sanam & gaudentem vestram sanctitatem meum inveniat scriptum. Et quod mea anima desideravit per octavum decimum annum, (a) ecce hodie dedit nobis Deus, „ & sancta tua oratio Sedis B. Petri Apostoli & tuæ sanctitatis. „ Noscat sanctitas tua, qualiter ego conversatus sum, tuam „ quærens benedictionem. Mota est per mensem Julii, quarta die, sex millesimo septingentesimo undecimo, Indictione sexta (*anno Chr.* 1203.) mea humilitas ad sanctum „ & gloriosissimum Patrem nostrum Innocentium Papam Romanum, & fecit dies triginta (*usque ad diem* 3. *Augusti*) „ in Durachio juxta mare; & quum vellem introire navim „ gratia transfretandi, tunc detinuerunt me Græci, & non „ dimiserunt transire, sed tenuerunt me apud Durachium per

a Itaque Basilius Zagora Bulgarorum Episcopus jam ab anno 1185. consecratus fuerat.

„ octo dies (*usque ad diem* 11. *Augusti*) & multa mea deprecatione erga Deum & beatissimum Principem Apostolorum „ Petrum per sanctas tuas orationes dimiserunt me Latini: „ nam consilium acceperant projiciendi me in mare; sed eripuit „ Deus tuaque sancta oratio. Exiens autem de civitate, reversus sum in villa nuncupata Cavathocori, & ibi diebus viginti (*usque ad diem* 31. *Augusti*) permansi: & inde misi „ duos bonos homines meos Romæ sanctitati tuæ; & utrum „ transiverint, nec ne, novit Dominus. Sed literæ mihi ex „ parte Domini mei Imperatoris venerunt Domini Johannis, „ dicentes mihi: Revertere cito, quia hic pervenit Cardinalis a Domino Papa. Legens ergo literas Imperatoris, & videns quoniam me vocavit, reversus sum, & perveni Drianum per mensem Septembrem: & inveni virum sanctum, „ justum, & rectum a Tua sanctitate directum, nomen ejus Johannes Capellanus. Et dedit mihi literas ex parte vestræ „ sanctitatis, & perlectæ mihi fuerunt. Unde valde anima mea „ est lætata; & manus meas ad cœlum extendens, gratias Deo „ egi, quia visitavit Dominus plebem suam, & Pater noster „ beatus Papa quærens ovem quæ perierat, ut eam reduceret „ in sancto ovili. Et sicut continebatur in literis vestræ sanctitatis, sic Dominus Johannes Capellanus fecit. Secundum „ edictum vestræ sanctitatis, vestram mihi benedictionem dedit, & largiens mihi Pallium ad plenitudinem Pontificalis „ officii, mense Septembri, octavo die, in festo Nativitatis „ Sanctissimæ nostræ Dei genitricis. Et ego cum multa devotionis humilitate recepto Pallio, exhibui fidelitatis obedientiam, præsentibus Episcopis, qui scribunt sanctitati vestræ, „ & Principe nostro, & multis aliis in Ecclesia assistentibus. „ Et iterum, Pater sancte, vestram rogo sanctitatem, ut dispenses & adimpleas ordinem Ecclesiasticum, & qualiter „ debeam regere ovile, quod mihi est commissum a Deo & „ sanctitate vestra. Sanctum Chrisma non habemus; imo a „ Græcis receperamus: sed de cetero nos, tamquam & vos, „ Græci exosos habent. Et scias, Domine mi, quoniam hæc „ omnia in sanctitate tua remanserunt, quod debeat in omnibus dispensare. Et de Sancto Chrismate nos doceat, qualiter gentem baptizare debeamus, & ne remaneat gens absque

„ Chri-

„ Chrifmate fancto, & erit peccatum; fed in omnibus nos fi-
„ lios tuos perditos & pereuntes moneas; & mittas mihi, Pa-
„ ter bone, Pallia ad opus duorum Metropolitanorum Prish-
„ lavæ, & Belesbudii: & quidquid aliud noverit veftra fan-
„ ctitas, quod fit ad opus mei Pontificalis officii plenitudi-
„ nem, mihi illud veftra dirigat fanctitas.

XIX. Innoc. III. Papa per Leonem Card. S. A. L. declarat Joannem Regem Bulgarorum & Blachorum, mittens ei Sceptrum, Coronam Regiam, & Vexillum Cruce & clavibus infignitum.

Quum autem Epifcopus Blafius & Capellanus Joannes ad Sedem Apoftolicam perveniffent, Dominus Papa eos benigne fufcepit; & fuper petitionibus fæpefati Joannis Regis per eundem Epifcopum præfentatis habito diligenti tractatu, conftituit eum Regem Blacorum & Bulgarorum, mittens ad eum Leonem (a) Tituli Sanctæ Crucis Presbyterum Cardinalem, Apoftolicæ Sedis Legatum, & per ipfum Sceptrum Regni, ac regium diadema, ut eundem vice Summi Pontificis ungeret & coronaret in Regem, tranfmiffo Apoftolico Privilegio, cujus tenor talis eft: „ Calojoanni (b) illuftri Bulgarorum & Bla-
„ corum Regi, ejufque pofteris ei tam in Regno, quam in de-
„ votione Sedis Apoftolicæ fucceffuris in perpetuum. Rex
„ Regum & Dominus Dominantium Jefus Chriftus. *Et poft
„ pauca*. Quum ex præcepto Domini oves ejus pafcere te-
„ neamur, populis Bulgarorum & Blacorum, qui multo jam
„ tempore ab uberibus matris fuæ alienati fuerunt, in fpiri-
„ tualibus & temporalibus paterna folicitudine providere vo-
„ lentes, ejus auctoritate confifi, per quem Samuel David in
„ Regem inunxit, Regem Te ftatuimus fuper eos, & per di-
„ lectum filium Leonem Tituli Sanctæ Crucis Presbyterum
„ Cardinalem, Apoftolicæ Sedis Legatum, virum providum
„ & honeftum, nobis inter ceteros fratres noftros acceptum,
„ Sceptrum Regni, ac regium Tibi mittimus Diadema, ejus
„ quafi noftris Tibi manibus imponendum, recipiendo a Te
„ juratoriam cautionem, quod Nobis & Succefforibus no-
„ ftris & Ecclefiæ Romanæ devotus & obediens permanebis,
„ & cunctas terras & gentes tuo fubjectas imperio, in obedien-
„ tia & devotione Sedis Apoftolicæ confervabis. Ad petitio-

S 2 „ nem

a Scripfit etiam Pontifex ad Ungariæ, & Serviæ Archiepifcopos, cæterofque Præfules, ut Leonem Presb. Card quem ad Bulgariæ Regem mittebat, tamquam A. S. Legatum agnofcerent, & quo par erat honore exciperent, & complecterentur. Lib 7. Ep. 13. 14.

b Lib. 7. Ep. 1.

„ nem insuper Ven. Fratris nostri Blasii Brandizuberensis Epi- „ scopi, quem ad Sedem Apostolicam destinasti, publicam in „ Regno tuo cudendi monetam tuo charactere insignitam, li- „ beram Tibi concedimus facultatem. Venerabili etiam Fra- „ tri nostro Archiepiscopo Trinovitano in terris, in quibus im- „ peras universis, Privilegium concedimus Primatiæ, qui & „ successores ipsius, tuos in posterum successores, simili ab eis „ juramento recepto, Apostolicæ Sedis auctoritate, coro- „ nent, & in terra tua Primatus obtineant dignitatem, eique „ Metropolitani tam in Bulgariæ, quam Blaciæ provinciis „ constituti subjaceant, & juxta formam canonicam, reveren- „ tiam Primati debitam exhibeant & honorem &c. Dat. Ana- „ gniæ per manum Johannis S. R. E. Subdiaconi & Notarii, „ VI. Kal. Martii, Indict. VII. Incarn. Dom. (a) An. 1203. „ Pontificatus vero Domini Innocentii Papæ III. anno VII. „ Anno scilicet 1204.

In eandem sententiam, alia ad ipsum Calojohannem Regem data epistola [lib. 7. cap. 8.] Leonem Cardinalem Legatum plurimum tum ipsi, tum universis Bulgariæ ac Blaciæ Archiepiscopis, Episcopis, Clero & populo commendat. Misit insuper per eundem Legatum eidem Regi vexillum Cruce & Ecclesiæ clavibus insignitum cum hisce literis &c.: „ Ut in „ Cruce Domini nostri Jesu Christi cum Apostolo glorieris &c. „ Præter Regiæ dignitatis insignia, quæ Tibi per dilectum fi- „ lium Leonem Tit. S. Crucis Presb. Card. Apostolicæ Sedis „ Legatum, virum providum & honestum, Tuæ Serenitati „ dirigimus per eundem Vexillum, quo contra illos utaris, „ qui honorant labiis Crucifixum, cor autem eorum est lon- „ ginquum ab ipso &c.

XX. Idem Pontifex Trinovitanum Archiepiscopum constituit Primatem seu Patriarcham, totius Bulgariæ & Blachiæ tribuens ei facultatem Archie-

Constituit etiam Trinovitanum Archiepiscopum Primatem totius Bulgariæ & Blaciæ, misitque illi Privilegium (b) hujusmodi per eundem Legatum. „ Archiepiscopo Trinovitano „ Bulgarorum & Blacorum Primati, ejusque Successoribus „ canonice substituendis, in devotione Sedis Apostolicæ suc- „ cessuris in perpetuum. Rex Regum &c. Te quoque in Re- „ gno

a Computando annos Christi ab Incarnationis die 8. Kal. Aprilis, Annus ducentesimus quartus supra millesimum esse comperitur.

b Lib. 7. Ep. 2.

„ gno Bulgarorum & Blacorum Primatem ſtatuimus, & Eccle-
„ ſiæ Trinovitanæ, præſenti Privilegio, auctoritatem conce-
„ dimus Primatiæ, ſtatuentes, ut Tu & Succeſſores tui, qui
„ Tibi in Apoſtolicæ Sedis devotione ſucceſſerint, ceteros
„ Metropolitanos Bulgariæ & Blaciæ præcellatis ratione Pri-
„ matiæ, & ipſi Tibi & eis juxta formam canonicam reveren-
„ tiam Primati debitam exhibeant & honorem: fraternitatem
„ tuam ſcire volentes, quod apud Nos hæc duo nomina,
„ Primas & Patriarcha, pene penitus idem ſonant, quum Pa-
„ triarchæ & Primates teneant unam formam, licet eorum
„ nomina ſint diverſa. Præſenti quoque Privilegio Tibi, &
„ per Te tuis Succeſſoribus, inungendi, benedicendi, & co-
„ ronandi Reges Bulgarorum & Blacorum in poteſtatem li-
„ beram concedimus facultatem. Obeunte vero Te nunc
„ Eccleſiæ memoratæ Primate, nullus ibi qualibet ſubreptio-
„ nis aſtutia præponatur, niſi qui canonice fuerit electus ad
„ eam ſecundum conſuetudinem approbatam. Electus autem
„ per Metropolitanum & alios Suffraganeos ejuſdem Eccle-
„ ſiæ qui poterunt intereſſe, in Epiſcopum ſolemniter ordi-
„ netur. Conſecratus vero ad Sedem Apoſtolicam Nuncios
„ ſuos mittat, Pallium de Corpore B. Petri, inſigne videlicet
„ plenitudinis Pontificalis officii, petituros. In cujus ſuſce-
„ ptione juramentum illud Nobis & Succeſſoribus noſtris &
„ Eccleſiæ Romanæ præſtabit &c. Quum autem aliquis Me-
„ tropolitanorum, qui Tibi jure ſubjacent Primatiæ, viam
„ fuerit univerſæ carnis ingreſſus, confirmabis electionem ca-
„ nonicam de perſona idonea celebratam, & perſonam ele-
„ ctam in Epiſcopum conſecrabis. Pro Pallio vero Nuncios
„ tuos cum Nunciis Eccleſiæ, cui præeſt, ad Apoſtolicam Se-
„ dem mittes, Noſque illud Tibi per eos libenter & hilariter
„ tranſmittemus, per Te Metropolitano Epiſcopo juxta for-
„ mam, quam ſub bulla noſtra recipies, ſolemniter confe-
„ rendum: quod ſi Legatum vel Nuncium noſtrum contigerit
„ intereſſe, id cum eo pariter exequaris. Chriſma vero &
„ Oleum Catechumenorum & Infirmorum ſingulis annis in
„ Cœna Domini tam in Eccleſia Bulgariæ quam Blaciæ fieri
„ ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ concedimus,
„ ut quoties neceſſe fuerit, qui baptizandi fuerint baptizen-
„ tur,

piſcopos & Epiſcopos inſtituendi, Regem ungendi, & ſacrum Chriſma conficiendi.

„ tur, & confirmentur per Diœcesanos Episcopos qui fuerint „ confirmandi; nec Episcoporum consecratio, nec ordinatio „ Sacerdotum, propter defectum hujusmodi, vel præpedia„ tur penitus, vel diutius differatur: quia licet hactenus apud „ Vos nec in sua ordinatione Presbyteri, nec in consecratione „ sua Episcopi consueverint sacram recipere unctionem; vo„ lumus tamen, ut deinceps, non tam ritum nostrum, quam „ mandatum divinum sequentes, per quod in Lege præcipi„ tur, ut Pontifices & Sacerdotes ungantur, manus eorum „ qui ordinandi sunt in Presbyteros, & tam manus, quam „ caput eorum, qui consecrandi sunt in Episcopos, solemni„ ter inungantur. Præterea Crucem, Vexillum videlicet Do„ minicæ Passionis, ante Te per totam Bulgariam & Blaciam „ deferendi, fraternitati tuæ licentiam impertimur.

XXI. Idem etiam constituit, ut nullus deinceps Episcopus aut Presbyter sine unctione initiaretur: utque jam initiati, inungerentur secundum morem Latinorum: Missis ad duos Archiepiscopos Palliis.

Quia vero secundum consuetudinem Bulgarorum & Blachorum nec in ordinatione Presbyteri, nec in consecratione Pontifices fuerant inuncti, fecit præfatum Brandizuberensem Episcopum per Jo. Episcopum Albanensem, assistentibus ei duobus Episcopis, in præsentia sua Dominus Papa secundum morem Latinorum inungi; & mandavit, ut tam Primas, quam Metropolitani, & universi Episcopi ac Presbyteri sacram reciperent unctionem; ac de cætero nulli sine unctione ordinarentur Presbyteri aut consecrarentur Episcopi; assignans super his rationes in literis memorato Primati directis: cui etiam Insignia Pontificalia universa per prædictum Legatum liberaliter destinavit; taliter ei scribens: „ Quum (*a*) venisset ad „ Apostolicam Sedem Ven. Frater noster Episcopus Brandizu„ berensis &c.

Misit etiam per eundem Legatum duobus Archiepiscopis de novo creatis duo Pallia assignanda illis secundum hanc formam: „ Ad honorem Dei omnipotentis &c. „ Præcepit (*b*) etiam, ut tam a Primate, quam præfatis Archiepiscopis reciperet hujusmodi sacramentum. „ Ego Basilius Archiepiscopus „ Trinovitanus, Primas totius Bulgariæ & Blaciæ, ab hac ho„ ra in antea ero fidelis & obediens B. Petro, Sanctæque Ro„ manæ & Apostolicæ Sedi, & Domino meo Innocentio Papæ, „ ejusque Catholicis Successoribus &c. Le-

a Lib. 7. Epist. 3.
b Lib. 7. Ep. 11.

Legatus ergo transitum faciens per Ungariam, tam a Rege, quam a Principibus Ecclesiasticis & mundanis honorifice fuit & devote susceptus. Sed quum ad fines jam Ungariæ pervenisset, missis post eum Nunciis Rex fecit ejus transitum impediri. Super quo qualiter Dominus Papa processerit, ipsius literæ (a) manifestant ad Regem Ungariæ destinatæ: „ Inter alios [inquit] Reges Catholicos & Principes Christianos. *Et mox*. Rediens enim ad Apostolicam Sedem Joannes tunc Capellanus noster, nunc autem Furconensis Episcopus, constanti Nobis assertione suggessit, quod a Te cum ingenti honore & devotione susceptus, clementer obtinuit, non solum quod circa negotium Culumbani a regia celsitudine requisivit, verum etiam impetravit, quod tam ipsi quam aliis Ecclesiæ Nunciis & Legatis liber pateat per Regnum tuum progressus pariter & regressus in Bulgariam & Blaciam. Tu quoque, si bene recolimus, suggessisti, quod Tuæ Serenitati placebat, ut Megajupanus Serviæ debitam & devotam Apostolicæ Sedi reverentiam & obedientiam exhiberet, & a Nobis, salvo in temporalibus jure tuo, regium susciperet Diadema. Unde Nos hujus executionem negotii Ven. Fratri nostro Colocensi Archiepiscopo meminimus injunxisse. Per has ergo non tam generales, quam speciales causas inducti, filium nostrum Leonem Tit. Sanctæ Crucis Presb. Cardinalem A. S. L. in Bulgariam & Blaciam per Regnum tuum ad propagationem Fidei Christianæ, duximus destinandum: qui, sicut Nobis suis literis intimavit, a tua regia celsitudine ultra etiam quam crediderit, extitit honoratus, ita ut quasi deposita gravitate regali, universa conareris efficere, quæ sibi crederes complacere; dato prius cum omni jucunditate ducatu Nunciis, quos in Bulgariam duxerat destinandos. Datoque pacis osculo, & facta cum magno gaudio mutua promissione amicitiæ specialis, & muneribus elargitis, non solum licentiam obtinuit transeundi, verum etiam tuis Nunciis præcepisti, ut eum transferrent in Bulgariam cum honore, promittens, quod tuum sibi scriptum in confinio destinares, quod ipse apud se secretius retineret, & secundum illud ad reformationem „ pacis.

XXII. Quomodo Legatus Pontificius a Rege Hungariæ primum fit detentus, & postea, urgente Innocent. Papa dimissus.

a Lib. 7. Ep. 126.

„ pacis fideliter laboraret. Procedens ergo cum Nunciis tuis „ usque ad Regni terminum, pervenit ad castrum, quod vocatur Keve, ubi solo Danubio mediante Regnum Ungariæ „ a Bulgarorum provincia separatur, multis eum cum desiderio expectantibus ex altera parte. Sed post unius moram „ diei Nuncios ex insperato recepit, qui cum festinatione maxima venientes, sibi & Episcopo Bulgaro transitum fecerunt „ omnino præcludi, ex parte regia proponentes, ut ad quoddam tuum præsidium retroiret, quod itinere trium dierum „ reliquerat jam post tergum; ibique morans, Domino Bulgarorum per Nuncios demandaret, quod ad quamdam insulam festinus accederet, in confinio constitutam, ut ibi „ prius de controversia, quæ vertitur inter vos, plene recognosceret, & eam sine debito terminaret; alias ei transitus „ non pateret. Ipse vero Cardinalis inter multa respondit, „ quod hoc tali modo facere non deberet, tum quia si eum „ cum hujusmodi pactionibus reciperet ad matris ubera redeuntem, quum super hoc non tam seculare, quam spirituale „ negocium ageretur, videretur intervenire species simoniacæ pravitatis; tum quia non posset eum compellere ad aliquid faciendum, donec obligatus esset Apostolicæ Sedi per „ vinculum spirituale. Unde quum nollet ab incepto itinere „ retroire, protinus exiit edictum a Comite castri, quod quicumque sibi aut etiam Episcopo memorato auderet aliquid „ vendere, seu aliquod humanitatis solatium exhibere, pœnam incurrerent personarum & rerum. Et ipse Cardinalis „ cum Episcopo sæpedicto a trecentis ad minus circumfusis satellitibus custoditur: qui adeo ipsum comprimunt, quod „ ostium cameræ, si camera dici debet, observant; ut taceamus ea, quæ sibi & suis circa necessaria naturæ viliter irrogantur. *Et mox*. Parcat igitur eis Deus, qui animum tuum „ tam pravo consilio seduxerunt, volentibus inter Regnum „ & Sacerdotium discordiam seminare. Sed nos pro certo „ speramus, quod aut per te ipsum jam errata correxeris; aut „ ad commonitionem nostram taliter debeas emendare, ut „ injuria transeat in honorem, & offensa in gratiam revertatur „. *Cetera*. Strigoniensis etiam Ecclesiæ Suffraganeis mandavit, Regem ipsum ad resarciendam injuriam inducere niterentur.

Ipse

Ipse vero Rex Ungariæ quemdam militem cum literis excusatoriis ad Papam Innocentium direxit, in quibus literis querelas quinque capitulis distinctas cumularat. At vero Pontifex per eundem militem Regi Ungariæ rescripsit, hoc modo: „ Regiæ celsitudinis literas, quas Nobis per dilectum filium „ nobilem virum E. militem destinasti, benigne recepimus, „ & quæ significasti per eas notavimus diligenter „. Ad primum ergo Capitulum. Objecerat Ungarus, majores suos Apostolicam Sedem singulari observantia ac religione coluisse, patrique Romanos Pontifices amore ipsos fuisse prosecutos: At de illo amore videri Innocentium remisisse, ex eo colligebat, quod Bulgarum hostem suum regia dignitate decorare vellet. Cui Innocentius; verum illud, Ungaros ac Pontifices Romanos præcipuo amoris nexu fuisse conjunctos; nec tamen amorem illum intepescere videri debuisse, quum ipsius pater, Alexandri Papæ jussu, a Colocensi Archiepiscopo corona fuisset redimitus, quo tempore maximas illius adipiscendæ difficultates pateretur: quin etiam circa Regni sui primordia, quum idem ipse Ungarus bello graviore appeteretur, Sedis Apostolicæ cura ad pacem atque officium, fratrem ipsius ac sequaces adductos fuisse. Querebatur secundo, Joannicium Bulgarum occupasse terras, quæ in dotem sorori suæ Græcorum Imperatrici a patre fuissent traditæ, atque etiam Serviam sibi subjectam, cum Infidelium exercitu populatum, dum ipse in gratiam Apostolicæ Sedis conjuncto cum Bohemiæ Rege exercitu, pro Othone, Philippo bellum inferret. Ad quod Innocentius, dolere se graviter injuriam ullam ipsi illatam, & curas Apostolicas ad eam sarciendam collocaturum. Opposuerat tertio, Joannicium tyrannum esse, nullius terræ de jure Dominum, licet aliquam partem sui [idest Ungariæ] & aliam Regni alterius ad tempus detineat occupatam: mirari se proinde, quod tam manifestum inimicum suum, se inconsulto, tam subito in Regem Innocentius proposuerit coronare. Quibus ita respondet Pontifex: „ Antiquitus multi Reges in Bulgaria successive fuerunt, auctoritate Apostolica coronati, sicut Petrus, „ & Samuel, & alii nonnulli post eos. Nam ad prædicationem „ sanctæ memoriæ Nicolai Prædecessoris nostri, Rex Bulgarorum, ad quorum consulta sæpissime respondebat, cum

,, toto Regno sibi commisso meruit baptizari. Sed tandem ,, prævalentibus Græcis, Bulgari perdiderunt Regiam digni- ,, tatem; quinimo compulsi sunt gravi sub jugo Imperatori ,, Constantinopolitano servire, donec novissime duo fratres, ,, Petrus (a) videlicet, & Joannicius, de priorum Regum ,, prosapia descendentes, terram patrum suorum non tam oc- ,, cupare, quam recuperare cœperunt, ita quod una die de ,, magnis Principibus & innumeris populis mirabilem sunt vi- ,, ctoriam consecuti. Non ergo negamus, quin forsan aliquam ,, partem terræ violenter invaserint; sed constanter asserimus, ,, quod plurimam terræ partem de jure recuperavere pater- ,, no. Unde nos eum non super alienam, sed super pro- ,, priam terram, adinstar Prædecessorum nostrorum, Regem ,, intendimus coronare, volentes ut & ipse terram restituat ,, injuste detentam, & terra injuste retenta restituatur eidem; ,, quum ipse postulaverit hoc a nobis, ut de terris invasis fa- ,, ciamus inter Te, & ipsum utrique parti justitiam exhiberi ,,. Quarto per literas suas Ungarus postulabat, ut vel Pontifex a proposito coronationis illius desisteret omnino, vel saltem tamdiu cessaret, donec discordia inter illos, judicio posset vel arbitrio Legati pacari. Cui Innocentius: non posse Legatum fœdera inter utrumque Regem jungere, nisi utrumque adiret. ,, Attende nihilominus diligenter [inquit] quale deni- ,, que reputares, si nos impedire vellemus, ne filius tuus ,, carnalis coronari posset in Regem; & tale nos reputare co- ,, gnosce, si tu impedire coneris, ne filius noster spiritualis in ,, Regem valeat coronari ,,. Quinto denique, quod de Jadera a Venetorum Francorumque exercitu excisa quereretur, & elapso jam biennio nihil fere adhuc justitiæ super tam irreparabili damno per Romanam Ecclesiam se potuisse consequi diceret: quantum ea in re Apostolica Sedes, ut ipsi fieret satis, desudasset, significavit Pontifex: ,, Nos [inquit] intan- ,, tum jam processimus contra eos [Venetos] quod dilectum ,, filium,

a Tres fratres fuere, Asan seil., Petrus, & Joannes: uti ex auctoribus a Cangio citatis constat. Verum, quia Nicetas aliique, præcipuam Petro auctoritatem, præ Asane, tribuunt; & quia Asane ab Ivaneo seu Jo: nobili Bulgaro interfecto, rerum summa ad Petrum devoluta fuerat, quem & Joannes, de quo Innocentius Papa, excepit, ideo ad Petrum & Joannem instauratio Bulgariei Regni ab eodem Innocentio tribuitur.

„ filium, suum Patriarcham electum, noluimus consecrare, imo „ quum ad nos personaliter accessisset, remisimus eum non „ sine multo pudore confusum. Significavimus quoque Tibi, „ ut apud Jaderam, quæ hactenus cum tota provincia sua „ subjecta fuit Patriarchæ Gradensi, faceres electionem cano- „ nicam de persona idonea celebrari, & Electum ad Nos con- „ secrandum & palliandum dirigeres, ut sic inciperemus pu- „ nire superbiam Venetorum. Pari modo præfatus Joanni- „ cius puniretur, si post susceptionem coronæ nollet super „ discordia inter vos arbitrio vel judicio Legati nostri pa- „ rere.

XXIII. Literæ Joannis Regis, & Basilii Primatis Bulgariæ & Blachiæ ad Innocent. III. Papam, quibus res a Pontificio Legato gestas ei significant.

Ex illo autem verbo (subjungunt Acta num. 80.) quod in præmissis continetur: „ Quale denique reputares, si nos im- „ pedire vellemus, ne filius tuus carnalis coronari posset in „ Regem: „ Rex ipse Ungariæ valde territus fuit: quia quum fecisset curiam congregari solemnem, ut filium suum parvulum in Regem faceret coronari, timuit vehementer, ne coronationem ejus Dominus Papa faceret impediri. Unde quum præfatus Cardinalis ad Curiam illam nuncios destinasset, tunc demum obtinuerunt a Rege licentiam transeundi. Profectus ergo Legatus, universa, sicut fuerant constituta, complevit. Et rediens, tales ex parte Regis & Primatis Bulgarorum literas reportavit.

Literæ Regis. „ A Calojohanne Rege totius Bulgariæ & „ Blaciæ, ad a Deo promotum & Sanctissimum & in Christo „ dilectum & honorificentissimum Patrem Regni nostri, ter- „ tium Innocentium, & Sacerrimum Papam Romæ, & suc- „ cessorem Principis Apostolorum Apostoli Petri. Legatus „ Apostolicæ Sedis Dominus Leo Sanctitatis tuæ scriptum meo „ obtulit Imperio. *Et mox*. Hoc autem notum sit Sanctitati „ Vestræ, Patri spirituali Regni mei, Domino Papæ, quod „ Dominus Leo Legatus Apostolicæ Sedis venit ad Imperium „ meum, sibi afferens Coronam, & eam benedicens super „ caput Imperii mei imposuit, & in manibus meis dedit mihi „ Sceptrum atque Vexillum, & benedixit Sanctissimo Patriar- „ chæ Regni mei & totius Bulgariæ ex præcepto Vestræ San- „ ctitatis. *Et paucis interjectis*. Scribo autem vobis & de „ Ungaro, quoniam Imperium meum non habet aliquam so-

,, cietatem regionum, vel aliquam rem cum eo, neque ei ,, nocet; imo ipse parvipendit, & nocet regionibus Imperii ,, mei. Et Dominus Leo Cardinalis vidit, & Vestræ Sanctitati annunciabit justum vel injustum quod est ab Imperio meo, ,, aut si ego parvipendo Ungarum, vel si ipse meum Imperium ,, parvipendit. Et scribat ei Sanctitas Vestra, quatenus distet ,, a Regno meo, quoniam Imperium meum nec eum habet ,, parvipendere, nec contra terras ejus abire. Si vero ipse venerit contra terras Imperii mei, & Deus adjuverit, ut vincatur, non habet Sanctitas Vestra Imperium meum suspectum, sed sim liber. de Latinis quoque, qui Constantinopolim introierunt, scribo Sanctitati Vestræ, ut eis scribatis, ,, quod distent ab Imperio meo; & sicut Imperium meum nullum malum eis facit, neque ipsi nos parvipendant. Si forte ,, ipsi conati fuerint contra Imperium meum, & parvipenderint ,, eum, & occidetur ex eis, non habeat Sanctitas Vestra Imperium meum suspectum, sed sint universa libera. Misi autem ad tuam magnam Sanctitatem (*a*) pueros duos: unus ,, nominatur Basilius, alius Bethelem: & detur ex præcepto ,, ejus, ut addiscant in scholis literas Latinas, quoniam hic ,, Grammaticos non habemus qui possint literas quas mittitis ,, nobis transferre; & postquam addidiscerint, remittentur ,, ad Imperium meum. Misi autem ad præsens in signum parvæ recordationis examita duo; episima dupla, unum est ,, rubeum, & aliud album: & camelum unum. Quum vero ,, mittam Legatos ad Sanctitatem Vestram, semper Vestræ ,, Sanctitatis recordabor.

Literæ Basilii Bulgariæ Primatis. ,, Multas inclinationes ,, & multas sanitates a me Basilio humili Bulgarorum & Blacorum Primate, erga Patrem universorum & Dominum & Patrem meum magnificentissimum & Sanctissimum Papam In- ,, nocen-

a Cangius cap. 7. de Famil. Dalmaticis, num. 32. pag. 320. agens de Joanne Bulgariæ Rege: ,, De uxore vero & liberis (inquit) silent scriptores: nam quod ,, Bzovius (ann. 1205. num. 24.) ex Bulgariæ Patriarchæ ad Innocentium epistola ,, colligit, Joannem Romam filium misisse, quo Latinas literas addiscerent, ex ,, alia ejusdem Regis ad ipsum Pontificem evanescit, ex qua satis percipitur missos ,, Romam parvulos duos, Joannis Regis filios haud fuisse ,, . Verum quidem est, in epistola Regis, duos pueros missos dici, neque exprimi, cujus ii fuerint filii. At vero in epistola Patriarchæ, uti mox patebit, disertim affirmari, unum fuisse *filium Regis*, alterum filium Constantini Presbyteri.

„ nocentium . Oramus Omnipotentem Deum &c. Notum „ ſit ergo Veſtræ magnæ Sanctitati, quod Leo Cardinalis & „ ſanus & ſoſpes pervenit delegatus a S. V. & Apoſtolica „ Sede, & uſque ad noſtram magnam civitatem Trinovæ te„ tendit *quintadecima die Octobris*, & portavit univerſalem „ plenitudinem Patriarchalis dignitatis & paramenta omnia, „ quæ mihi a Veſtra magna Sanctitate fuerunt delegata. Tra„ didit ſimiliter & Anulum, & privilegium, & ſcripta & in„ ſtructiones. Ex præcepto Veſtræ Sanctitatis unxit me Chri„ ſmate, mihi benedicens, & conſecravit me in Patriarcham „ menſis Novembris ſeptimo die, in feſtivitate ſcilicet Sancti „ Apoſtoli Jacobi fratris Domini. Et ego illa die duos unxi „ Metropolitanos & ceteros Epiſcopos magno gaudio, & duo„ bus de Metropolitanis benedixit Cardinalis. Et tradidit eis „ Pallium atque Mitras, & reliquis in caput eorum Mitras „ impoſuit. Octavo vero die ejuſdem menſis, in feſtivitate „ videlicet Sancti Michaëlis, coronavit & benedixit Impera„ tori Calojohanni, Domino omnium Bulgarorum atque Bla„ corum, & ſuperpoſuit capiti ſuo Regiam Coronam, & Sce„ ptrum ſuis manibus imponens, omnia hæc complevit & per„ fecit ſecundum Sanctitatis Veſtræ velle, & benedicens no„ bis ſegregatus eſt a nobis menſis Novembris die quintade„ cima. Interea ſciat Veſtra magna Sanctitas, quod duos „ pueros ex præcepto Domini Imperatoris vobis mitto (unus „ eſt Presbyteri Conſtantini filius, alius vero Regis:) ut ex „ præcepto Veſtræ Sanctitatis literas Latinas addiſcant. Et „ quidquid meditari valetis ad honorem Imperatoris faciatis. „ Manuteneat enim Deus Veſtram Sanctitatem per multa & „ longæva tempora.

Hæc acta ſunt anno Chr. 1204. quo anno Leo Cardinalis S. A. L. in Bulgariæ civitatem Trinovitanam pervenit (*a*) die 15. Octobris: die autem 7. Novemb. Baſilium Archiepiſcopum in Bulgariæ Primatem conſecravit: die ſequenti, Regem Joannem coronavit: die xv. ejuſdem menſis Novembris e Bulgaria profectus, Romam repetiit. Quare Raynaldus loco non ſuo coronationem Regis narrat, dum illam anno 1205. pera-

a Cangius ſequutus mendoſum exemplar, ſcribit Leonem Trinovum perveniſſe *die 15. Septembris*. Verum ex dictis ſupra colligitur, legendum eſſe *die 15. Octobris*.

peractam refert num. 23. Quod autem scribit idem Rex de *Latinis Constantinopolim ingressis*, id refertur ad *captam ab iis Urbem anno* 1204. *die* 12. *Apr. feria* 2. qua de re vide notas cl. Mansii ad eund. annum 1204. num.xv. exeunte.

XXIV. Post coronationem Joannis Regis Bulgariæ & Blachiæ, sequitur bellum Bulgaricum ab ipso adversus Balduinum Imp. & Latinos, qui Constantinopolim an. 1204 Græcis eripuerant, susceptum. Et quomodo Balduinus a Bulgaris sit captus.

„ Quum vero Latini (uti Gesta Innocentii III. num. 105. „ habent) jam pro majori parte Constantinopolitanum obti„ nuissent etiam Imperium, & in omnibus eis prospere suc„ cessisset, ita ut terror eorum quasi fulgur de cœlo ceciderit, „ non solum in Græcos, verum etiam in paganos; ipsi de „ prosperitate nimis insolentes effecti, post vanitates suas li„ bere declinare cœperunt, & Deum ad iracundiam pravis „ operibus irritare. Unde quid eis merito peccatorum suo„ rum evenerit, ex literis Henrici, fratris Imperatoris Bal„ duini, Innocentio Papæ destinatis „ *Datis in Palatio anno Dom.* 1205.*Nonis Junii*, perpendere licet manifeste. „ Quum „ universum (inquit) exercitus Christiani progressum, & la„ borum peregrinationis nostræ seriem Paternitati Vestræ per „ multiplices literas & nuncios frater meus & Dominus Impe„ rator usque ad Martium elapsum novissime satis lucide signi„ ficaverit, eventus nostros ex tunc prioribus multum dissi„ miles, imo peccatis nostris exigentibus nimis miserabiles, „ vobis tamquam Patri & Domino duxi propalare. Contigit „ igitur Græcos ex innata malitia & perfidia consueta (*a*) „ post omne genus securitatis & cautionis, proditioni semper „ pro-

a Qui pro patria & Imperio suo recuperando decertant, nescio, an perfidiæ & innatæ malitiæ nota digni sint. Certe Innocentius Papa in literis ad Bonifacium Montis ferrati Marchionem datis anno 1204. apud Raynald. num. ct. sic de Latinis Constantinopolim occupantibus scribit. „ Vos nullam in Græcos jurisdictionem aut po„ testatem habentes, a puritate voti vestri temere declinasse videmini. dum non con„ tra Saracenos, sed contra Christianos arma movistis, non intendentes ad recupe„ randam Jerusalem, sed Constantinopolim occupandam, terrenas opes cœlestibus „ divitiis præferendo. Illud quoque longe gravius reputatur. quod quidam nec re„ ligioni, nec ætati, nec sexui pepercerunt, sed fornicationes, adulteria, & in„ cestus in oculis omnium exercentes, non solum maritatas & viduas, sed etiam „ Matronas, Virgines, Deoque dicatas exposuerunt spurcitiis gartionum. Nec „ Imperiales sufficeit divitias exhaurire, ac diripere spolia majorum pariter & mino„ rum, nisi ad Ecclesiarum Thesauros, &, quod gravius est, ad ipsarum possessio„ nes extenderitis manus vestras, tabulas argenteas de altaribus rapientes, & viola„ tis sacrariis, Cruces, Icones, & Reliquias asportantes, ut Græcorum Ecclesia „ quantumcumque persecutionibus affligatur, ad obedientiam Apostolicæ Sedis redire „ contemnat, quæ in Latinis non nisi perditionis exempla & opera tenebrarum aspe„ xit, ut jam merito illos abhorreat plus, quam canes „. Eadem repetit Pontifex alia

„ pronos se exhibent, statim post dimissionem nunciorum ad „ vos ultimo directorum, proditionem quam pridem mente „ conceperant, rebellione contra nos facta detegere mani- „ feste. Quo comperto, frater meus & Dominus Imperator „ opportune paucioribus comitatus (quippe nobis per muni- „ tiones & Marchias pro magna parte dispersis) contra caput „ rebellionis, Adrianopolim videlicet, quæ est civitas Græ- „ ciæ munitissima, & montibus tantum interpositis Blacorum „ affinis populis, ulciscendi animum intendens, urbem Re- „ giam egressus est. Eramus enim tunc temporis sic divisi. „ Marchio Montisferrati ultra Thessalonicam erat cum multis. „ ego ex altera parte brachii S. Georgii eram apud Andromi- „ ticum cum non paucis: Paganus de Aurelia, & Petrus de „ Braccel versus Nicæam ex eadem parte: E. de Tric. apud „ Philippopolim cum pluribus: & alii alibi per loca & muni- „ tiones dispersi. Porro audito a Johannicio Blacorum Do- „ mino, quod Latini in tanta virorum paucitate civitatem „ prædictam obsedissent, quem etiam Græci in auxilium suum, „ occulte tamen, ut magis læderent, evocarant, irruit su- „ bito Blacus ille Johannicius in nostros cum multitudine bar- „ barorum, Blacis videlicet, Comanis, & aliis. Quibus etiam „ nimis improvise obviam exeuntibus nostris, & remotius „ quam oporteret instantibus, per inimicorum insidias tandem „ vallatis undique, proh dolor! Dominus Imperator, Comes „ Ludo-

alia epistnla num. 124. libri 8. apud eund. Raynald. nom 13. „ Quomodo enim (in- „ quiens) Græcorum Ecclesia, quantumcumque persecutionibus afsligatur, ad uni- „ tatem Ecclesiasticam & devotionem Sedis Apostolicæ revertetur, quæ in Latinis „ nnn nisi perditionis exemplum, & opera tenebrarum aspexit, ut jam merito illos „ abhorreat plus, quam canes „. Ex his porro tanti Pontificis verbis cernere est Nicetam Choniatam lib. 3. extremo in Alexio Murzuflo, nnn immerito ejusmodi fa- cinora in Græcos perpetrata exprobrare, quamvis ea Duces nonnulli vetuissent, ut idem anctor testatur: etenim nobilem puellam a raptore quodam vindicans, sic mi- lites compellavit: „ Vos enim edixistis, ne conjugatæ mulieris, aut Virginis, aut „ dedicatæ Deo puellæ vel impudico aspectu, si caveri possit, quisquam contamine- „ tur, & jusjurandum ea de re sanctissimum dedistis „. Balduinum vero Flandriæ comitem, qui ad Imperium promotus fuit, idem Nicetas hoc elugio exornat: „ Non- „ dum Balduinus annum ætatis 32. excesserat, & alioqui vir erat pius, & modestus, „ ne impudico quidem aspectu mulierem intuitus, quamdiu a sua conjuge abfuerat: „ vacabat divinis laudibus, necessitatibus conflictatos sublevabat, suæ sententiæ adver- „ sarios æquo animo andiebat, & quod maximum est, bis qualibet hebdomada ve- „ speri proclamari jubebat, ne quis in suo Palatio cubaret, qui alienam mulierem „ attigisset „. Hæc Græcus auctor de Principe, digno plane Imperio: cujus ve- stigiis utinam ceteri Latinorum institissent.

„ Ludovicus, Stephanus de Pertico, & quidam alii Barones
„ & milites, (quod non nisi sanguinearum lacrimarum effusio-
„ ne referre valeo) tanta obruti multitudine, non sine damno
„ tamen illorum, ab inimicis intercepti sunt. Nescimus reve-
„ ra,qui capti fuerint, qui occisi. Accepimus tamen ab explora-
„ toribus nostris certissimis & fama veridica, quod Dominus
„ meus Imperator sanus teneatur & vivus,qui ab eodem Johan-
„ nicio satis, ut asseritur, pro tempore honorabiliter procura-
„ tur, cum quibusdam aliis, quos tamen adhuc expresse nesci-
„ mus nominare. *Et post pauca*. Ecce tamen quod verebamur,
„ hoc accidit, & quod fama canebat publica, quoque per li-
„ teras ipsius Blachi confœderatione ipsius cum Turcis, & ce-
„ teris Crucis Christi inimicis continentes edocti fuimus, quas
„ etiam a nobis cum nunciis ipsius interceptas, Apostolatui
„ vestro in utraque lingua transmisimus.

De Balduino Imperatore a Joanne Bulgarorum & Blacorum Rege capto, Annales Flandriæ hæc produnt: „ Hadrianopo-
„ polis urbs Græcorum firmissima, neque Gallis, neque Ve-
„ netis parere in animum induxit. Eo Græci complures, odio
„ nominis Latini, refugerunt: accitaque in auxilium Vala-
„ chorum gente, (*ita vocat, quos supra ab aliis Blachos appel-*
„ *latos audivimus*,) tenere urbem contra nostros obstinatissi-
„ mis perseverabant animis: eam enim civitatem Balduinus
„ dum obsidet, commisso prælio, interceptus ne, an occi-
„ sus, parum constat: nunquam posthac est inventus. Sunt
„ qui ab Joanne Valacorm Rege captum, ac clam decollatum
„ constanter tradant. Baptista tamen Egnatius fatali refert de-
„ cessisse morte, Imperio fratri per manus tradito „. Geor-
gius Acropolita ex editione Allatii num. XIII. pag. 114. „ Hic
„ (Joannes Asanis & Petri frater) multa in Romanos (*idest Græ-*
„ *cos*) mala ingessit, & in Italos etiam ipsos. Erat enim, quum
„ Constantinopolis direpta est, Bulgarorum Rex. Quando
„ itaque Itali universam Macedoniam subegerunt, res eorum
„ qui primus Constantinopoli Imperium tenuit, regie admini-
„ strante Balduino, pro deditione Adrianopolitas sollicitant:
„ nam Rex Bulgarorum Joannes, magna Romanorum clade
„ prædaque ditatus, Philippopolim præripuerat. Quum Ita-
„ lorum jugum Adrianopolitæ detrectassent, Itali in ejus co-
„ pias

,, pias educunt. Quare Adrianopolitæ in angustias adducti,
,, ad Regem Bulgarorum Joannem, ut suppetias ferret, vi-
,, ros delegant. Postulatis ille oblectatus, sociosque sibi Scy-
,, thas (*a*) adsciscens, ex insidiis Latinos opprimere statuit.
,, Ipse quidem longe Adrianopoli aberat; Scythas vero in Ita-
,, los mittit. Italis in more est, equis ferocitate exultantibus
,, vehi, munirique armis circumquaque toto corpore. Verum
,, Scythæ quum levius armentur, liberius adversarios impe-
,, tunt. Illud ignorantes Itali a Scythis dolis opprimuntur, ut
,, & ipse Balduinus captus sit, vinculisque obstrictus, ad Bul-
,, garorum Regem Joannem adductus, illius caput, orna-
,, mentis undique circumseptum, poculi loco Barbaro inser-
,, viisse fama est. Adrianopolitæ non statim rem perceperant:
,, nam castris adsultassent Italorum, ac bona diripuissent. Re-
,, liquiæ utcumque Italorum, in tentoriis clarissimis luminibus
,, accensis, media nocte, pedem Constantinopolim referunt.
,, Eo mane cognito ab Adrianopolitanis, quæ in tentoriis re-
,, manserant, prædatum itum est. Rex Bulgarorum Joannes
,, Adrianopolitarum promissionibus fretus, urbem sibi subjice-
,, re avens, iter arripit. Illi se dedere recusarunt. Sic ille in-
,, dignatus ad eos obsidendum animum advertit. Verum in
,, apparandis obsidionibus Bulgari omnino inepti sunt. Propter-
,, ea inde discedens, Italis penitus debellatis, universam Ma-
,, doniam excurrit, prædaque ingenti locupletatur, urbes
,, cum ipsis habitatoribus spolians, funditusque evertens; ut
,, nunquam Romani respirare possent. Namque a fundamen-
,, tis Philippopolim, deinde Heracleam, Panium, Rhæde-
,, stum, Chariupolim, Trajanopolim, Macram, Claudio-
,, polim,

---

a Quinam *Scytharum* nomine hic designentur, recte exponit Cangius not. in lib. 1. cap. 2. Nicephori Gregoræ. ,, Quos Scythas (inquit) Nicetas & Gregoras, ,, hos Comanos vocat Villharduinus. Ubi vero habitarint Scythæ Comani, expo- ,, nit idem Gregoras lib. 1. cap. 5. num. 2. ,, Hi vero Hunni & Comani vocabantur. ,, erant etiam qui eos Scythas nominarent. Ii gravi & intolerabili Scytharum (*Tartaro-* ,, *rum scilicet sub Ginchiscano militantium*) impressione territi, mutandas sibi sedes ,, censuerunt... Unde & hi Scythici belli successu desperato pellibus palea plenis ,, pro ratibus usi, cum uxoribus & liberis Istrum transierunt, & satis longo tem- ,, pore in Thracia oberrarunt, idoneam sibi coloniam quæritantes: decem millibus ,, haud pauciores. Sed priusquam vagandi finem fecissent, Imperator Joannes ma- ,, gnificis muneribus aliisque beneficiis eos sibi adjungit, & ipsos etiam in Romanas ,, legiones refert, alias aliis sedes partitus, quibusdam in Thracia, & Macedonia, ,, quibusdam in Asia ad Mæandrum, & apud Phrygiam,,. De Joanne Duca loquitur.

„ polim, Mosynopolim, Peritheorium, aliasque quas enumerare operæ pretium non est. Multitudinem abigens circa „ Istri fluenta collocat, & ex jam direptis oppidis & urbibus „ nomina propriis coloniis imponit; damna, ut ipse dictitabat, compensans, quibus Imperator Basilius Bulgaros afflixerat, eumque fatebatur dici, Βυλγαροκτόνον, *Bulgaroctonum*, se vero Ῥωμαιοκτόνον, *Romæoctonum*, indigitabat. „ Is usque Thessalonicam perveniens, laterali morbo vitam „ finiit; vel, ut alii afferebant, ira Numinis, morte multatus est. Somniavit enim ab armato sibi adstante, hasta latus „ confodi: propterea a cane illi nomen impositum est, & „ pro *Calojoanne*, *Scylo-Joannes* ab omnibus compellabatur. „ Quum enim Scythas sibi devinxisset, affinitate cum illis „ contracta, ut mores sibi vindicaret immaniores, cædibus „ Romanorum admodum delectabatur „. Hactenus Acropolita, rumorem vulgi, ut puto, secutus, dum Balduini Imperatoris capti cæsique caput, poculi loco inserviisse Joanni Regi scribit. Nimirum ad Joannem hunc Bulgariæ Regem Balduinumque Latinorum Imperatorem ea traducit, quæ de Crumo Bulgarorum Rege narrantur apud Cangium cap. 6. in Famil. Dalmat. num. XII. pag. 309. „ Crumus Nicephori Imperatoris caput a cætero avulsum corpore suspendit, facto „ deinde ex ejus calvaria poculo, argento circumvestito, quo „ Bulgarici deinceps Reges in solemnioribus epulis utebantur. Nicephorus Gregoras lib. I. cap. 2. rem gestam sic refert. „ Ac „ illo quidem anno (1204.) res Latinorum secundo cursu processerunt. At vero in annum sequentem somniabant se „ Orientem ipsum invasuros, & omnia illis in potestatem suam „ reducturos, adeo ut nulla Romanis (*Græcis*) Imperii recuperandi spes relinqueretur. Itaque vero appetente, Latinorum copiæ in Orientem trajicere unacum ipso Balduino „ parabant. Ac forsitan trajecissent, & Romanorum reliquias „ internecione delevissent, nisi de repente veluti magni tonitrus fragor, Bulgarici motus terror impetum illorum retardasset. Nam primi Asanis frater & successor Joannes, delectu ex omnibus Bulgaris habito, & non parvis Scytharum „ (*a*) copiis, qui Boreales Istri partes accolunt, conductis, „ occa-

a *Comanorum* scilicet.

,, occasionem sibi oblatam ratus est, Thracios pagos & urbes ,, opprimendi, re Romana vehementer turbata & afflicta, ,, Latinis autem rebus gravioribus distractis. Unde necessitate ,, coacti, suas omnes copias revocare decreverunt Balduinus ,, & qui cum eo partiti erant Imperium, ac usque ad Orestia- ,, dis planitiem celeriter progredi. Quo facto, exercitus il- ,, lustri pugna conflixerant, & multa utrinque strages edita ,, est, omnibus fortiter longo temporis spatio dimicantibus, ,, donec tandem Bulgari cesserunt, haud scio an quod Latino- ,, rum gravem armaturam sustinere non possent, an vero quod ,, de industria illos in insidias pertrahere vellent: id quod pro- ,, babilius est. Nam quum eos Latini longissime persecuti es- ,, sent, Scythæ ex insidiis consurgunt: & Bulgari velut ex ,, composito conversi, hostes præter omnem expectationem ,, circumventos sagittis & jaculis strenue confixerunt: & terra ,, sanguine & cadaveribus repleta, ingentem Latinorum stra- ,, gem ediderunt: qui ob pondus armorum, continentes Scy- ,, tharum incursiones & circuitus, & expeditissimas incursio- ,, nes tolerare non poterant. Nonnullos etiam vivos ceperunt: ,, inter quos & Balduinus fuit: nam Ludovicus Comes Blesen- ,, sis in acie ceciderat. Venetiarum vero Dux (*a*) Henricus ,, Dandulus cum perpaucis fuga elapsus, non multo post ex

,, acce-

---

a Cangius not. in hunc Gregoræ locum: ,, Atqui Henricus Dandulus commis- ,, so cum Bulgaris prælio non interfuit, quod scribit Nicetas; neque proinde ex ,, acceptis in eo vulneribus interiit, quod Gregoras tradit. Rectius Acropolita ,, num. XIII. qui τὸν τόπον τῆ Δουκὸς ἐπέχοντα Βενετίας ἐν τῇ Κωνσταντινουπόλει inter- ,, fuisse duntaxat observat ,,. Hæc tamen Acropolitæ verba num. XIII. ,, Quum ,, Italorum jugum Adrianopolitæ detrectassent, Itali in eos copias, quibus Baldui- ,, nus Imperator, & vices Ducis Venetiarum Byzantii gerens, præsto aderant, edu- ,, cunt ,,: hæc, inquam, verba, *& Vices Ducis Venetiarum Byzantii gerens*, desunt in editione Allatiana: habentur duntaxat in altera, quam Theodorus Douza curaverat. Nicetas vero in Balduino num. 4. disertim scribit: ,, Imperator vero ,, Balduinus mense Martio egreditur, & Plex Comes Doloicus (*idest Ludovicus ,, Blesensis Comes*) & post eos Ericus Dandulus Venetiarum Dux cum suis quisque le- ,, gionibus & vallo extra teli jactum ad Adrianopolim communito, postridie copias ,, ad mœnia adducunt, & machinas erigunt. *& mox de exitu ejus prælii, nulla ,, accepti a Dandulo vulneris facta mentione*: Ceciderunt igitur omnes lectissimi La- ,, tinorum equites & hastis vibrandis celebres. Cadit & Plex comes Doloicus. Bal- ,, duinus vero capitur, & vivus in Mysiam abducitur: atque inde Ternobum per- ,, ductus, & in carcerem conjectus, vinculis usque ad collum oneratur. Principa- ,, le vero & callidissimum malum, & omnium Romanorum cladium primus auctor ,, Venetiæ Dux Dandulus, qui extremum agmen claudebat, clade exercitus ex fu- ,, gientibus cognita, statim conversis frænis in castra properat: & ut nox superve-

,, nit

„ acceptis in pugna vulneribus deceſſit. Bulgarorum vero Scytharumque multitudo, Latinorum opulentia guſtata, equiſque & curribus ſplendidis potiti, alacriter ad ulteriora pergebant, reſiſtente nemine. Quare Thraciarum urbium aliæ ad Joannem ſe conferebant: pleræque vero vi expugnatæ & direptæ ſunt, mœnibus ſolo æquatis. Sic Joannes omnia facile Theſſalonicam & in Macedoniam uſque pervagatus, pagos, oppida, caſtella, propemodum Scytharum, quod ajunt, ſolitudinem effecit „. Cauſam belli Bulgarici, in quo captus fuit Balduinus, Latinos ipſos dediſſe, teſtatur Nicetas Choniate, qui tunc temporis vivebat. Sic enim ſcribit in Balduino núm. 4. „ Romani autem (*ideſt Græci*) qui cum Imperatore (*Alexio*) aufugerant, (quorum plerique nobiles, bello non obſcuri, & Thraciis urbibus orti erant) cum Marchione (*Montisferati Bonifacio*) degere, eique pro virili operam navare voluerunt. Ab eo vero dimiſſi (negabat enim ſibiRomanis militibus opus eſſe) eadem de re Balduino Imperatori ſupplicarunt. Ibi quoque repulſam quum tuliſſent, ad Joannem ſe conferunt, qui in monte Hæmo natus & educatus, fere omnem Romanam ditionem, qua Occidentem ſpectat, bellis vaſtabat & delebat, Scythicis incurſionibus deſolabat, & multiplici vexatione couterebat. Is quia Latinorum ferociam ſuſpectam habebat, eorumque haſtam & flammeam romphæam reformidabat, libenter eos ſuſcepit. Qua de cauſa quum legatos de amicitia ineunda ad Latinos miſiſſet, per literas cum eis, non ut Rex cum amicis, ſed ut ſervus cum Dominis colloqui jubebatur: alioqui ſe arma illi illaturos, & Myſiam facile vaſtaturos, quam contra officium & per ſeditionem, ſpretis Romanis, occupaſſet, eumque ad priſtinam fortunam redacturos. Proinde Romanos ad ſe profugos Joannes in patriam quemque ſuam abire jubet: & callidis aggreſſionibus Latinis nocere quantum poſſint, donec ipſe fortunis illorum conſulat. Igi-
„ tur

„ nit (nam prælium ſub veſperam eſt commiſſum (lumina in tentoria inferri, & plurimas pyras incendi jubet, ut Romani putarent, non omnem exercitum periiſſe, aut ſe pugnam detrectare. Circa primam noctis vigiliam, maritimam Rædeſtum, cum Erico Balduini fratre, modo Adramyttio cum Trojanis Armeniis reverſo, qui ſub eo militabant, congreſſus, Byzantium rediit, inteſtinis fuga tot paraſangarum ruptis & ſcroto in immenſum tumefacto.

„ tur ad sua reversi, Macedonum & Thracum urbes, Blachis
„ adjutantibus, ad defectionem impellunt: unde plurimi
„ Latinorum, quibus eæ urbes obvenerant, jugulantur: alii
„ Byzantium extorres redeunt: occiduntur & ii, qui Didy-
„ motichi erant: & qui Orestiadem tenebant, ejiciuntur. Id fa-
„ cinus Orientem, Latinorum bello præter expectationem li-
„ berat, ad Occidentem redeuntium: & eos etiam, qui Græciam
„ & Peloponnesum occuparant, repressa superbia paulo mode-
„ stiores facit: & ut ea, quæ hinc acciderunt, ordine refera-
„ mus: Romani qui Adrianopolim & Didymotichum tene-
„ bant, non parvis Blachorum freti auxiliis, ibi manebant.
„ Joannes vero, qui suas copias & auxilia Scytharum pene
„ majora numero adducebat, operam dabat, ut Latinos late-
„ ret. Ut autem motum Romanorum Balduinus, & reliqui
„ tres Duces audiverunt (nam Comes S. Pauli defunctus, in
„ Manganio Monasterio & Sclerænæ Augustæ monumento se-
„ pultus erat) statim exercitum mittunt contra urbes quæ de-
„ fecerant „. Cetera de commisso cum Bulgaris & Scythis
prælio, ut supra ad oram descripsi: cujus prælii epocham idem
Nicetas hanc notat: Imperatrix urbs (Constantinopolis) XII.
„ die Aprilis Indictione VII. anni 6812. (*Chr.* 1204.) a La-
„ tinis capta est: decimoquinto die ejusdem mensis, octava
„ Indictione (*anno Chr.* 1205.) Latini a Scythis victi sunt „.
& addit: „ Sed quid secutum est? Aliud flagellum atrocissi-
„ mum & calamitosissimum emicuit. Nam Joannes Mysus,
„ idem Romanorum (*Græcorum*) hostis & vindex, oppida
„ Byzantio vicina Latinis tributaria, Scythis diripienda con-
„ cedit. Ibi novum & inusitatum malum quod omne divinitus
„ inflictum supplicium superat, erat cernere, terram ean-
„ dem, eandem gentem, bini populi infestabant, alias utri-
„ que, alias alternis irruentes. Nam & Scythæ obvia quæque
„ vastabant, & aliquot forma excellentes captivos, post flagra
„ suspensos suis dæmonibus immolabant: & Latini, Romano-
„ rum defectione & Scytharum de se victoria inflammati, ni-
„ hilo secius in nostros (*Græcos*) ferro & igni grassabantur.
„ *& mox*. At Joannes Thraciis urbibus non immoratus, Thes-
„ salonicam properat, ut suo arbitratu provinciam illam con-
„ stitueret, & urbes a Latinis avulsas sibi vendicaret „. Ni-
mirum,

mirum, quia (*a*) ab Adrianopolitis, quos a Latinorum obsidione, ab ipsis evocatus, eripuerat, repulsam passus esset, in Græcos æque ac in Latinos ferro & igni grassabatur. Demum Balduini mortem Nicetas num. 10. sic accidisse perhibet.
„ Cæterum Balduini mors ita contigit. Scythico bello captus,
„ & vinculis, ut dixi, oneratus, longo tempore Ternobi
„ fuit. Quum autem Aspietes ad Latinos defecisset, Joannes
„ ira æstuans, & dolore in dies ingravescente pene in rabiem
„ actus, Balduino educto e carcere, pedes a genibus, & manus a brachiis Teuedia plane securi amputari, deinde ipsum
„ in vallem præcipitari jubet: ubi tertio demum die esca volucrum miserabiliter exspiravit. Neque vero hunc solum,
„ sed Romanos etiam captivos eadem crudelitate interfecit,
„ omni voce & supplice gestu repudiato.

XXV. Innoc. III. Papæ epistolæ ad Regem & Patriarcham Bulgarorum, pro liberando Balduino, & pace Latinos inter & Bulgaros concilianda.

Pergunt Gesta Innocentii Papæ num. CVII. de adhibitis ab eodem Pontifice studiis pro liberando Balduino, & pro pace Latinos inter & Joannem Bulgariæ Regem concilianda.
„ Eorum [Latinorum] igitur infortuniis Dominus Papa compatiens, pro liberatione Imperatoris nuncium specialem ad
„ præfatum Johannicium cum his (*b*) literis destinavit „. Ex
„ illa gratia speciali, qua Te glorificavimus inter omnes Principes Christianos, usque adeo Te diligimus, ut ad tuum
„ commodum & honorem efficaciter aspiremus, pro certo
„ sperantes, quod Tu in devotione sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ matris tuæ proficere debes incessanter, per cujus merita gloriosum acquisivisti triumphum adversus eos, qui Te
„ nitebantur graviter molestare. Quum igitur Regium diadema & militare vexillum a nobis per Legatum Apostolicæ Sedis acceperis, ut Regnum tuum B. Petri sit speciale, provi-
„ dere

a Nicetas num. 7. Hoc autem rerum Orientalium statu, Joannes Mysus Philippopolim capit, diripit, evertit, cives plerosque obtruncat: cujus urbis jam olim per insidias expugnandæ occasionem captarat, habitatoribus infensissimus, quod deditionem sibi non fecissent, & ut Regi parere detrectassent, sed ut virum sanguinarium aversati essent; tum vero illud ejus iracundiam exasperarat, & barbaricam feritatem auxerat, quod Alexium Aspietem recepissent, eique ut Duci paruissent; se vero cum exercitu invadentem sæpe repulissent. Et post pauca. Nec multum temporis intercessit, quum Joannes Mysiæ rebus constitutis, & desertoribus gravibus suppliciis & novo mortis genere affectis, irato & cædem spirante vultu, Romanis bellum inferre statuit, quorum sibi dolos, fraudes, perfidiam, summam levitatem diutius ferendas esse negabat.

b Lib. 8. epist. 127.

„ dere volumus diligenter, ut ab hostium undique liberatus „ incursibus, tranquilla pace læteris. Noveris ergo, fili carissime, quod ingens exercitus de Occidentalibus partibus est „ in Græciam profecturus, præter illum qui nuper accessit. „ Unde Tibi, & Terræ tuæ debes summopere providere, ut „ dum potes, pacem ineas cum Latinis; ne si forte ipsi ex una „ parte, & Ungari ex altera Te studuerint impugnare, non „ facile possis resistere conatibus utrorumque. Quocirca Serenitati Tuæ suggerimus & consulimus fide recta, quatenus „ quum Balduinum Constantinopolitanum Imperatorem dicaris tenere captivum, ita Tibi provideas, ut per liberationem ipsius, veram & firmam pacem facias cum Latinis, ut „ ab impugnatione Tua & terræ tuæ penitus conquiescant. „ Nos enim Henrico fratri ejusdem Imperatoris, qui Constantinopoli præest exercitui Latinorum, per Apostolica scripta „ mandamus, ut ad pacem tuam pro liberatione ipsius Imperatoris Latinos inclinet, & a tua molestatione cesset omnino „. Subjungitur in Regesto Innoc. III. „ Scriptum est... „ [Basilio] Trinovitano Archiepiscopo Bulgarorum & Blachorum Primati, ut eum ad hoc diligenter moneat & inducat „. Extant etiam ejusdem Papæ ad Henricum Balduini fratrem (a) literæ. „ Nobilitati tuæ [inquit] per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad liberationem fratris tui diligenter intendens, veram & firmam pacem stabilias cum charissimo „ in Christo filio nostro Calojohanne Rege Bulgarorum & Blacorum illustri, ut inter Bulgaros & Latinos fidelis & stabilis „ amicitia de cætero perseveret. Breviter scribimus, quia „ opus est magis opere, quam sermone. Multum enim utrique poterit esse amicitia fructuosa „. Addunt Gesta numer. CVIII. „ Præfatus vero Johannicius sive Calojohannes „ Rex Bulgarorum & Blacorum respondit, quod ipse audita „ captione Regiæ civitatis, miserat nuncios & literas ad Latinos, ut cum eis pacem haberet; sed ipsi ei superbissime responderunt, dicentes, quod pacem non haberent cum illo, „ nisi redderet terram ad Constantinopolitanum Imperium „ pertinentem, quam ipse invaserat violenter. Quibus ipse respondit, quod terra illa justius possidebatur ab ipso, quam „ Con-

a Lib. 8. epist. 132.

„ Constantinopolis possideretur ab illis. Nam ipse recuperaverat terram, quam Progenitores ejus amiserant: sed ipsi Constantinopolim occupaverant, quæ ad eos minime pertinebat. Ipse præterea coronam Regni legitime receperat a Summo Pontifice; sed ipse, qui se appellabat Constantinopolitanum Basileum, coronam Imperii temere usurpaverat a seipso. Quare potius ad ipsum, quam ad illum, Imperium pertinebat. Ideoque sub uno vexillo, quod a B. Petro receperat ejus clavibus insignito, pugnaret fiducialiter contra illos, qui falsas cruces suis humeris præferebant. Provocatus igitur a Latinis, compulsus fuit, ut defenderet se ab illis; deditque sibi victoriam insperatam Deus, qui superbis resistit, humilibus autem dat gratiam, ipsamque victoriam B. Petro Apostolorum Principi ascribebat. Dictum autem Imperatorem ad consilium suum, & mandatum Summi Pontificis liberare non poterat, quia debitum carnis exsolverat, quum in carcere teneretur „. Itaque, licet laudati Græci Scriptores morte violenta sublatum Balduinum arbitrati sint, secus tamen accidisse, præter Baptistæ Ignatii antiqui Scriptoris citatum in Annalibus Flandriæ testimonium, perspicuum facit Johannis Regis ad Innocentium Papam epistola. Nam Græci, & Latini ejus temporis, utpote Bulgaris Blachisque infensi, id de Balduino ab Johanne suppliciis affecto videntur in odium ipsius Joannis prodidisse. Certe Andreas (a) Dandulus in Chronico lib. 10. cap. 2. Par. 43. nihil horum de cæde Balduini tradit, sic scribens: „ Rex Blacorum (b) & Rex Bulgarorum cum Græcis, ac Turcis & (c) Cumanis, cum Latinis congressi, eos vincunt, peremptis majoribus. Imperator enim Balduinus Andrinopolim a Constantinopoli quinque distantem diætis obsederat, quæ in partem Venetorum cesserat, & rebellaverat; & quum habituri essent in proximo civitatem, audiens Imperator Comitis Ludovici & aliorum repentinum insultum post Blachos (d) & *Cumanos*, quo-

„ rum

a Murator. scriptor. Rer. Ital. Tom. 12. pagin. 332. Cod. MSS. Vatic. 5842. fol. 149. pag. 2.

b Non duo Reges, sed unus idemque & Blacorum & Bulgarorum.

c Apud. Murat. perperam, *Cimianis*.

d Murat. perperam, *post Blachos Cimianos, quorum ad Benchas quatuor millium multitudo insidiis stabat*.

„ rum ad leucas quatuor multitudo in insidiis stabat, quum „ eos secutus fuisset, trucidato Ludovico cum aliis, Imperator „ nunquam comparuit: & paucis Constantinopolim redeuntibus, „ multitudo maritima Venetorum, ad urbem vocatam „ Rodosto, faticata pervenit, & inde Constantinopolim.

XXVI. Archiepiscoporum Achridæ series usque ad Demetriū, qui anno 1222. Theodorum Angelum Comnenum Thessalonicæ Imp. coronavit.

A Rege ad Archiepiscopum Bulgarorum regredior. Ex Cangio in Familiis Augustis cap. 28. pag. 174. edit. Reg. Catalogum Archiepiscoporum Bulgariæ Tom. 3. pag. 143. descripsi nomina septem priorum, ut ibi dicitur, Archiepiscoporum. Ibidem pagin. 157. & seq. demonstravi, *Davidem*, qui anno 1015. & 1019. Bulgaris præerat, *Germanum* & *Philippum* antecessisse. Nunc de iis est differendum, qui Germano & Philippo successisse perhibentur. Primus occurit *Joannes*, de quo in Catalogo. Ι᾿ωάννης καὶ αὐτὸς ἐν λυχνίδῃ. οὗτος ἦν ἐκ Δεύρης Χωρίου Α᾿γνοανδίκης, Χρηματίσας τῆς ἐκεῖσε μονῆς τῆς θεομήτορος: „ Joannes, qui & ipse in Lychnide sedebat. Ex Deure Vico „ Agnoandices, præpositus Monasterii Dei genitricis, quod „ illic exstat „. Sequitur *Leo*. Λέων πρῶτος ἐκ Ρ᾿ωμαίων, χαρτοφύλαξ τῆς μεγάλης ἐκκλησίας, ὁ κτίσας τὴν κάτω ἐκκλησίαν ἐπ' ὀνόματι τῆς ἁγίας Σοφίας. „ Leo (*a*) qui primus ex Ro- „ mæis assumtus est, Chartophylax magnæ Ecclesiæ. Is Ec- „ clesiam inferiorem construxit, imposito illi sanctæ Sophiæ „ nomine „. Hunc Leonem sub Theodora Porphyrogenita interiisse, eique *Theodulum* successisse, Joannes Scylitzes Curopalates tradit fol. 123. his verbis: „ Quin etiam Leone Bul- „ garorum Episcopo vita functo, in ejus locum [*Theodora* „ *Augusta*] creavit Theodulum Monachum, ab Iconio urbe „ Tetrapoli profectum, sed Monasterii magni Martyris sancti „ Mocii tunc forte Antistitem, externæ sapientiæ prorsus ex- „ pertem, sed divinæ peritissimum, adeoque gratiis virtuti- „ busque ornatissimum „. Ac propterea inter annum 1054.

 & 1056.

a Notissimus est hic Leo, Achridæ Archiepiscopus, qui sub Constantino Monomacho & Michaele Cerulario Patriarcha, Constantinopoli agens, calamum in Romanam Ecclesiam virulentiæ plenum strinxit. Exstant ejus epistolæ tres de Azymis & Sabbatis adversus Latinos. Scripsit prætetea acertimam adversus Latinos epistolam ad Jo: Tranensem in Apulia Episcopum. Demum capita L. de tentationibus & afflictionibus involuntariis, earumque utilitate. Vide Caveum hist. Liter. edit. Colon. Allobrog. 1720. pag. 526. Baron. ad ann. 1053. & Allatium de concordia lib. 3. capit. 24. §. 4.

& 1056. quo temporis ſpatio Theodora imperavit. De Theodulo Catalogus: Θεόδυλος ἡγύμενος τῦ ἁγίυ Μοκίζυ, ὁ κτίσας τὴν ἄνωθεν μεγάλην ἐκκλησίαν διὰ Ἰωάννυ τῦ Ἀντζω: „ Theodulus S. Mocizi [*ſic Bulgarice*] Præpoſitus, qui magnam in „ ſuperiori parte Eccleſiam erexit, ſubſidiis Joannis Antzo „. Idem Scylitzes de Theoduli ſucceſſore Joanne fol. 132. p. 2., in Conſtantino Duca: „ Quin etiam vita functo Theodulo „ Bulgariæ Archiepiſcopo, deligit Imperator Joannem quemdam Monachum e Lampo profectum, collegam & ſocium „ laboris Xiphilini „: ideſt Joannis Xiphilini, qui Conſtantinum Lichudem Michaëlis Cerularii depoſiti ſucceſſorem excepit an. 1064. quo circiter anno etiam Joannem Bulgariæ inſtitutum Archiepiſcopum inſinuat l.c. Scylitzes. Catalogus: Ἰωάννης ὁ λαμπηνὸς μοναχὸς τῦ ὄρυς τῦ ὀλύμπυ: *Joannes Lampenus, Monachus montis Olympi*. In eodem quippe Olympo monte Joannes quoque Xiphilinus tempore haud exiguo Monaſticam vitam duxerat, teſte Scylitze: qui in hiſtoriarum ſuarum fine alterum Joannem Bulgaris præfuiſſe ſcribit: „ Vita functo Joanne „ [*Lampeno ſcilicet*] Bulgariæ Archiepiſcopo, in tranſitu Baſilacii, alium in ejus locum Imperator (*Nicephorus Botaniates*) declaravit, Joannem itidem nomine, qui Ἄοινος, „ ideſt Abſtemius, vocatur, quod numquam vinum guſtaret „. Sic perinde in Catalogo: Ἰωάννης ὁ ἄοινος ἡγύμενος μονῆς τῦ Ἀπριτζίυ, *Joannes Abſtemius, Monaſterio Apritzii præpoſitus*. In eodem Catalogo ſequitur: Θεοφύλακτος, ὁ ἐξ Εὐρίπυ, ὁ ῥήτωρ ὢν καὶ Διάκονος τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας, *Theophylactus ex Euripo, qui Rhetor, & magnæ Eccleſiæ Diaconus erat*. In vivis erat poſt annum 1081. nam, præter ejus Commentaria in IV. Evangelia, in Acta Apoſtolorum, in epiſtolas S. Pauli, in Prophetas minores, & præter epiſtolas 75. & alia opuſcula a Caveo enumerata ad ann. 1077. pag. 536., *Alexium Comnenum* Imperatorem oratione celebravit, teſte Quieno in Orient. Chriſt. tom. 2. pag. 293. Atqui Alexius Comnenus non ante annum 1081. Imperium iniit. In ſexta ipſius epiſtola, teſtatur ſe Achridæ agere, ita tamen ut identidem in urbem Regiam abiret. Argumenta adverſus Latinos de Proceſſione Spiritus Sancti, habentur apud Jo: Beccum orat. de unione Eccleſiarum, Græciæ Orthodoxæ Tom. I. pag. 215.

Ex

Ex Catalogo, Theophylacto successit, λέων ὁ Μούγγος, ὁ ἐξ Ἰουδαίων ὢν προγόνων, χρηματίσας διδάσκαλος τῶν ἐθνῶν, *Leo Mungus, qui ex Judæis procreatus, Magistri gentium officio fungebatur*. Dositheus Hierosolymitanus lib. 3. de Patriarchis Hierosolymitanis cap. 2. §. 4. ex Georgio Acropolita Logotheta refert, ab hoc Leone Bulgariæ Archiepiscopo, τὸν κολόχειρον Ἰωάννην Διάκονον ὄντα, τῷ Σαββάτῳ ἐχειροτόνησεν ἱερέα, καὶ τῇ ἑξῆς κυριακῇ ἐπίσκοπον Γρεβενῶ „ Joannem Coptocheirum (idest, manu truncatum) qui Diaconus esset, Sabbato Presbyterum esse ordinatum, & insequenti Dominica die Episcopum Grebeni „. Leonem sequitur in Catalogo Michaël, cognomento Maximus, qui inter Patriarchales præfectos Ostiarius erat, & magnæ Ecclesiæ Diaconus eunuchus. Μιχαὴλ, ὁ ἐπικλὴν Μάξιμος, ὀστιάριος ὢν ἐν τοῖς πατριαρχικοῖς ἄρχουσι, καὶ Διάκονος ὢν τῆς μεγάλης Ἐκκλησίας, εὐνοῦχος. Demum in illo Catalogo legitur post Maximum: Ἰωάννης μοναχὸς ὁ Κομνηνὸς, ὁ ἐν τοῖς κοσμικοῖς Ἀδριανὸς, πανσέβαστος σέβαστος, καὶ υἱὸς τοῦ ἀοιδίμου δεσπότου τοῦ πανευτυχεστάτου πρωτοσεβαστοκράτορος κυρίου Ἰσαακίου τοῦ Κομνηνοῦ, τοῦ αὐταδέλφου τοῦ Βασιλέως τοῦ κυρίου Ἀλεξίου τοῦ Κομνηνοῦ καὶ τῆς ἀοιδίμου δεσποίνης τῆς πανευτυχεστάτης πρωτοσεβαστοκρατορίσσης κυρᾶς Εἰρήνης, τῆς διὰ τοῦ θείου καὶ ἀγγελικοῦ σχήματος Ξένης μετονομασθείσης, τῆς θυγατρὸς τοῦ πανευγενεστάτου ἐξουσιοκράτορος πάσης Ἀλανίας, καὶ πρώτης ἐξαδέλφης τῆς δεσποίνης κυρᾶς Μαρίας Ἀλανίσσης, τῆς χρηματισάσης συμβίου τοῦ Βασιλέως Μιχαὴλ τοῦ Δούκα, καὶ τοῦ Βασιλέως κυροῦ Νικηφόρου τοῦ Βοτανειάτου: „ Joannes Comnenus Monachus, qui in seculo Adrianus dicebatur, „ augustissimus Sebastus & filius illustris Despœtæ fortunatissimi Protosebastocratoris Isaacii Comneni, germani fratris „ Domni Alexii Comneni, & illustrissimæ Despœnæ Irenes, „ quæ in divino & angelico habitu, mutato nomine, Xena „ est dicta, filiæ nobilissimi Principis Alaniæ, & natu majoris „ consobrinæ Despoenæ Domnæ Mariæ Alanæ, quæ uxor fuit „ Imperatoris Domni Michaëlis Ducæ, & Imperatoris Domni „ Nicephori Botaniatæ „. Hunc Joannem Comnenum Bulgariæ Archiepiscopum Dositheus Hierosolymitanus inter Scriptores Græcos, qui contra Latinos calamum strinxere, recenset.

Quis Joanni Comneno ſucceſſerit, non liquet. Manca enim videtur poſt ipſum Archiepiſcoporum Chronologia. Nam uſque ad annum Chr. 1183. nullus apud Byzantinos ſcriptores occurrit; præter Anonymum, de quo Nicetas in Alexio Manuelis filio num. 15. narrat, noluiſſe Theodoſium Patriarcham Conſtantinopolitanum approbare nuptias Irenes filiæ Andronici cum Alexio, ſed Pontificatum potius abdicaſſe; Bulgarorum vero Archiepiſcopum deſignatum eſſe, qui Connubio illi benediceret. *ὁ δ' Ἀνδρόνικος τὴν ὑποχώρησιν Θεοδοσίου κάλλιστον δεξίωμα τύχης ἡγησάμενος, ὡς παρὰ δόξαν ἅμα καὶ κατὰ γνώμην ἐκείνῳ γεγενημένην, τότε συνάλλαγμα ἐξεπέρανε τῶν γάμων, εὐλογητὴν ἀναδείξας τὸν Ἀρχιποιμένα τῶν Βουλγάρων, παρόντα θηνικαῦτα τῇ πόλει.* „ Andronicus vero, ut deſideratum, ita inopinatum Theodoſii diſceſſum inſtituto ſuo commodiſsimum ratus, nuptias perficit; Bulgarorum Archiepiſcopo, qui tum forte in urbe erat, ceremonias matrimonii peragente „. Huic Anonymo Quienus ſuffectum ſcribit num. xx. Conſtantinum, inquiens: „ e Quatuor illis, qui ſub Manuele Comneno Imp. Alamannos Conſtantinopoli degentes hæreſis ideo taxarunt, quod aſſererent, Chriſtum humanitatis aſſumptæ cauſa dixiſſe, *Pater major me eſt*, Conſtantinus Bulgariæ Archiepiſcopus fuit, Allatio teſte lib. 2. de Conſenſ. cap. 12. num. 4. ubi propter illos Synodum habitam eſſe narrat „. Verum allucinatur vir doctus. Aut enim idem ipſe eſt Conſtantinus Allatii, ac Anonymus Nicetæ; aut, ſi ab illo diverſus, eum certe non excepit, ſed anteceſſit. Verba Allatii recito, ex quibus conſtat, Conſtantinum anno Chr. 1166. in ea Synodo Alamannos damnaſſe; „ Sic etiam (inquit Allatius loc. cit.) Demetrius Lampenus, Joannes Corcyrenſis, Conſtantinus Bulgariæ, & Joannes Irenicus quum falſo Alemanos tamquam de natura divina male ſentientes, incuſarent, diſcuſſione cauſæ per ſex annos protracta, tandem congregata Synodo, ipſo Imperatore Alemanorum cauſam protegente, dignitatibs privati, in exilium miſsi ſunt. Rem fuſius proſequitur Jo: Cinnamus lib. vi. & Choniata. *& poſt pauca*. Synodus & conventu Principum, & Patriarcharum, Metropolitarum, Epiſcoporum & aliorum Eccleſiaſticorum numero ſpectatiſsima, anno xxiii.

„ no XXIII. Manuelis, ab orbe condito 6674. Christi nem- „ pe 1166. celebrata fuit „. Adeoque annis septemdecim, ante Theodosii Patriarchæ Constantinopolitani abdicationem,& ante benedictas ab Anonymo illo Bulgariæ Archiepiscopo nuptias. Is igitur, qui Anonymo huic successit, haud dubium, quin fuerit *Joannes Camaterus*, de quo Nicetas Choniates in Alexio Comneno Manuelis filio edit. Parif. pag. 176. in fine libri, narrata ejusdem Alexii cæde, cujus auctor fuerat Andronicus Comnenus, subjungit, cymbam, qua truncum defuncti cadaver in mare mergendum vehebatur, a duobus viris illustribus ductam fuisse, Theodoro scilicet Chumno Chartulario, & Joanne Camatero, qui postea Archiepiscopus Bulgariæ fuit: „ Cymba, qua miserrima illa sarcina vecta erat, a „ duobus claris viris cum carminibus & καὶ ᾠδῶν odis, Joanne „ Camatero Caniclæi præfecto, qui post Bulgariæ Archiepi- „ scopus (*a*) fuit, & a Chartulario Theodoro Chumno, est „ reducta „: *δηλαδὴ τῷ ἐπὶ τῶ Κανικλείε Ἰωάννῃ τῷ Καματηρῷ, ὃν καὶ ὕστερον ἀρχιποίμενα ἡ τῶν Βυλγάρων προεδρέυουσα ἔλαχε, καὶ Θεοδώρῳ τῷ χύμνῳ, ὃς πτίμητο χαρτυλάριος.*

XXVII. Exeilo anno 1204 Græcorum Constantinopolitano Imperio, quatuor Imperia erupere: Constantinopolitanum Latinorum, Trapezuntinum Davidum Comnenorum, Nicænum Lascarorum, & Thessalonicense Angelorum. Joannes Ducas, cognomento Batatzes, post Theodori Lascaris obitum, a Græco Patriarcha coronatur Imperator Nicææ: Theodorus Angelus Comnenus Thessalonicæ a Demetrio Archiep. Achridæ.

Joannem excepit *Demetrius*, qui *Theodorum fratrem Michaelis*, Epiri tum Domini, quum Latini anno 1204. Constantinopolim cepere, Imperatorem coronavit anno 1223. Quienus num. XXII. „ Theodorus Angelus Comnenus, oc- „ cupata Thessalonica, magnaque ditionis parte, quam Itali „ Bulgarique subegerant, Imperatoria insignia arripuit, relu- „ ctante sibi Thessalonicensi Archiepiscopo Constantino Meso- „ potamita; verum a Demetrio Bulgariæ Archiepiscopo, qui „ sui juris esset, neminique facti rationem reddere obno- „ xium se jactaret, adeoque suæ potestatis esse quoslibet ubi- „ cumque vel quandocumque Reges vel Imperatores ungere, „ Imperatorio diademate redimitus fuit. Id quod Georgius „ Acropolita num. XXI. his verbis refert. Comnenus interim „ Theodorus, cujus paulo ante (*b*) meminimus, proprium „ indi-

a Latinus interpres „ qui post Bulgariæ Patriarcha fuit „: minus recte.
b Nimirum num. XIV. ubi quum Michaëlem ipsius Theodori fratrem Epiro imperasse & partem aliquam Dominii Romani obtinuisse dixisset, subjungit de Theodoro

„ indignatus ordinem, & quæ ſunt Imperii occupans, poſt-
„ quam Theſſalonicam in poteſtatem recepit, non minimam
„ Romanæ ditionis partem, ex ea quæ ſuberat Italis, & a Bul-
„ garis intercipiebatur, ſibi vindicat, purpureaque chlamide
„ induitur, & rubris calceis conveſtitur, obluctante illi in hoc
„ quam ſtrenuiſſime Conſtantino Meſopotamita Metropolita
„ Theſſalonicenſi, quem diris malis & calamitoſis exiliis Ca-
„ nonica ſtatuta propugnantem inſectatus, miſere afflixit.
„ Sed Bulgariæ Archiepiſcopus (*a*) Demetrius, tamquam
„ qui, ut ipſe fatebatur, ſui juris eſſet, neminique ſui facti
„ rationem reddere teneretur, ideoque in ejus poteſtate eſſe,
„ quoslibet, & ubicumque, & quandocumque illi libitum
„ fuiſſet, Reges ungere, Regio eum diademate coronat.
„ Theodorus ergo Imperator acclamatus, uti Imperatoribus
„ moris eſt, res diſponebat, Deſpotas, Sebaſtocratores,
„ magnos Domeſticos, Protoveſtiarios creabat, & reliquum
„ univerſum Imperatorium ordinem pro nutu diſpenſabat.
„ Quum vero inepte circa Imperatoria jura ſtultus eſſet, Bulga-
„ rico, ſive potius barbarico more, neque ordinem ſervans ne-
„ que decorem, & ſiquæ alia ſunt in Imperatoria aula veneranda
„ decreta negligens, negotiis incumbebat. Hic non parum
„ Joanni Imperatori adverſabatur. Quare eum Imperator,
„ ut ſecundas Imperii ſibi haberet, ſuoque uteretur domi-
„ natu, in nullo ſibi obnoxius, concedebat; ipſe vero fir-
„ mius

doro poſt cædem Michaëlis. „ Quare Theodorus frater, in Dominatu ſecum habens
„ Conſtantinum & Manuelem fratres, ſuccedit. Quum vero ad Principatum in-
„ cumberet, Imperii ſui jura nimium extendit: namque ex Italis non parvam, ex
„ Bulgaris vero multam regionem ſuæ ditioni adjecit, ſibique Theſſaliam, Achri-
„ da, Prilapum, Albanum & Dyrrhachium ipſum ſubegit.

a Agit de Theodoro Angelo Comneno, Theſſalonicenſi Rege, & poſtmodum Imperatoris titulo ornato, Cangius in Famil. Auguſt. cap. 32 part. 2. de Angelorum ſtemmate, num. 1v. pag. 207. edit. Reg. ubi eum filium ait *Joannis Angeli*, Conſtantini Angeli ex Theodora Comnena filii tertii; quumque occupaſſet Theſſaliam, Achridam, Prilapum, Albaniam & Dyrrhachium, in urbe Theſſalonicenſi, quam anno 1222. Demetrio Monſerratenſi eripuerat, Imperatorem ſeſe appellaſſe; eoque nomine, ſcribit, illum diademate inſignitum fuiſſe a *Jacobo Achridenſi* Archiepiſcopo, Theſſalonicenſi id recuſante. Error manifeſtus in nomine *Jacobi Achridenſis*: Is enim fuit *Demetrius* Jacobi deceſſor, uti diſertim habet Acropolita. Cangius Pachymerium ſequutus eſt, qui pro Demetrio, Jacobi nomen obtruſit. Sed credendum potius Acropolitæ tamquam rerum per id tempus inter Græcos geſtarum magis perito. Vide Allat. de conſenſ. lib. 2. cap. 25. num. 4. & 5. ubi de Autocephalia Achridena & Trinovitana.

„ mius ac validius reluctabatur „. Capta a Latinis anno 1204. Constantinopoli, in varias Græcum Imperium scissum est Dynastias. *Theodorus Lascaris*, Alexii Angeli, cujus filiam duxerat, gener, Nicææ in Bithynia anno 1206. a suis Imperator proclamatus, & a Michaële Autoriano Patriarcha C. P. fuit coronatus die 20. Martii, Ind. IX. *David Comnenus* exercitu ex Paphlagonia & Pontica Heraclea conflato, & Iberum, qui ad Phasidem habitant, legione conducta, Trapezuntini Imperii initia fecit. *Theodorus* autem *Angelus Comnenus*, cujus modo mentionem faciebam, apud Thessalonicam ab Archiepiscopo Bulgarorum Demetrio Imperatoria ornamenta accepit. Ita quatuor Imperia ex collapso Orientali erupere (verba hæc sunt Raynaldi ad ann. 1222. n.25.) „ Constantinopolitanum Latinorum, Davidum Comnenorum Trapezuntinum, Lascarorum Nicænum, Thessalonicense Angelorum: quæ demum ob imbecillitatem funditus conciderunt, brevi autem istud postremum stetit „. Hoc vero anno 1222. cœpisse Imperium Thessalonicense, constat ex literis Honorii III. Papæ ad Tornacen. Episc. datis Anagniæ 11. Id. Mart. Pontificatus VI. in quibus de Demetrio Latinorum Thessalonicensi Rege: „ Quum „ charissimus (inquit) in Christo filius noster Demetrius Rex „ Thessalonicensis illustris in nostra constitutus præsentia sup„ plicarit instanter. *Cætera* „. Demetrio enim absente, Theodorus Thessalonicam occupavit, atque Imperialia insignia corripuit. Eodem anno 1222. defuncto Theodoro Lascari Nicæno Imperatore, quum (*a*) annos 18. regnasset, *Joannes Ducas*, cognomento Batazes, seu Vatacius, filiæ ipsius Theodori maritus, apud Græcos in Imperio successit, de quo Georgius Acropolita num. XVIII. „ Quod itaque ille (Theo„ dorus Lascaris) masculo filio, eoque pubere destitueretur, „ filiæ suæ maritus Imperii hæres fit. *Et num.* XIX. Quemad„ modum ergo dixi, post illius obitum, Romani Imperii gu„ bernacula Joannes Ducas, gener illius, suscipit, a Manue„ le Patriarcha, qui Maximo successerat, coronatus: nam„ que post Patriarchæ (*b*) Michaëlis excessum, Irenicus „ Theo-

a Initio nempe desumto ab anno 1204. quo Capta Constantinopoli, idem Theodorus Lascaris Nicæam obtinuit, non ante annum 1206. Imperator coronatus.

b *Michael* Autorianus, anno 1205. Patriarchatum abdicanti *Jo: Camatero* suffectus,

„ Theodorus, cui a plerisque Copæ nomen inditum fuerat, „ in Patriarcham eligitur: post annos sex eo demortuo, Ma- „ ximus Monachus Patriarchale solium ascendit, Gynecio „ palpans ac supparasitans, & viceversa ex eo assentationes & „ blanditias aucupans: neque enim aliud eum in tam sublime „ culmen evexerat, sed post menses sex moritur: & Manuel „ in Patriarchali solio collocatur, vere vir Philosophus, ut „ apparebat, & a multis eo nomine honestatus „. Nimirum emendanda est Joannis Alberti Fabricii Chronologia Patriarcharum Byzantinorum, qui in *Conspectu Chronologico historiæ Constantinopolitenæ* Tom. 6. Bibliothecæ Græcæ pag. 737. scribit sedisse *Michaelem* ab anno 1207. ad ann. 1214. *Theodorum Copam* post decem mensium vacationem a die 8. Sept. anni 1215. ad annum 1221. *Maximum* anno 1222. inauguratum, die 3. Junii, post sex menses, quum Joannem Ducam coronasset, obiisse: eique *Manuelem* exeunte anno 1222. successisse. Additque in margine: „ Ex inde apparet falli cl. Bandu- „ rium, quem alioqui in hac Chronologia libenter sequor, „ quum pag. 927. Maximum refert ad annum Christi 1215. Nam juxta Georgium Acropolitam, fallitur tum Bandurius, qui Maximum ad annum 1215. refert: tum etiam Fabricius, qui de Maximo sic scribit; „ Theodoro anno 1222. 3. Junii „ extincto succedit Maximus Acœmetarum Abbas, qui Joan- „ nem Ducam, teste Acropolita, coronavit, sed post sex „ menses mortuus, successorem habuit Manuelem Sarante- „ num Charitopulum, cognomento Philosophum „. Atqui clara sunt Acropolitæ verba, tam de antedictorum Patriarcharum successione, quam de Joannis Ducæ coronatione non a Maximo, sed a Manuele ejus successore peracta. Ut igitur ad Joannem Ducam anno 1222. coronatum Imperatorem redeam, is ægre ferebat, Theodorum Comnenum Imperialia (*a*) insignia

---

fectus, Theodorum Lascarim anno eodem Imperiali corona redimivit. *Theodorus* Irenicus, qui & Copas, defuncto post sex annos Michaëli, anno 1212. successit, post vacationem mensium decem. *Maximus* Theodorum excipiens, post menses sex moritur: cui *Manuel* anno circiter 1212. exeunte, aut ineunte 1213. successit. Hæc ex mente Georgii Acropolitæ: Alii aliter Chronologiam Patriarchalem eorum temporum scripto consignant. Vide Allatium de concordia lib. 2. cap. 14. num. 5. pag. 723.

a Nicephorus Gregoras id factum improbat, sic scribens l. 2. c. 2. n. 3. ex Allatii in-

ſignia aſſumſiſſe; eumque hortabatur, ut ſuo utens Theſſalonicenſi Regno, in nullo ſibi aut aliis obnoxius, non æqualem ſe ſibi diceret, ſed ſecundas Imperii haberet. „ Verum Theo„ dorus (ut ſcribit Acropolita num. XXIV.) vicinis omnibus „ potitus, præter Rhodopes montem, cui & Achrido nomen „ eſt,& in eo oppida,& Melenicum,quibus Sthlavus Aſani Re„ gis affinis & ab Imp. Conſtantinopolitano Erico, cujus filiam „ e pellice ſuſceptam, ſibi matrimonio junxerat, Deſpotæ „ munere decoratus, dominabatur. Sthlavus hic, ut feriem „ orationis paulum abrumpam, caſtro Melenico potitus, va„ lido illo quidem & hoſtibus inexpugnabili, ſuo ipſe jure „ utebatur, nemini vicinorum Principum obnoxius: quan„ doque enim Italis, affinitate cum eis coactus, auxilio erat; „ quandoque Bulgaris, generis fretus conjunctione; quan„ doque etiam Theodoro Comneno; nemini unquam ſe, ne„ que ſubdens, neque pacem conciliatam vere ſervans, ne„ que aſſenſus ſuſtinens; illi poſt elatam uxorem, Petraliphæ „ Theodori Comneni uxoris fratris filia nupſerat, de qua infra „ dicetur. Præter itaque urbes Sthlavo tributarias, reliqua „ omnia Theodoro Comneno ſubdebantur. Et quum Mo'y„ nupolis, Xanthia, Gratianus ſub eo eſſent, Stagiræ mon„ te quem Macrem vulgus nominat decurſo, Hebri ex ea par„ te omnia aperta atque incuſtodita nec caſtello ullo munita „ excurrens, & Didymothœcum appellens, non multos poſt „ dies Rex eorum acclamatur; & Adrianopolim uſque per„ veniens, in ea dictum Iſem Protoſtratorem & Camytzem „ cum Imperatoriis (a) copiis reperit, & fallacibus ac ca„ ptioſis ſermonibus cives decipiens.... perſuadet, Impe„ ratoris militem ejicere, ſuum admittere... Comnenus „ itaque Theodorus Adrianopoli occupata, non minimum res

tii interpretatione in lib. I. de conſenſ. cap. 25. n. 5. „ Satimque ſibi Regium no„ men aſciſcit, ac Regio more a Bulgariæ Archiepiſcopo inungitur. Nam olim Ju„ ſtinianus Imp. eam Provinciam, e qua oriundus erat, cum aliis multis rebus or„ narat, tum Primam Juſtinianam appellaverat, atque etiam perpetua libertate do„ narat: eo tamen excepto, ne ejus Archiepiſcopi Romanorum Imperatores inun„ gerent; quæ prærogativa legibus aliis eſt conceſſa. Verum Angeli jam rerum per „ vim potiti metu, & Archiepiſcopi illius ſimplicitate ad tantam abſurditatem res „ devoluta eſt.

(a) Joannis Ducæ Imperatoris Trapezuntini eæ copiæ erant, ad occupandam Adrianopolim, Ducibus Iſe Protoſtratore & Joanne Camytze, miſſæ, Acropolita num. 24.

„ Italas turbavit: quæ enim illi tenebant, omnia adortus, & „ Byzantium ipsam usque profectus, quidquid extra urbem „ erat, pro arbitrio duxit, & opima præda auctus, ad fores „ Byziæ, ingente Latinis timore injecto, pervenit ... Sic „ ergo rebus prospere gestis Theodorus Comnenus, quum „ suo Imperio fines iidem essent, ac Bulgaris, fœdus cum „ Bulgarorum Rege Joanne Asano, qui, ut dixi, post Bori- „ lam Bulgaris præerat, init, illiusque filia Maria ex pellice „ suscepta fratri suo Manueli desponsata, affinitate conjungi- „ tur „. Pergit Acropolita num. 25. & 26. de Theodoro Comneno, quem *Angelum* posthac (erat enim ex *Angelorum* familia; Comneni autem cognomentum, ut illustrius, ratione *Theodoræ Comnenæ*, ex qua Joannes ipsius pater ortus fuerat, assumsit) enarrans: eum scilicet, ut erat audacia insignique animi fortitudine præditus, ditiones suas longius prolaturum fuisse, nisi in patriam fuisset coactus reverti, rupto fœdere, quod inter illum & Joannem Asanem Bulgariæ Regem ictum fuerat: a quo in prælio fusus ac captus mense Aprili anno 1230., oculorum luminibus privatus, est: dumque ita detineretur a Bulgaro, *Manuel* frater ejus, ut Acropolita scribit, ditiones omnes invadens, *Imperatorem* se dixit: sed mox liber factus *Theodorus*, Thessalonica per insidias occupata, captum fratrem Manuelem Attaliam ad Turcos amandavit; Imperatorisque titulum, quo propter oculorum casum in posterum abstinuit, in filium *Joannem* transtulit, *Despotæ* dignitate contentus.

XXVIII. Achridensis Archiepiscopus in coronando Imperatore Thessalonicensi iis Privilegiis utitur, quæ a Romano Pontifice concessa Trinovitano Primati viderat. Græci tam Achridensi, quam Trinovitano ea Privilegia concedunt, ne videantur illa a Sede Apostolica accepisse.

Nunc ad *Demetrium* Achridæ Archiepiscopum progredior. Donec Bulgaria a Basilio Porphyrogenito Imperatore anno 1019. subacta, Byzantinis paruit Augustis, Achridenses Archiepiscopi, ut supra vidimus, ab iisdem Augustis creati perhibentur, usque ad *Joannem Camaterum*, qui paulo post Alexii Comneni cædem, anno 1183. peractam, Bulgariæ Archiepiscopus præfuit. At vero quum Asanes, Petrus, & Joannes fratres Bulgaricum Regnum, ut supra dictum est, restituissent; quumque Innocentius III. *Basilio* Bulgariæ Archiepiscopo, qui ad ipsum anno 1199. literas dederat, *Pallium*, *Mitram* & *Anulum*, tamquam Trinovitano Primati, an. 1203. concessisset, perque Privilegii paginam etiam facultatem anno

no 1204. ei tribuiſſet, ut Bulgariæ Reges, Apoſtolicæ Sedis auctoritate, ungeret atque coronaret; hinc colligimus, Joanni Comneno circa annum 1196. defuncto ſucceſſiſſe (*a*) *Demetrium*, qui anno 1222. [uti modo dicebam] Theodorum Comnenum Imperatorem coronavit: eo nempe Privilegio uſus, quod olim Achridenſibus Archiepiſcopis a Romano Pontifice conceſſum, & a Byzantinis confirmatum fuerat: quodque Demetrius viginti circiter ante annis Trinovitano Præſuli a Sede Apoſtolica tributum fuiſſe cognoverat. Scriptores Græci, qui a Latinis per id tempus abhorrebant, nullam aut Baſilii Trinovitani Bulgarorum Archiepiſcopi, aut conceſſæ eidem ab Innocentio Papa coronandi Reges Bulgaros facultatis mentionem faciunt: quinimo Achridenſem Bulgariæ Archiepiſcopum Demetrium tamquam prævaricatorem canonicarum ſanctionum traducunt, quod Theodorum coronare auſus fuiſſet: „ Tamquam qui [inquiunt] ut ipſe fatebatur, ſui juris eſſet, „ neminique ſui facti rationem reddere teneretur, ideoque „ in ejus poteſtate eſſe, quoslibet, & ubicumque, & quandocumque illi libitum fuiſſet, Reges ungere „. Græcanica quippe fraude, conceſſum Trinovitano Primati a Romano Pontifice Privilegium ſilentio premunt: quo vero ſuam Conſtantinopolitanam Eccleſiam ad cælum attollant, æqualibuſque eam cum Matre omnium ac Magiſtra Eccleſiarum Romana faciant, id quod triginta ante annis Innocentius Papa auctoritate Apoſtolica Primati Trinovitano conceſſerat, ad Germanum Patriarcham, qui non Conſtantinopoli, ſed Nicææ ab an. 1227. ad annum circiter 1239. ſedit, Schiſmatico dolo referunt. Sic enim Georgius Acropolita ad annum circiter 1234. quo Joannes Aſan Bulgarorum Rex cum Joanne Vatatze Græcorum Nicæno Imperatore fœdus iniit, num. 33. ſcribit: „ Quum ita- „ que [*ut prædixeram*] ambo Joannes, Ducas Imperator, & „ Aſanus Joannes Bulgarorum Rex, in unum fœdere icto con- „ veniſſent, Imperator Lampſacum præoccupat, & copiis Cal- „ liupolim trajicit, adactiſque machinis Caſtellum invadit, &

 „ non

a Huic Demetrio *Chomatiano* vel *Chomateno* cognomen erat: In jure Græco-Rom. pag. 311. extat Reſponſum „ Demetrii Chomateni Bulgariæ Archiepiſcopi „ de gradibus conſanguinitatis „ itemque pag. 316. „ Beatiſſimi & Sanctiſſimi „ Archiepiſcopi Bulgariæ Domini Demetrii Chomatiani ad Conſtantinum Cabaſilam Dyrrhachii Metropolis Archiepiſcopum Reſponſiones.

„ non multo poſt e Venetorum manibus recuperat. Poſt hæc „ Aſanus cum uxore Maria Ungara & filia Helena Calliupolim venit, ubi cum Imperatore ſermonem conſerit: ibidemque amicitiam uterque confirmant. Hic [*Aſanus*] „ Helleſpontum non trajecit, ſed in Calliupolis partibus remanſit. Joannes Imperator cum uxore & filia Helena Lampſacum, ubi erat Irene Imperatrix, remeat: & puerorum nuptias apparant, quum Germanus Patriarcha inter „ rem divinam nuptiarum ceremonias abſolviſſet. Tunc & „ Trinobi Præſul, ὁ Τριϐόβυ ἀρχιερεὺς, Conſtantinopolitano (*a*) obnoxius, Imperatorio ac Synodico Decreto, ut „ Aſano Bulgarorum Principi, affinitatis & amicitiæ cauſa, „ gratificarentur, ſuo jure vivere & Patriarchæ nomine condecorare obtinuit „. Hæc Acropolita: cui ſuffragatur Nicephorus Gregoras lib. 1. cap. 3. num. 3. inquiens: „ Imperatore [Joanne Vatatze] his rebus (*b*) occupato, è Bulgaria Legati veniunt, tum pacis expetendæ cauſa, tum ut „ Imperatoris filio Theodoro, Helenæ Aſanis filiæ nuptias offerrent. Quem Nuncium Imperator lætus & cupidus accepit: nolebat enim, aliis gravioribus negociis diſtractus, illum adverſarium habere, Scythis trans Iſtrum poſitis adeo „ vicinum, illiſque aſcitis quoties libitum eſſet, irruentem, „ & torrentis in morem obvia quæque ſecum abripientem. „ Hac igitur de cauſa Legatio ſtatim rata fuit, ſimulque affinitas. Congreſſi ergo circa Cherſoneſum Imperator, & Aſan, „ Helenam Aſanis filiam decem annos natam filio nondum „ puberi Theodoro Laſcari juniori conjungunt. Tunc etiam „ ὁ τῆ Τερνόβυ ἐπίσκοπος αὐτονομίαν λαμβάνει διηνεκῆ, τῷ „ πέως ὑπὸ τὸν Ἀρχιεπίσκοπον τῆς πρώτης πελῶν Ἰυστινιανῆς, „ διὰ τὴν τῆ ἔθνυς ἐκεῖθεν ἀρχαίαν συγγένειαν, Ternobi Epiſcopus liberam juriſdictionem in perpetuum impetrat, quum „ ad id uſque tempus Primæ Juſtinianæ Archiepiſcopo, propter veterem illius gentis cognationem, paruiſſet „. Non ſum

a Hoc falſum. Nam Zagora, & Trinobum, aliæque Bulgarorum urbes, Achridenſi Metropolitano uſque ab annu 900. ſubjectæ fuerant, qui Patriarchali jure omnibus Bulgaris imperabat.

b Dum ſcilicet, inſtructa claſſe, inſulis maris Ægei, & Rhodo occupatis, in Europam trajiciens, capit plurimas urbes maritimas Callupolim, Seſtrum, & Cardianorum civitatem, cæteraſque illis vicinas.

ſum neſcius, ubi Juſtiniana prima olim fuit, ibi in ejus locum & jura Achridam tum ſucceſſiſſe, quum Petrus Bulgarorum Rex anno Chr. 932. firmatis cum Romano Lacapeno & pacis & nuptiarum fœderibus, Mariam, Chriſtophori, ipſius Romani filii, filiam in uxorem Conſtantinopoli accepit, obtinuitque a Græcis *αὐτοκεφαλίαν* pro Damiano Achridenſi Archiepiſcopo, quemadmodum ſcribit Auctor Catalogi Archiepiſcoporum Bulgariæ his verbis: *Δαμιανὸς ἐν Δοροςόλῳ, τῇ νῦν Δρήςᾳ, ἐφ' ὗ ἡ Βυλγαρία τετίμηται αὐτοκέφαλος. οὗτος πατριάρχης ἀνηγορεύθη παρὰ τῆς Βασιλικῆς συγκλήτυ, Κελεύσει τῦ Βασιλέως Ῥωμανῦ τῦ Λακαπηνῦ. ὕςερον δὲ καθηρέθη παρὰ τῦ Ἰωάννυ τῦ τζιμισκῆ*: „ Damianus Duroſtoli ſedens, quæ nunc „ Driſta dicitur: quo Eccleſiam adminiſtrante, Bulgaria Au„ tocephaliæ honore decorata eſt. Hic Patriarcha renuncia„ tus fuit ab Imperiali Senatu, juſſu Imperatoris Romani La„ capeni: ſubinde vero a Joanne Zemiſce deſtitutus eſt „. Quis ſit genuinus horum verborum ſenſus, expoſui Tom. 3. a pag. 155. nimirum, ex quo *Simeon* Bulgarorum Rex, ruptis fœderibus, cum Leone Sapiente, Baſilii Macedonis filio Imperatore, bellum ſuſcepit, ſibi quidem coronam Regni, & Archiepiſcopo Bulgariæ [ſive is Damianus fuerit, ſive alius Anonymus] Patriarchalem dignitatem a *Romanis Pontificibus* petiit & obtinuit: idque ipſum poſtea factum a Simeonis Succeſſoribus *Petro* & *Samuele*, donec Bulgaricum Regnum ſtetit: ideſt, uſque ad tempora Conſtantini & Baſilii, qui poſt Joannem Zimiſcam imperarunt, quique Bulgariam Græcanico ſubjecerunt Imperio anno 1019. Id enim teſtatur Joannes Bulgarorum Rex in ſuis ad Innocentium III. Papam literis anno 1204. datis, in hæc verba: „ Quum placuit Domino noſtro JESU „ CHRISTO, me Dominum & Imperatorem totius Bulgariæ „ & Blaciæ facere, inquiſivi antiquorum noſtrorum ſcripturas „ & libros, & beatæ memoriæ Imperatorum noſtrorum Prædeceſſorum leges, unde ipſi ſumpſerunt Regnum Bulgarorum, „ & firmamentum Imperiale ſuper caput eorum, & Patriar„ chalem benedictionem: & diligenter perſcrutantes, in eo„ rum invenimus ſcripturis, quod beatæ memoriæ illi Impe„ ratores Bulgarorum & Blacorum Simeon, Petrus, & Sa„ muel noſtri Prædeceſſores, coronam Imperii eorum, & Pa„ triar-

„ triarchalem benedictionem acceperunt a SSma Dei Romana „ na Ecclesia, & ab Apostolica Sede Principis Apostolorum „ Petri „. Quod igitur Græcus Catalogi Archiepiscoporum Achridensium auctor ait: „ Sub Romano Lacapeno Damia„ num Bulgariæ Antistitem honore Autocephaliæ & dignitate „ Patriarchali auctum fuisse „, ostendit, a Græcis Imperatore & Patriarcha Byzantinis circa Bulgaricam Autocephaliam Achridensem, postquam illam Romanus Pontifex, Simeone circa annum 900. petente, concesserat, id post Simeonis obitum sub Petro ipsius filio ac Successore anno 932. actum fuisse, quod Patriarcha Germanus & Joannes Vatatzes Imperator anno 1234. præstiterunt, postquam altera Bulgarorum Autocephalia Trinovitano Præsuli ab Innocentio Papa triginta ante annis tributa fuerat. Tum enim Græci Imperator & Patriarcha, ut Bulgaros a Romana Sede alienos sibique obnoxios redderent, satius duxerunt, eadem ipsa Privilegia Trinovitanis Bulgariæ Præsulibus seu confirmare, seu de novo concedere, quæ jam illis a Sede Apostolica fuerant concessa, & ab iisdem mordicus retenta. Ac propterea, quemadmodum olim quum Bulgari sub Joanne Zimisce, Basilio atque Constantino Augustis ab amicitia Græcorum, ruptis fœderibus, defecissent, Achrida Metropolitanorum Sede in potestatem Byzantini Imperii redacta, auctoritas quoque Achridensium Antistitum intra limites reliquorum Archiepiscoporum restricta fuit; ita Bulgaris postea intra Mœsiæ secundæ fines, Basilii Bulgaroctoni armis sese continere coactis, nulla Achridenis Præsulibus in illos auctoritas fuit usque ad duodecimi sæculi finem. Tum vero Princeps Bulgarorum Joannes, implorato Romanæ Sedis patrocinio, obtinuit, ut regiones quæ dominationi suæ suberant, Trinovitano Archiepiscopo, non alteri parerent. Interim vero Achridenus sua jura sarta tecta servavit in eas provincias, quas Byzantini Bulgaris ademerant. Quocirca Theophylactus Bulgarorum Achridæ Archiepiscopus quum esset, epistola sua 27. Michaëli Chalcedonensi Episcopo scribens, Monachum quemdam, quem communionis extorrem fecerat, quique in vico suæ Diœceseos, Cittaba dicto, Monasterium Constantinopolitani Patriarchæ nomine jure Stauropegii construxisset, quærebat, quo jure id factum esset, quum Achridensis Diœcesis Auto-

Autocephaliam obtineret. „ Ecquæ enim [ait] Bulgaris par-
„ ticipatio cum Constantinopolitano Patriarcha, quando nul-
„ lum ordinationis jus habet in Bulgaria, quæ sui juris Archie-
„ piscopo potitur „? Duplicem igitur Bulgari obtinuere Autocephalam Ecclesiam: alteram antiquiorem a Prima Justiniana ad vicinam urbem Achridam translatam: juniorem alteram in Mysia inferiore sitam, Trinovitanam seu Ternobitanam appellatam. Hanc Basilius usque ab anno 1203. ab Innocentio Papa obtinuit, ut supra narravi, eandemque Ternobi Archiepiscopis Græci anno 1234. confirmarunt. Illam Demetrius anno 1222. regebat, quando Theodorum Angelum Comnenum Imperatorem, jure Achridensis Autocephaliæ, coronavit. Quamobrem qui in Catalogo Archiepiscoporum Achridensium apud Quienum Tom. 2. a pag. 296. post Demetrium recensentur, *Jacobus*, scilicet, *Constantinus II. Gennadius*, *Macarius*, *Gregorius*, *Anthimus*, & reliqui, *Bulgariæ* quidem *Archiepiscopi* dicuntur, sed frequentius, *Achridæ*, *& Primæ Justinianæ*: sic enim apud eumdem Quienum inscripti leguntur: Pachymeres lib. 1. cap. 30. de Theodoro Angelo Comneno
„ Imperium arripuit, *στεφθεὶς παρὰ τοῦ Ἀχριδῶν Ἰακώβου* coro-
„ natus ab Achridensi Jacobo „: & l. 2. cap. 26. „Nam Michael
„ Despota iniquo animo ferens privatum se arcibus & expulsum
„ regione, quam patruus ejus, & pater Theodorus, qui tractus
„ occidui Imperator inauguratus fuerat, *τοῦ Ἀχρίδων ταινιώσαν-*
„ *τος Ἰακώβου*, *coronam ei imponente Jacobo* (a) *Achridensi* „. Georgius Acropolita num. 80. *καὶ στεφθέντα μὲν ἀπῄει, περὶ τὴν Ἀχρί-*

---

a Miror, Petrum Possinum doctissimum virum, nullam in hunc Pachymeræ locum observationem iecisse: sed neque Cangium quæstionem movisse de Archiepiscopo Achridensi, qui Theodorum Comnenum coronavit. Nam Pachymeres quidem eum fuisse dicit *Jacobum*: Nicephorus autem Gregoras l. 1. cap. 2. nomen ejus haud edisserit, sic scribens: „ Statimque sibi Imperatoris nomen adscisit, ac Imperatorio „ more ab eo, qui Bulgariæ Archiepiscopus tum erat, inungitur „. At vero Georgius Acropolita, cap. 21. *Demetrium* vocat Archiepiscopum Achridæ, a quo Theodorus coronam accepit. Quid ergo dicendum? Allatius vir clarissimus not. in Acropolitam, observat, *Demetrium* Acropolitæ, a Pachymere *Jacobum* appellari. Ego vero, si fas sit judicium meum interponere, plus Acropolitæ hac in re tribuerim, quam Pachymeri. Acropolita enim de rebus Imperatorum Nicææ, Thessalonicæ, & Bulgarorum, fuit apprime edoctus, utpote & in aula, & in legationibus eorumdem exercitatus. Ceterum ad hunc Jacobum Bulgariæ Archiepiscopum Nicephorus Blemmydas librum suum primum de Processione Spiritus Sancti ex Filio nuncupavit: quam a cl. Allatio Latine redditam, edidit Raynaldus. Tom. 2. Annalium a pag. 563.

Ἀχρίδα ἣν καὶ Ἀρχιεπισκοπὴν Βυλγαρίας οἱ πάντες οἴδαμεν, ἔχων μεθ᾽ ἑαυτοῦ καὶ τὸν Ἀρχιεπίσκοπον ταύτης τὸν Καβάσιλαν Κωνσταντῖνον, & primum quidem Achridam, quam Bulgariæ Archiepiſcopatum eſse, novimus omnes, ſecum una & illius Archiepiſcopum *Conſtantinum Cabaſilam ducens*, *contendit*. Plachymeres lib. 2. cap. 13. „ Primus trium fuit Gennadius, „ qui olim electus in Epiſcopum Primæ Juſtinianæ, & electio- „ ne admiſsa, deinde longo tempore peregrinatus, denique „ recuſaverat aut abdicaverat „. Pachymeres lib. 4. cap. 4. „ Moxque in medio Bardario amne rite prius celebrata per- „ mutatione obſidum utrinque miſsorum, etiam ſine mora „ proceſsum ad effecta eſt: Serbo (*a*) quidem Cotanitzam „ & filiam Terteris dedente, viciſſimque accipiente ab Impe- „ rat. [*Andronico Palæologo*] ipſius filiam (*b*) luxu ornatu- „ que regiis ſatellitio ſplendido deductam, ſtatimque poſt, „ ſimul ab Achridenſi Macario *παρὰ τοῦ Ἀχριδῶν Μακαρίου*, „ Eccleſiaſtica ſponſis fuiſset rite impertita benedictio, ſum- „ mis honoribus affectam [non enim illam Crales ut propriam „ conjugem, ſed ut Imperatoris filiam] excepit „. Theodorus Metochita laudatoriam orationem ſcripſit *εἰς Γρηγόριον τὸν χρηματίσαντα Ἀρχιεπίσκοπον Βυλγαρίας*, *in Gregorium*, *qui Bulgariæ Archiepiſcopus fuit*: cujus Gregorii, teſte Lambecio in Bibliot. Vindob. lib. 6. Cod. 6. exſtat, *γραφὴ τοῦ παναγιωτάτου Ἀρχιεπισκόπου, τῆς πρώτης Ἰυστινιανῆς, καὶ πάσης Βυλγαρίας κυροῦ Γρηγορίου πεμφθεῖσα πρὸς τὸν ἱερώτατον ἐπίσκοπον Πελαγονίας κυρὸν Θεοδόσιον περὶ θεσμοῦ συγγενείας*, ſcriptum Sanctiſſimi Archiepiſcopi Primæ Juſtinianæ & totius Bulgariæ, Domni Gregorii, miſsum ad Sacratiſſimum Epiſcopum Pelagoniæ Domnum Theodoſium de gradu conſanguinitatis.

XXIX. Poſt Joannis Bulgariæ & Blachiæ Regis obitum, Borilas & Joannes Aſan Regno potiuntur.

Acropolita de Joannis Bulgarorum Regis morte, quam Cangius an. 1207. contigiſſe affirmat, ejuſque ſucceſſore n. 13. ſic ſcribit. „ Hoc (Joanne fatis functo, ſororis illius filius „ Phrorilas nomine, Scythide avia in matrimonium ducta, „ re-

a Hoc eſt, *Vroſio* Cralæ Serviæ.

b *Simonidem* ſcilicet, „ de qua Pachymeres lib. 4. cap. 1. & ſeqq. „ In ea ſollicitudine Patriarcha (Joannes) urbe prodiit, ſpecie quidem officioſe valedicendi, atque in egreſſu bene precandi procincto ad iter Auguſto; revera certus ei diſſuadere quantum poſſet, filiæ Simonidis cum Serbiæ Principe matrimonium, multis de cauſis inconveniens „. Cetera ibi legenda.

„ regnum Bulgarorum occupat. Filius vero Asani (*fratris Joannis & Petri*) Joannes clam ereptus, ut diximus, ad Scythas asportatur. *& num.* 20. Primus Bulgarorum Rex Asanus duos habuit filios, Joannem, & Alexandrum. Itaque „ Borila (*hunc Phrorilam supra appellaverat*) cujus supra „ mentionem fecimus, regie Bulgaris imperante, Asani filius „ Joannes fuga se abripiens, in Russos confugit, ibique per „ tempus aliquod commoratus & convenarum Russorum nonnullis in unum congestis, paternam hæreditatem reposcit, „ & in Borilam arma suscipit, & vincit, dominusque fit non „ exiguæ regionis. Borilas Trinobum ingressus, septem annos obsidionem sustinet: & quum socii defatigati succumberent, ad Asani Joannem deficiunt; Borilas inde inter fugiendum deprehensus, ab Joanne oculis læditur; sicque „ universa ditione Bulgarorum Joannes potitur „. Cangius, de Voryla seu Phrorila num. 33. edit. Paris. pag. 320. sic ait: „ Extincto avunculo, Bulgariæ regnum invasit: Verum non „ ea est usus felicitate, qua Joannes, tum in bellis, quæ contra Francos nostros gessit, a quibus fusus est anno 1208., „ neque in usurpata contra fas regia potestate tuenda. Quippe „ Joannes Asan, Asanis Regis filius, qui Voryla regnum arripiente in Russiam fugerat, coactis ibi aliquot militaribus „ copiis, Bulgariam ingressus, fuso primum Voryla, regnique maxima parte occupata, hunc Trinovi, quo se receperat, per septennium obsedit. Cetera ex Acropolita.

XXX. Joannis Asani filii Calomanus & Michaël, in Bulgaria regnant ab anno 1241. ad 1257.

Obiit Joannes Asan Junio mense anno 1241. relictis ex utraque, quam duxerat, uxore aliquot liberis. Prior fuit *Maria*, Andreæ Hungariæ Regis filia, quæ sub annum 1237. fatis concessit: ex hac nati *Calomanus*, qui in regnum successit, obiitque anno 1245. filiusque alter, qui eodem anno quo mater, obiit: *Helena*, Theodoro Lascari juniori, postmodum Imperatori Joannis Vatacii filio nupta: & *Thamar*, cujus meminit Acropolita cap. 39. Extincta Maria, alteram sibi adscivit conjugem *Irenem*, Theodori Angeli Thessalonicensis Imperatoris filiam, ex qua procreati (*a*) *Michael*, qui post

a Acropolita cap. 38. Ex *Irene Theodori Angeli filia Joannes Asanus filios habuit tres; Michaelem, Theodoram, Mariam*. Idem Acropolita cap. 39. *Theodoram* vocat *Annam*. „ Ex filia vero Angeli Asanus tres filios susceperat, Michaëlem masculum, ut diximus, Mariam & Annam feminas!

Calomanum regnum obtinuit: natæque duæ, *Theodora*, & *Maria*. Maria cum *Mytze*, qui Bulgarorum Rex fuit, matrimonio juncta fuit. Habuit præterea idem Asanus filiam notham *Mariam*, quam Manueli Comneno, Theodori Angeli Epiri despotæ fratri, copulavit. Acropolita cap. 25. „ Theodorus
„ Comnenus fœdus cum Bulgarorum Rege Joanne Asano, qui
„ ut dixi, post Borilam Bulgaris præerat, iniit; illiusque fi-
„ lia Maria ex pellice suscepta, fratri suo Manueli desponsa-
„ ta, affinitate conjungitur „. Calomano Joannis Asani filio, ut dixi, anno 1245. extincto, *Michael* ejusdem Asani filius & Calomani frater, Regnum Bulgariæ adiit. Ut vero vix pueritiam tum excesserat, hac captata occasione Joannes Vatatzes Græcorum Imperator, indicto Michaëli bello, complura quæ in Thracia & in Thessalia obtinebat oppida expugnavit: quæ ille post Vatatzæ obitum facile recepit, bello interim vario eventu inter Michaëlem & Theodorum Joannis filium flagrante. Tandem pax inter utrumque composita, Uro Russiæ principe, cujus filiam uxorem duxerat Michaël, hanc conciliante. Acropolita cap. 54. „ Bulgarorum princeps Michaël
„ uxoris Theodori Imperatoris frater, socero illius Joanni
„ Asano ex Angeli Theodori filia susceptus, Joannis (*Vatatzæ*)
„ Imperatoris (*a*) obitu nunciato, quum occiduas partes
„ Imperatoriis copiis nudas orbasque conspiceret, animoque
„ agitasset, regionem & in ea oppida ab Imperatore Joanne
„ Bulgaris surrepta, ad Bulgarorum rursus dominatum, quod
„ jamdiu Bulgarorum cordi inhæserat, revocare. *Cetera*. E
„ vestigio itaque expugnatæ sunt Stenimachus, Peristiza,
„ Crytzimus, Tzepæna, *ϰὴ τὰ ἐν τῇ Α᾽χριδῶ ξύμπαντα*, &
„ præter Mniacum, quod vel solum Romanis devotum per-
„ severat, omnia. Præterea Ustra, Perperacium, Cribus,
„ & quod Adrianopoli adjacet Ephræm, Bulgaris cessere. *Et*
„ *narratis compluribus inter Michaelem ac Theodorum commis-*
„ *sis præliis, subjungit cap.* 62. Bulgarorum interim Princeps,
„ ubi adversum Romanos, Imperatoris cum tam ubere milite
„ in

a Obiit Jo: Vatatzes Nicænus Imp. anno 1255. Eumque excepit filius Theodorus junior usque ad annum 1259. quo decessit, hærede filio Joanne sexenni relicto, Imperium administrante qui mox illud sibi plane vindicavit Michaële Palæologo, a quo Constantinopolis die 25. Jul. anno 1260. Latinis erepta, atque Imperium Græcorum recuperatum fuit.

„ in Occidentem accessu, illiusque vicinitate proficere quicquam non posset, amicitiam & fœdus petiit, *κὴ τὸν πενθερὸν αὐτοῦ τὸν Ῥώσων Οὖρον τοῦ ῥηγὸς οὐγγρίας ἐπὶ θυγατρὶ πλοῦντα γαμβρὸν*, & Rosorum Principem Urum socerum, „ Ungariæ Regis generum, cujus arbitratu communibus negotiis consuleretur, destinat; primum tamen Legati ad Imperatorem præmissi, profectionem ad eum Uri, ut absque timore esset, quin etiam ut ille honorifice exciperetur, præparant. Et profecto ita se res habuit, & Urus ad Imperatorem se contulit. Ipse & alii, qui cum eo accesserant, lubentissime & datis honoribus ab Imperatore afficiuntur: quare suo, & generi Bulgarorum Principis jure etiam jurando pacem firmavit, ea conditione, ut Tzepænæ oppidum solum ex iis, quæ sub ditione Joannis Imperatoris erant, a Bulgaris tum occupatum, Imperatori restitueretur. Imperator viceversa amicitiam & pacem cum Bulgaris continuaret, & uterque antiquis confinium terminis contineretur. „ Ubi res pro arbitratu Imperatoris successit, Urus de reditu sermone collato, egreditur, Imperatoriis muneribus auctus.

XXXI. Constantinus & Mytzes de Regno Bulgariæ contendunt. Joannes Asan Mytzæ filius, post patrem regnat. Lachanas Constantinum interficit.

Pax hæc inter Bulgaros & Græcos composita anno 1256. juxta Raynaldum: qui tamen Uri seu Urosii Russorum Principis nullam mentionem facit. Altero post anno, Michaël a patruele Calomano (*a*) fuit interfectus. Acropolita cap. 73. „ Bulgarorum princeps, uxoris illius frater (*idest Theodori*) „ Michaël, qui simultates & inimicitias easque non leves & „ in generum, & in Imperatorem, & rem denique Romanam „ gerebat, a consobrino suo Callimano, consciis nonnullis „ Trinobi civibus, extra dictam urbem degens, lethali vulnere accepto, illico exspiraverat. Qui eum jugulaverat Callimanus illius uxore ducta, Bulgarorum principatum sibi quodammodo vindicasse visus est. Sed Rosus Urus cum exercitu „ Trinobum aggressus, filiam, hujus Michaëlis consortem, „ recuperat. Quidam enim Callimanum ex loco in locum „ aberrantem antea trucidarant. Quum vero hærede legitimo „ Bulgarorum Principatus destitueretur, Proceres in consilium „ conveniunt, eliguntque *τοῦ Τοίχου υἱὸν Κωνσταντῖνον* Tœchi filium

(a) Erat Calomanus Alexandri filius, Asanis Bulgariæ Regis nepos.

,, lium Constantinum, ut sibi ipsis imperet; & ut speciosas ,, regnandi causas haberet ac hæreditario jure regnum posside- ,, re videretur, legatos ad Imp. Theodorum miserunt, ut ,, filiam suam majorem, cui nomen Irene erat, in matrimo- ,, nium Constantino Tœchi concederet, quæ illi legitime co- ,, pularetur, tamquam quæ esset Asani Joannis, qui antea ,, Bulgaris imperarat, neptis, ideoque ad talem domina- ,, tum pertineret. Sed quando Tœchi Constantinus alio eo- ,, que legitimo matrimonio vinciretur, uxorem a viro separa- ,, tam ad Imp. Theodorum deducunt. Sic se res Bulgarorum ,, habebant: sic Theodorus Imperator pacem recuperat: sic ,, etiam & tranquillitatem uterque aucupatur ,, . Pachymeres lib. 5. cap. 5. de Mytze Asani genero, & Constantino Tœchi, de Regno Bulgarico decertantibus, sic scribit. ,, Hic porro ,, Mytzes gener erat Asanis, ducta ejus filia, cujus sororem in ,, matrimonio habuit Theodorus Lascaris, pari Asani affinitatis ,, gradu admotus. Asan autem hic est, quem historia docet, ,, Joanni Ducæ Imperatori socium fuisse, junctisque cum eo co- ,, piis incursasse communi expeditione occiduas regiones, ma- ,, gna omnis elegantiæ indicia præbentem. Ut autem Joan. (*a*) ,, jam mortuo Asan Regnum Bulgarorum Bulgarus ortu acce- ,, pit, contigit eum apud Imperatorem offendere, simultati- ,, bus in bellum quoque apertum prorumpentibus; Asane non ,, semel suas copias Romanis opponente. Sed & item conti- ,, git parum gratum suis ipsum evadere Bulgaris, multis & ,, præcipuis ei graviter offensis infensisque: unde is in per- ,, turbationes haud parvas incidit: Proceribus quos ab eo alie- ,, naverat invidia, inclinantibus ad *Constantinum*, dimidium ,, generis trahentem ex Serbis; cui nulla cum Asane cogna- ,, tione juncto, quantum ad suffragium Principatus deerat ex ,, genere, supplevit affinitas, quæ illum ducta in uxorem Ire- ,, ne

a Pachymeres, omissis Calomano & Michaele, Joannis Asanis liberis, nec non Calomano secundo Alexandri filio, quæcumque ad hos pertinent, ea perperam ad Asanem refert, cui immediate successisse Constantinum & Mytzem de Regno decertantes autumat. Nicephorus quoque Gregoras lib. 3. cap. 2. num. 4. *Michaelem* Joannis Asani filium, *Asanem* vocat, eumque anno 1257. obiisse ait :,, Asanes ,, (inquiens) Bulgarorum princeps, cujus soror Theodoro Imperatori nupta erat, ,, vitæ cursum emensus, nullam prolem reliquerat, quæ ei, ut fit, in Principa- ,, tum succederet ,, . Mox de Mytze & Constantino Tœcho subjungit eadem, quæ ex Pachymere a nobis narrantur.

„ ne filia Theodori & Asanis nepte, a patre Theodori Joanne „ Augusto in Bulgariam ad has nuptias missa, in pari jam juris „ ad Asani successionem gradu cum Mytze constituit. Et Con- „ stantinus quidem urbem Bulgariæ regiam Ternobum tenens, „ ceteris etiam cunctis ejus Principatus ornatus insignibus, pro „ haud dubio Bulgarorum Rege se se palam magnifice ferebat. „ At Mytzes circumsitis regionibus imperitans, interdum „ quidem his contentus acquiesciebat, interdum contendebat „ cum Constantino, ac fuit, quum aliquando eum bello per- „ sequens, includere sese cogeret in arcem quandam nostram, „ cuiStenimachum nomen est,ubi quominus caperetur & peri- „ ret, opportune allatum a Romanis copiis auxilium prohi- „ buit. Sed fortuna deinde vices alternante successuum, au- „ ctus rursus animis & viribus Constantinus,tanto tamque vali- „ do impetu incubuit inMytzen,ut is impar resistendo,Mesem- „ briam cum liberis confugiens, inde legatis ad Imperatorem „ supplicibus missis, pactus cum eo deditionem sit cum sui, „ tum ejus civitatis, quam in sui servati pretium offerret „. Imperator vero quum Mytzen in urbe Regia honorifice exce- pisset, primogenito ipsius *Joanni* primogenitam filiam suam *Irenem* in uxorem concessit. *Constantinus* Irene mortua, *Mariam* (*a*) *Cantacuzenam*, Eulogiæ Michaëlis Palæologi Imperatoris sororis filiam, in alteram conjugem accepit, ex eaque *Michaelem* procreavit, quem in Regem coronari, superstite conjuge, curavit mater. Aliquanto vero postea, quum in Lachanam, qui coactis militaribus aliquot copiis, Bulgariæ agros depopulabatur, Constantinus exercitum eduxisset, commisso invicem prælio, interficitur. *Lachanas* Græcis, Slavis *Labanas*, proprio nomine *Kordocubas*, (*b*) infima stirpe progenitus (*Subulcus erat*) cæso ac profligato Constantino, Bulgariæ regnum invasit, & Mariam Cantacuzenam illius viduam, uxorem duxit. Quumque ad Constantinopolitanum Impe-

a Niceph. Gregoras lib. 5. cap. 3. num. 1. „ Soror erat Imperatori (*Michaeli* „ *Palæologo*) nomine Eulogia, quæ quum filias multas haberet, Annam Nicephoro „ Ætoliæ principi despondit; Mariam Constantino Principi Zagoræ: nam illorum „ primæ uxores decesserant, quas ipsas quoque sorores fuisse, & Imperatoris Theo- „ dori Lascaris filias, supra diximus.

b De Lachana vide Pachymer. lib. 6. cap. 3. & Niceph. Gregoram lib. 5. cap. 1. & 3.

Imperium conquirendum ſe accingeret, Michaël Palæologus quo imminentem tempeſtatem averteret, huic *Joannem Aſanem* generum, Mytzæ (*a*) qui Trojæ obierat, filium oppoſuit. Quod ut reſcivit Lachanas, Tartaros ac Scythas ſeptentrionales ſibi devinciendos ratus, in Tartariam profectus, ab eorum Rege Noga in convivio occiditur.

XXXII. Georgius Terter Bulgariæ Rex a Nicolao IV. Papa una cum Bulgarorum Archiepiſcopo ad amplexandam S.R.E. fidem excitatur.

Joannes Aſan Rex proclamatus, Bulgariam facile obtinuit, *Maria* interim Lachanæ uxore, unacum filio *Michaële*, quam ex Conſtantino genuerat, Conſtantinopolim amandata. Verum haud diu proſpera uſus eſt fortuna: quippe *Georgius Terter*, qui natales a Cumanis arceſſebat, cuique ſororem Joannes Aſan matrimonio adjunxerat, facta defectione, regno Aſanem pellere conſtituit. Aſan (*b*) vero, ut Terteris vitaret inſultus, Michaëlem Palæologum Imperatorem ſocerum Conſtantinopoli velle ſe inviſere fingens, facto itineris apparatu, quotquot potuit theſauros ſecum abduxit. Georgius Terter, Joanne Aſane excedente, Regnum Bulgariæ ſtatim invaſit, ejuſdemque (*c*) ſororem, ex qua filiam genuerat, poſtmodum Uroſio Milutino Serviæ Regi nuptam, Conſtantinopolim remiſit; priore, quam (*d*) Nicæam amandaverat, revocata uxore. Hunc Nicolaus IV. Summus Pontifex ad amplexandam Rom. Eccl. fidem hortatus eſt, ſcriptis ad ipſum literis „ apud Urbem veterem x. Kal. Apr. anno IV. ideſt Chr.1291. „ Ma-

a Niceph. Gregoras lib. 5. cap. 3. num. 3. „ Igitur, quum ut ſupra eſt expoſitum, Mytzes ex Aſani poſteritate, apud Trojam ob eas cauſas quas diximus degens deceſſiſſet, filium ejus Joannem Aſanem, ut cui regnum Bulgariæ paterno jure deberetur, accerſit, deſponſaque Irene filia, cum magnis copiis mittit, tum ad Bulgariam a Lachanæ tyrannide liberandam, tum ad ſuſcipiendum regnum, juſta ſucceſſione ad ſe devolutum.

b Niceph. Gregor. lib. 5. cap. 3. num. 4. „ Quo ille cognito, ſe cum uxore ad viſendum Imperatorem eundemque ſocerum proficiſci ſimulat, opum & pecuniarum Bulgaricarum electiſſima quæque clanculum cogit, deinde ſe Byzantium ad ſocerum Imperatorem confert, atque illic reliquum vitæ tranſigit. Terteres vero, prohibente nemine, Bulgaricum Regnum occupat „. Anno nimirum Chr. 1280. uti ad oram libri adnotatur.

c Terteres in Regnum Bulgariæ poſt Aſanis inde exceſſum evectus, religioni ſe ducere profitens, tenere in contubernio ſororem ejuſdem Aſanis, quam repudiata contra fas priore legitima conjuge duxiſſet ... miſit ad Imp. (Andronicum ſeniorem) qui hæc ipſa exponerent. &c. Pachymer. in Andron. Palæol. lib. 1. cap. 20. Id factum ad ann. 1283. refert Poſſinus in Synopſi.

d Diſſolvebant enim Schiſmatici Græci, Bulgari, Serbli, nullo religionis metu, & vetita contrahebant matrimonia.

„ Magnifico Principi (*a*) Georgio Imperatori Bulgarorum „ illustri, gratiam in præsenti, quæ perducat ad gloriam in „ futuro. Ad curam Dominici gregis, ejus dispositione vo„ cati, qui cœlestia & terrena „. Cetera. Proponit fidei Orthodoxæ (*b*) formam, ut eandem inconcusse teneat, & populos imperio suo subjectos ad ipsam amplexandam salubriter dirigat & inducat. Eum in finem idem Pontifex Nicolaus IV. datis ad Archiepiscopum Bulgarorum (*c*) literis, in memoriam revocat, olim ipsum coram Palæologo Imp. agnovisse Romani Pontificis supremam auctoritatem, fidemque orthodoxam professum fuisse. „ Nicolaus &c. Archiepisco„ po Bulgarorum, gratiam in præsenti, quæ perducat ad glo„ riam in futuro. Misericors & miserator Dominus pia mise„ ratione. *Et paucis interjectis*. Quia nos ea, quæ salutis tuæ „ ac populi, cui præes, incrementum respiciunt, totis deside„ riis affectamus, fraternitatem tuam rogandam duximus & „ in Christi visceribus exhortandam, quatenus fidem hujus„ modi, quam, sicut præmisimus, Romana tenet Ecclesia & „ observat, inconcusse prædices & teneas, ipsam promptis „ affectibus amplecti studeas, & magnificum Principem Geor„ gium Imperatorem Bulgarorum illustrem, cui super hoc, „ salutem zelantes ipsius, nostras literas exhortatorias destina„ mus; nec non & populos tuæ, ac ipsius ditioni subjectos, ad „ fidem tenendam eandem efficaciter dirigas & inducas. Te„ net enim probabiliter nostra credulitas, quod in iis juxta „ Dei & nostrum beneplacitum prosequendis exhibebis te vo„ luntarium, facilem, atque promptum; quum Tu [si tamen „ ille sis, qui tunc erat Archiepiscopus Bulgarorum,] olim „ coram quondam magnifico viro Michaële Palæologo Impe„ ratore Græcorum illustri, eo tempore Constantinopoli resi„ dente, professus fueris in Palatio de Blachauria [*Blacherna*] „ coram nobis, sicut a tua excidisse memoria non credimus, „ oraculo vivæ vocis, Te Papæ Romano immediate subesse; „ tuncque ad hoc, ad quod Te nunc inducimus, dispositus „ videbaris „. Antequam Nicolaus IV. ad Summum Pontificatum

a Apud Raynald. ad ann. 1291. num. 38. 39.

b Ea fidei forma allata est a Raynaldo ad ann. 1267. num. 75.

c Is erat Joachimus, uti colligitur ex Pachymere in Andronico lib. 3. cap. 26. extremo.

catum evectus esset, dum adhuc inter Fratres Minores sub nomine *Hieronymi de Asculo* vitam religiosam profiteretur, a Gregorio (*a*) Papa X. anno 1272. ad Græcos in obsequium Romanæ Ecclesiæ pelliciendos missus fuerat. Idem interfuit celeberrimæ (*b*) Synodo Constantinopoli anno 1277. celebratæ sub Joanne Vecco Patriarcha Constantinopolitano, in qua schisma vetus a Patribus Græcis damnatum est, atque unacum aliis Archiepiscopus Bulgarorum, orthodoxum dogma est professus. Denique ad Helenam Serviæ Reginam hortatorias literas idem Nicolaus Pontifex scripsit, ut Bulgaros ad Ecclesiæ gremium adducendos curaret. „ Charissimæ in Christo filiæ „ Helenæ Reginæ Serviæ illustri. Gaudemus, filia charissima. „ *Et post pauca*. Sane quum dictus Archidiaconus [*Marinus* „ *Antibarensis*] nobis ex parte tuæ celsitudinis duxerit supplicandum, ut magnifico Principi Georgio Imperatori Bulgarorum illustri, cum quo super reductione ipsius ad devotionem Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ, ac ad fidei Catholicæ „ unionem proponis habere colloquium hac æstate(*anni 1291.*) „ nostras exhortatorias literas scribere dignaremur; nos hujusmodi tuæ Serenitatis salubre propositum condignis laudum „ præconiis attollentes, eidem Imperatori juxta præfatæ supplicationis oraculum, nec non & Ven. Fratri nostro... Ar„ chiepiscopo Bulgarorum, qui ut nostris ac tuis in hac parte „ desi-

a Gregorii X. Papæ literæ ad Michaelem Palæologum Imp. dat. apud Urbem veterem IX. Kal. Novemb. anno 1. Christi 1272. apud Raynald num. 28. „ Nos igitur „ debita meditatione pensantes, idem negotium tam utiliter, tam propenso consilio „ & exacta maturitate dispositum & electum, ad executionem ipsius, ab eisdem prædecessoribus nostris ordinem imitandum potius, quam mutandum, dilectos filios „ religiosos viros Fratres Hieronymum de Æsculo, Raymundum Berengarium, Bonamgratiam de S. Joanne in Persiceto, & Bonaventuram de Mugello, de Ordine „ Minorum... decrevimus ad tuam celsitudinem destinandos.

b De hac Synodo Constantinopolitana, deque literis Michaelis patris & Andronici filii Palæologorum Imper. atque Joannis Vecci Patriarchæ, vide Raynald. ad ann. 1277. a num. XX. ad XXXIX. & Allatium in Consens. lib. 2. cap. 15. a num. 2. ad num. 6. Datæ literæ ex Synodo mense Aprili, Ind. V anno Mundi 6785. hoc est Christi 1277. qua in Synodo, præter Hieronymum ab Asculo, in memoriali quidem ab Allatio ex Cod. Barberino num. 2. exscripto, memorantur Legati Sedis Apostolicæ, ex Ordine Fratrum Minorum Bartholomæus Episcopus Grosseti in Etruria, Bartholomæus de Senis Minister Syriæ, Philippus Perusinus (qui apud Allatium perperam dicitur, *Philosophus Perusinus*) & Angelus Urbevetanus: at vero in literis Synodi Constantinopolitanæ, Jacobus Episcopus Ferentinus, Gaufridus Episc. Taurinensis, & ex Ordine Fratrum Prædicatorum Raynonus Prior Viterbiensis, & Salvus Lector Lucanus.

„ desideriis satis fiat, potest existere plurimum fructuosus, nostras exhortatorias literas, prout expedire vidimus, duximus dirigendas.

XXXIII. Georgio Terteri filius Svestislaus, Svestislao Georgius Terteres secundus in Regno Bulgariæ succedunt.

GeorgiusTerteres a Scytharum seu Tartarorum ultra Danubium habitantium Rege (*a*) Noga, Regno pulsus, aliquandiu Adrianopoli latuit, quum Imp. Andronicus Palæologus senior auxilia ei submittere non esset ausus, ne Tartaros in Thraciam ipsam pertraheret. *Smiltzes* igitur, in locum Terteris, a Noga Rex Bulgariæ constitutus, regnum obtinuit, quoad ille superstes fuit. Noga vero e vivis exemto, illius filius & successor *Tzachas* hunc regia dignitate exuere constituit, quo *Svestislavum* seu *Sphendosllavum* Terteris filium, cujus sororem in uxorem duxerat, in paternam ditionem restitueret. At quum jam potiorem Bulgariæ partem *Svestislavus* obtinuisset, quod Tartaro Principi haud fideret, vereretur que, ne ab eo tandem male acciperetur, Tzacham intra Ternobum interceptum interfecit. Mox ut Bulgariæ Rex acclamatus fuit, Terterem patrem, qui apud Imp. Andronicum detinebatur, redditis

a Pachymer. lib. 6. cap. 19. „ Aliquanto posthæc, egresso jam Asane Ternobo, „ & Tertere illic regnante, decrevit Lachanas confugere ad Nogam, & ejus opem implorare. Aliunde Imperator haud negligens res Bulgaricas, Asanem ad Nogam „ eundem mittit cum donis plurimis, majorem in modum rogans, ne auxilio destitutum sineret legitimum & jure generis hæreditario nitentem Bulgarorum Regem, „ ipsi Nogæ quasi fraterna necessitudine devinctum, quod uxores Asanis & Nogæ sorores essent „. Cetera. Nogas Lachanam in convivio occidi jubet; Asanem, Euphrosynæ interventu, incolumem dimittit. Idem auctor Tartaros, quibus Nogas imperabat, nunc *Scythas* vocat, nunc *Tocharos*. Id factum Possinus ait anno 1280. sub Michaele Palæologo, qui obiit fer. 6. die 11. Decemb. ann. 1282. Michael Palæologus affinitatem & fœdus cum eodem Noga Tochatorum Rege anno 1273. contraxit, data ei in uxorem Euphrosyna sua filia notha. Nogas circa ann. 1292. a Tuctai Tocharorum supremo Chano prælio victus & occisus fuit. Pachymer. in Andron. l. 3. cap. 28. ubi de Tzacha Nogæ filio, deque Sphendosthlabo (qui male Osphendosthlabus vocatur) & *Smiltze* de Bulgarorum Regno contendentibus. Quisnam vero Bulgarorum Archiepiscopus seu Patriarcha tum fuerit, quum Georgius Terteres circa annum 1283., dimissa Constantinopolim secunda conjuge Michaelis Palæologi sorore, priorem uxorem Sphendosthlabi matrem revocavit, colligitur ex eodem Pachymere lib. 3. in Andronico cap. 26. sic scribente: „ Sic regnare perrexit Sphendosthlavus „ (post receptum ab Andronico patrem Terterem) cujus Sphendosthlavi quomodocumque illatæ mentioni, non incommode, quantum arbitror, adjungam prioris ejus „ fortunæ ac variorum casuum compendio collectam ab ultima pueritia notitiam. „ Infans adhuc relegatus cum matre Nicæam, ubi cum ea fuit in carcere, donec illa, una ex conditionibus supra memoratæ conventionis, libera remissa, ipse obses „ apud Romanos mansit. Postea vero satagente Joachimo Patriarcha Bulgariæ, qui „ occasione cujuspiam expectatæ affinitatis per matrimonium filiæ magni Stratopedarchæ Synadeni, legatus ad Imperatorem missus fuerat, restitutus patri est.

ditis captivis Græcis proceribus, libertate donatum in Bulgariam revocavit. Expeditione deinde sub annum 1303. in Andronicum suscepta, adversus Turcos tum bellum gerentem, Imperator Michaelem filium cum exercitu adversus Svestislavum misit, quo in bello Bulgari aliquot ad Hæmum montem oppida oppugnarunt. Verum pax inter utrumque Principem haud multo post composita, *Svestislavo Theodoram* ejusdem Michaelis filiam in uxorem accipiente. Obiit *Svestislavus* anno 1323. *Georgio Tertere*, hujus nominis secundo ejusdem Svestoslavi filio, patri in regnum succedente. Joannes Cantacuzenus histor. lib. 1. cap. 35. „ Sub idem tempus Sphentisthlabus Moesorum rex, quicum nupta erat Andronici minoris soror, morbo interiit: quem filius ejus Georgius Terteres excepit „. Narratis deinde tum Terteris in Græcorum ditionem, tum Andronici Imperatoris in Bulgariam incursionibus, subjungit cap. 36. „ Adhuc Byzantii morabatur junior Imperator, quum Terteres Moesorum Rex supremum diem vidit. Quo extincto, urbes Moesorum a Mesembria Stilbnum usque ad Romanos Imperatores sponte accesserunt; quibus senior delectos a se præfectos designavit. Boësilas (*Boësthlavus*) demortui Regis patruus, qui tum ad Romanos transfugerat, audito Regis obitu, reliqua Moesiæ oppida a Stilbno ad Copsin citra pugnam propter generis propinquitatem, se dedentia recepit; mittensque ad Imperatorem, ac se cum oppidis & exercitu in ejus arbitrio fore pollicens, Despotam Moesiæ se appellandi auctoritatem accepit. *Et paucis interpositis*.

XXXIV. Michael Strascimirus Rex Bulgariæ. Ejus filius Alexander Rex.

„ Sub idem tempus Moesorum Principes, Rege Tertere sine hærede mortuo, Michaelem Streantzimeri (*Strascimiri*) apud eos Dynastæ cujusdam filium, Bidynæ præfectum, e Moesis & Komanis per avos trahentem genus, advocant, Regemque suum declarant, Trinobo Sede regia cum reliquo Principatu ei tradito „. *Cetera, quæ Cangius ex Cantacucuzeno summatim sic refert*. Michael Strascimirus quum in Regem fuisset electus a Proceribus, a quibus Trinovum regni metropolim, & quod reliquum erat Bulgariæ oppidorum acceperat, confecto exercitu in Boëslavum movit, & in Græcos, qui post Georgii Terteris mortem complura expugnarant Bulga-

Bulgariæ oppida, quorum pleraque recepit, fugato etiam Boëslavo, qui quum a suis desertus esset, Constantinopolim ad Imp. Andronicum tandem concessit. Tum vero Michaël Theodoram Palæologinam ex Svestislao viduam, juniorisque Andronici Imperatoris sororem, uxorem duxit. Peractæ hæ nuptiæ sub annum 1324. Bulgaris ac Græcis (*a*) pacem conciliarunt. Ut porro has conficeret Michael, uxorem *Nedam*, Urosii Serviæ Regis filiam, ex qua liberos aliquot, atque in iis (*b*) *Sismanum* & *Joannem* susceperat, dimisit. Quod quidem gravi cum Stephano, Reginæ Nedæ fratre, bello originem dedit. Flagrantibus vero inter Græcos Principes bellis domesticis, senioris Andronici contra juniorem partibus in speciem favisse visus est, submissis auxiliis: pacem tamen cum juniore Andronico confecit, in mutuo deinde ad Sozopolim & Anchialum congressu firmatam. Exhinc (*c*) quum Stephanum Serviæ Regem in se copias apparare accepisset, hunc prævertere constituit, & cum quindecim millium exercitu Pæoniam in Triballos tendens ingressus est; interim dum Constantinopolitanus Imperator Pelagoniam Triballorum provinciam aggrederetur. Stephanus quum se a duobus potentissimis Principibus bello peti videret, cum Bulgaris acie primum dimicare statuit, incautumque Michaelem, missis tum ad pabulationem militibus, aggressus, prælium cum iis commisit, in quo Michael Strascimirus lethali accepto vulnere, quarto post die obiit, anno Chr. 1330. Initum hoc prælium mense Julio die 16. quo solis eclipsis circa horam duodecimam contigit. Hac parta a Stephano victoria, Græci confestim domum sese recipiunt. Interea Bulgari insigni clade perculsi, quo Stephani gratiam sibi conciliarent, ac imminentem Regno averterent calamitatem, *Theodora* & liberis exactis & pulsis, ejusdem Regis Stephani sororem *Nedam*, priorem Michaëlis uxorem, ejusque liberos revocant, Regni data administratione: qua tamen haud diu est potita. Nam extincto Stephano, duo ex potentioribus Bulgariæ proceribus, Raxinas Protove-

 stiarius

a Jo: Cantacuz. lib. 1. cap. 39. Niceph. Gregor. lib. 9. cap. 1.
b Jo: Cantacuz. lib. 3. cap. 2. pag. 352.
c Cantacuz. libr. 2. cap. 21. pagin. 262. Niceph. Gregor. libr. 9. capit. 12. numer. 1. 2. 3.

ſtiarius & Philippus Logotheta, conflata ſeditione, Nedam (*a*) e Bulgaria exegere, quæ cum liberis ad Stephanum Duſcianum Serviæ Regem nepotem inde ſe contulit. Id porro peractum aliquot annis poſt ſenioris Andronici mortem, quæ accidit anno 1332. Hæc Cangius.

Joannes Cantacuzenus lib. 9. c. 26. de Alexandro Straſcimiro, factione duorum Principum Raxinæ & Philippi, pulſa prima Michaëlis conjuge, Bulgarorum Rege creato: „ Illi „ (Raxinas ſcilicet & Philippus) aliis Moeſorum principibus „ in ſuam ſententiam adductis, Alexandrum Straſcimiri filium, τὸν ἀδελφιδοῦν τοῦ προβεβασιλευκότος Μιχαὴλ, Michaëlis, qui quondam regnavit, (*b*) ex ſorore natum, Regem ſibi legunt „. Statim igitur atque Rex dictus fuit, juniorem Andronicum bello impetiit, quod haud multo poſt ſopitum, pace inter utrumque Principem compoſita, ac *Michaëlis Aſanis*, Alexandri (*c*) Regis filii, cum *Maria* Palæologina Imperatoris filia, nuptiis firmata. Controverſiam præterea exercuit cum Belauro (*d*) parvo, qui oppida nonnulla invaſerat. Sed & Michaëlis Straſcimiri Regis ex priore cum Neda conjugio editos filios *Siſmanum* & *Joannem* exagitavit, quorum Joannes in Serviæ Regis aulam cum matre conceſſerat: Siſmanus vero ex Tartaria poſt Andronici junioris mortem, Conſtantinopolim venerat. Quum enim miſſis ad Joan-

a Male apud Cangium, *Theodoram*. Cantacuzen. lib. 2. cap. 26. Ineunte vere Byzantio accipiuntur literæ, duos Moeſorum Dynaſtas, Raſtinam protoveſtiarium & Philippum Logothetam, reginam ſuam, defuncti Michaelis uxorem, & cralis Stephani materteram, θείαν οὖσαν κράλη τοῦ Στεφάνου, regno per ſeditionem exouliſſe; quæ cum liberis ad Cralem ſororis ſuæ filium ſe contulit, πρὸς κράλην τὸν ἀδελφιδοῦν ἧκε.

b *Conſobrinum* vertit Latinus Nicephori Gregoræ interpres lib. 9. c. 13. Cangius vero, *ex Straſcimiro fratre Nepotem Michaelis* quondam Regis.

c Cantacuzen. l. 2. c. 34. Imperator rebus omnibus ad filiæ nuptias præparatis & inſtructis, Byzantio Adrianopolim ad eas ibidem peragendas profectus eſt. Eodem Rex Moeſorum Alexander cum filio Michaële Aſane, Rege jam a ſe nominato venit. *Et mox*. Diebuſque octo a Moeſis & Romanis in his factis nuptialibus conſumptis, die nono Alexander Rex & Moeſi, Imperatoris filiam Reginam ſuam Mariam e gente Palæologorum aſſumentes, in Mœſiam abducunt, multis eam ex Romana nobilitate uſque Trinobum proſequentibus. Niceph. Gregoras l. xi. c. 7. Imperator vero cum Domna uxore Adrianopolim profectus, matrimonium jampridem promiſſum, filia ſua, quæ annos novem expleverat, Alexandri Myſorum Principis filio data, annum ætatis decimumquintum agenti. Unde firma pax inter Myſos & Romanos conſtituta eſt.

d Cantacuz. l. 2. c. 27.

Joannem Palæologum Imp. legatis, Sisinanum sibi tradi (*a*) sub belli interminatione postulasset, Joanne Sisinanum Bulgarico Principi denegante, pene inter utrumque bellum exortum: Verum eo excedente ac in Ludovici Tarentini Neapolitani Regis aulam transeunte, pristina renovata sunt fœdera. Flagrantibus (*b*) deinde Joannem Imp. inter & Cantacuzenum bellis civilibus, Joanni favit, novem ab eo oppida in opis præstitæ mercedem consecutus. Ei pariter controversia fuit cum Stephano Dusciano Serviæ Rege, qui ejus sororem Helenam duxerat. Obiit Alexander secundum Luccarium anno 1350. vel juxta Orbinum anno 1353. Verum Alexandrum usque ad annum 1362. quo Callisto Patriarcha Constantinopolitano in legatione ad Cralænam Serviæ defuncto, Philotheus in Sedem Patriarchalem restitutus est, apertis verbis ostendit Jo: Cantacuzenus lib. 4. cap. 50. ubi narrato Callisti obitu, & sepultura, subjungit: „ Dum hæc fierent Imperator „ in urbes ad Pontum Mœsis subjectas duxit: fuit enim illi „ cum Alexandro Mœsorum Rege lis. Et Anchialum quidem „ primo inpetu cepit: Mesembriam vero, in continente ædi„ ficata turri ad angustias per quas erat aditus, & ex mari na„ vibus oppugnabat, premebatque incolas non parum, aquæ „ præsertim penuria; non enim procul ab oppido ex fonte „ quodam aquabantur. Tunc autem ab exercitu impediti op„ pidani, aquis & modicis & putidis utebantur. Alexander „ multis rationibus Imperatorem ab oppugnatione rejicere co„ natus est: nam & de suis copiis, & de barbaris in Thracia „ pecunia demulsis urbi submisit auxilium. Quo nullo effe„ ctu recedente, (quod Imperator & eos qui intus erant acri„ ter oppugnaret, & eos qui foris succurrebant, fortiter re„ pelleret) belli successu prorsus desperato, missis legatis, „ cum promissis se facturum omnia quæ Imperator postularet, „ commovit eum, ut pacem armis anteferret, & sumptus ab „ eo factos refecit, & pecuniam insuper non exiguam adjecit. „ Imperator turri eversa, Byzantium se retulit. Audiens

„ autem

a Idem l. 3. c. 2.

b Idem. l. 3. c. 66. Spopondit Alexander Joanni suppetias contra Cantacuzenum, Si sibi Stenimachi & Zepænæ majoresque urbes cum earum præsidiis mercedem dasent: erant autem novem: Zepæna, Crotzimus, Peristiza, Sancta Justina, Philippopolis, urbs eximia & ampla: Aëtus, Beadnus, Cosmicus.

„ autem Patriarcham (*Callistum*) in legatione mortuum, „ circumspiciebat, quem in Sede Patriarchica locaret, dans negotium Episcopis, ut de more conventum agentes, & Ecclesiæ Rectorem designantes, super eo certiorem se facerent. „ Ubi cunctis placuit Philotheum merito reducendum, & Imperator approbavit, in Ecclesiam eum reduxit, & in solio „ Patriarchæ constituit.

XXXV. Alexandri Regis filii Strascimirus, Asanes, & Michael Bellum Nicopolitanum anno 1393. gestum.

Cangius de Alexandri Bulgariæ Regis uxore & liberis in Famil. Dalmat. cap. 7. num. 48. edit. Paris pag. 324. „ Uxorem primis nuptiis duxerat, cujus nomen & familiam subticuere Scriptores, ex qua *Michaelem*, & *Strascimirum* procreavit. At nescio, cujus Judææ, quæ ob aliquam controversiam eum convenerat, eximia forma captus, Baptismo prius initiatam, prioreque in castello quodam inclusa, hanc sibi adjunxit uxorem, ex quo altero matrimonio nati deinde tres filii *Sismanus*, *Asan* vel *Asegna*, & tertius, cujus nomen excidit. Quum illa vero alterum ex priore matrimonio Alexandri filium veneno sustulisset, ne pari scelere in alterum grassaretur, *Strascimirum* cum matre ab aula semovit, Vidinensis oppidi præfectura ei demandata. Tametsi istius filii veneno sublati nomem (*a*) qui hæcce tradidit, haud prodat Orbinus, probabile tamen videtur esse *Michaelem Asanem*, quem parens Bulgariæ Regem coronari curaverat, cuique *Mariam Palæologinam* Andronici junioris Imperatoris ex Anna Sabauda filiam uxorem dederat. „ Quidam scripsere inter liberos Regnum divisisse Alexandrum, ac Vidinum (*b*) cum aliquot adjacentibus Danubio oppidis dedisse *Strascimiro*: Preslavam *Asani* cum vicinis Thraciæ castellis: ac *Sismano* denique Ternobum, Slavizam, Uurazam, & Sophiam. Strascimirus vero longius se ab aula quasi exulem conspicatus, alteriusque parentis conjugii liberos haud passus sibi præferri, ab eo palam deficit; Regemque Bulgariæ se inscribit. At Ludovicus „ Hungariæ Rex (*c*) ob exortam aliquam controversiam, „ con-

---

a Orbin. pag. 472.
b Olim Viminacium.
c Obiit anno 1382. die 11. Sept. Thuroczius de Ludovico Rege c. 35. Post hæc Regnum Bulgariæ Sacræ Coronæ Hungariæ subjectum, cum magna potentia intravit: & Bo-

„ conſcripto valido exercitu, in Bulgariam deſcendens, expugnatis Straſcimiri ditionibus, captum illlum, ac in Hungariam abductum, in Gomnecho ſeu Gemlecho caſtello, „ quod Zagabriæ Archiepiſcopi erat, includit, proceri Hungaro tradita Vidini præfectura: tandem poſt duodecennium libertatem Vidinumque conſequitur a Ludovico, fidelitatis in poſterum præſtito ſacramento. Binæ porro extitere Straſcimiro filiæ, quarum altera *Dorothea* Tuvarko „ Boſnenſi Bano ac Regi nuptum eſt data. *Siſmanus* Alexandro „ patri in Bulgariæ Regnum ſucceſſit. *Marcus* (a) a Phranze „ nuncupatur. *Crajovichii* Paulus Jovius, *Cratevichii* vero „ cognomen tribuit Leunclavius. De Regni ſucceſſione bellum ei fuit cum Straſcimiro; prælioque inito, *Aſegna* ſeu „ *Aſan* Siſmani frater vitam amiſit. Inter hæc domeſtica diſſidia, Sultanus *Turcorum* Amurates I. miſſo in Bulgariam, „ Scachia Duce, valido exercitu, maximam Regni partem „ occupavit, profligato ac deleto Siſmano. Pace tandem „ cum Turcis compoſita, Siſmanus filiam Amurati uxorem „ dedit. Bajazetes deinde Amuratis filius ac ſucceſſor, quod „ Bulgarici Regni ſupererat expugnavit, Sigiſmundo Imperatore Rege Hungariæ fruſtra de Sultano querente, quod „ quum fœdus invicem intercederet, Bulgariam Clientelæ „ jure Hungarico Regno obnoxiam invaderet. Quod quidem „ diſſolvendæ paci, infauſtoque ad Nicopolim prælio ſub „ ann. 1396., in quo deletus Chriſtianorum exercitus, occaſionem præbuit. Nonnulli Scriptores Bulgariam in Turcorum poteſtatem veniſſe volunt ſub ann. 1374. ac inter

„ præ-

& Bodon civitatem capiens, Regnum ſibi ſubjugavit, Principem ipſius nomine Strachimerum, qui ſe Imperatorem Bulgariæ nominabat, capiens & in Hungariam tranſmittens &c.

a Georg. Phranzes l. 1. c.18. Andronicus itaque (Joannis Palæologi filius & Manuelis frater) „ Exoculatus ille, occaſione oblata, conſultiſque ſuper ea re animis „ quibuſdam, & conjugis ſuæ propinquis, & Socero Marco, qui adhuc partem „ Bulgariæ obtinebat, unacum filio Joanne ad Bajazetem ſupplex confugit &c. „ Nimirum circa ann. 1391. quando Joanne mortuo, *Manuel* filius Imperium iniit. Laonicus Chalcocondylas l. 2. p.41. pro Siſmano & Marco, eum appellat *Myrxam*, *Μύρξαν*: additque: „ Myrxas hic concumbens ſæpius cum pellice, filios ſpurios ex „ ea tulit non paucos in Dacia. Hinc mortuo Myrxa, naſcebantur frequenter alii „ Dacorum Duces, qui uſque ad hoc tempus in Regno durarunt „. Cauſam vero belli a Bajazete adverſus illum moti, hanc refert. „ Contra iſtum Myrxam Pajazites „ crimini dans, quod prior incipiens bellum, ſocia arma junxiſſet Sigiſmundo Romanorum Imperatori, cum exercitu profectus eſt &c.

„ præliandum Sifmanum interfectum. Scribunt alii, Sifmano „ a Bajazete in prælio capto, quo vitam parenti fervaret, „ filium Mahometanam religionem amplexum: quem poftea „ variis in bellis exercituum, fed & Provinciarum Præfectura „ donavit Sultanus. Habuit præterea Sifmanus filiam, Andro„ nico Palæologo, Joannis Imperatoris filio primogenito, „ nuptam. Videtur porro fcribere Laonicus, Sifmanum Ju„ dæam illam, cujus fupra meminimus, uxorem duxiffe, „ quod alii parenti adfcribunt. *Mariam* Lazari Serviæ Def„ potæ filiam Sifmano uxorem fuiffe, tradit Luccarius: ex „ hacque natam filiam, quam Andronico Palæologo matri„ monio copulavit: ex qua quidem contracta affinitate Sifma„ nus Andronici confilia adjuvit, quum parentem aliquandiu „ Conftantinopoli detinuit, Bulgaris militibus commiffa illius „ cuftodia „. Hactenus Cangius: qui ficuti in anno obitus Regis Alexandri erravit, errantes fcriptores fecutus; ita non minus deceptus eft tum in enumeratione filiorum Alexandri, tum in epocha belli a Bajazete adverfus Sifmanum Alexandri filium ad Nicopolim anno (ut inquit) 1396. commiffi.

Non fum nefcius, Thurocziuni in Sigifmundo Imp. & Hungariæ Rege cap. 8. p. 126. id prælium ad *annum Chr.* 1396. referre, *Regni Sigifmundi decimum*, circa *feftum S. Michaelis Archangeli*, hoc eft, circa diem 29. Septembris. Bonfinius quoque Decad. 3. lib. 2. „ Salutis (inquit) anno nonagefimo „ fexto fupra tredecies centenum, promulgata belli fama, „ delectus maximus habetur. *Et infra*. coacto igitur exercitu, „ comparatifque rebus omnibus, quæ bello ufui forent, ex „ Hungaria in Raffiam, quæ in fuperiore Myfia continetur, „ caftra movet... At ubi in Bulgariam, quæ in inferiore My„ fia continetur, defcenfum eft, Oriftum & Budinum, non„ nullaque alia caftella Turcorum firmata præfidiis multo fan„ guine expugnata. Kalendis Octobris ad majorem Nicopolim „ Sigifmundus caftra movit: ab una Iftri ripa major, ab alte„ ra minor Nicopolis eft fita; hæc Trajani, Hadriani illa vi„ ctoriæ monumentum, ut quorumdam eft opinio „. Et narrata Gallorum cæde, fubdit. „ Turcus cæfo Gallo a tergo „ inftat; palantes Hungari fugiunt: magna in fuga cædes pa„ trata: defatigatus e cæde hoftis, ad capturam & quæftum
„ fe

„ se cognoverit : maximus captivorum fit numerus : quin „ etiam Sigismundus quoque , qui cœli ruinam paulo ante „ contemserat, in manum hostium pervenisset , nisi parva „ cymba Danubium trajecisset. In hoc prælio viginti millia „ Christianorum cecidere : ex Turcis sexaginta millia desi„ derata. Trajecto Danubio, reformidato Hungarorum im„ petu ob rem male gestam , in Thraciam Constantinopolim „ Rex effugit : inde navigavit Rhodum ; & Ægæum Jonium„ que pelagus emensus, in Dalmatiam , lustrataque Dalma„ tiæ ora, in Croatiam venit.

Verum Annales Turcici , *Nicopolim* quidem a Bajazite expugnatam produnt anno Hagiræ 794. inchoato die 19. Nov. anni Chr. 1391. *Bellum* autem ab eodem Bajazite cum Hungaris & Dacis aliisque Christianis ad Nicopolim commissum referunt ad annum Hegiræ 796. inchoatum die 6. Nov. anni Chr. 1393. Ita habent & Arabici Annales. Leunclavius quoque in Annal. Turcic. edit. Paris. pag. 318. „ Rex Ungaro„ rum cum exercitu ad Nigebolim, (*Nicopolim*) accessit ; „ eo Bajazites cognito , soluta Constantinopolis obsidione , „ recta Nigebolim suos ducit . Ad hostem ubi perventum „ fuisset, multoties levibus præliis, atque etiam acie non „ nunquam juxta dimicatum inter utrosque. Tandem no„ cturna impressione Christianos adortus, adeo repentino & „ inopinato impetu exterruit, ut eorum plerique in Danu„ bium præcipitare se cogerentur , & in ipso flumine ma„ gno numero submersi perirent, reliqui fœdam semet in „ fugam conjicerent . Factum hoc anno (Hegiræ) 794. „ Christi 1393.

Georgius Phranzes Protovestiarius histor. lib. 1. cap.19. annum quo hæc acta sint, notat mundi quidem 6900. Christi vero 1392. nisi mendum sit in notis arithmeticis : fortasse enim pro *anno mundi* 6900. *Christi* 1402. [qui certe error est manifestus) aut olim legebatur, aut reponi debet *ann. mundi* 6901. *Christi* 1393. sic autem scribit : „ Bajazetes Bulgariam inva„ dit, partemque non minimam sibi subdit . Sigismundus „ Germaniæ Rex, ubi super ea re nuncium accepit, legatio„ nem mittit, cujus summa hæc fuit : non videri ex justitia, „ quum sint amici, ipsum Bulgariæ manum injicere ; jus pro-

„ vinciæ illius ad Regni ſui jura pertinere. Bajazetes Legato
„ reſponſum non reddidit; ſed manu apprehenſum, in do-
„ mum amplam, omni genere armorum bellicorum bene di-
„ ſpoſitorum præparatorumque refertam, deduxit. Tum ſic
„ virum compellavit: Renuncia Domino & Regi tuo, jus
„ meum & adminiſtrationem quam habeo in Bulgaria, hæc
„ arma & hunc apparatum eſſe, quem vidiſti. Sigiſmundus
„ hæc a Legato audiens, & ex iis arrogantes Ameræ ſpiritus
„ facile conjiciens, præcipuo quodam dolore angitur, ac ſine
„ cunctatione exercitum è conductitiis non contemnendum
„ conſcribit: ſuos item armat: multos præterea Principes ſuo
„ ipſorum ſumptu ſecum militatum invitat. Graditur nobilis
„ exercitus maxima cum lætitia, generoſi animi & virilitatis
„ plenus. Omnia Turcorum Caſtella præſidiaria capit, ſubji-
„ cit, diripit, evertit, veluti quum flamma in ſegetem, aut
„ aridam ſilvam furentibus auſtris incidit: idque donec Nico-
„ polim perventum eſt. Sigiſmundus nihilominus aliunde
„ Bajazetem bello laceſſere cupiens, occulte Legatum ad Ma-
„ nuelem & ad alios (*a*) Principes, de quibus ſupra men-
„ tio habita, mittit, uti ſeſe ad hoſtem Fidei Chriſtianæ fundi-
„ tus, ſi poſſit, extinguendum inſtruant atque comparent.
„ Illi tempus aptum, ut terra ſitiens aquas è cœlo, expectan-
„ tes, Legatum lætabundi excipiunt, bello neceſſaria clande-
„ ſtine provident. Bajazetes infeſto Sigiſmundi adventu com-
„ perto cruciatur animi, nec metu caret. Copias ſuas celeri-
„ ter contrahere & armare inſtat: hoſtibus obviam procedit.
„ Exercitibus jam propinquis, Germani & Galli pugnam pri-
„ mi cient. Verum ex illorum imprudentia & levitate Chri-
„ ſtiana res labefactata eſt, & exercitus univerſus diſſipatus
„ periit. Fugiebant ſine reſpectu: multos Turci in fuga pe-
„ rimebant, multos capiebant. Nec obſcuri ſolum & grega-
„ rii milites, ſed etiam illuſtres, honorati, & nobiles amiſſa
„ libertate adducebantur magno numero, in quibus Dux Bur-
„ gundiæ, Comes Aberſiæ, & magnus Architriclinus Regis
„ Franciæ. Vix etiam & ſumma ope Rex Sigiſmundus cum
„ Ma-

a Theodorum ſcilicet Manuelis fratrem, & Conſtantinum Draguſem, & Serviæ Deſpotam Stephanum, & Paulum Manimonam Monembaſiæ in Peloponneſo Gubernatorem.

„ Magistro Ordinis Rhodiensium, qui Crucem pro insigni ge„ stant, navigiolo invento, & Istro trajecto, salutem expedi„ verunt. Ameras omnibus impedimentis & sarcinis acquisi„ tis, tamque admirabilem victoriam præter opinionem con„ secutus, gloria & lætitia redundavit. At enim videns Ma„ nuelem, cæterosque Principes, de quibus supra, conven„ tis non stetisse, ut se sequerentur, & doctus de omnibus, „ quæ adversus se deliberassent, bellum grave indixit, & an„ no (a) Mundi 6900. Christi 1392. urbi terra marique „ obsidione admota, omnimodis eam longo tempore oppu„ gnavit. Quum eo cum exercitu pergeret, terram Byzan„ tinam singulasque regiones gravissima vastitate afflixit: sub„ urbanaque omnia diripuit. Et quoniam Urbis oppugnatio „ parum procedebat, reversus est domum, singulisque annis „ misit exercitus, obsidionemque illam toto decennio conti„ nuavit „. Nimirum usque ad annum circiter 1401. quo in Orientem progressus, a Temire Tartarorum Rege fusus captusque fuit mense Julio die 28. anno Chr. 1402. Hegiræ 804. uti idem Phranzes scribit cap. 22. ineunte, qui seipsum cap. 21. extremo natum ait anno Mundi 6909. Chr. 1401. die Augusti trigesimo, a decimo autem anno post nongentesimum, usque ad octogesimum sextum, idest usque ad ann. Chr. 1478. quæ ex multis præcipua evenerunt, & memoria digna visa sunt, perscripturum se pollicetur. Colophon enim ipsius Chronico (uti ad calcem historiæ habet) impositus est anno ab orbe condito 6985. Christi 1477. Martii vigesimo nono, Indictione (b) undecima.

XXXVI. Qui post Alexandrum Bulgariæ Regem regnarunt, Myrxa, Draules, & alii, Daciam seu Valachiam tenuere usque ad ann. 1462.

Atque hæc de epocha belli Nicopolitani. Ad filios vero Alexandri Bulgariæ Regis quod spectat, Laonicus Chalcocondylas, illos si non in tota Bulgaria, at saltem in Dacia seu Valachia, usque ad annum Christi 1462. regnasse perhibet. Sic enim scribit lib. 2. pag. 36. „ Interim autem nunciatum est „ Pajaziti, Pannones, Duce Sigismundo Ῥωμαίων Βασιλέως

a Vide supra de hoc anno. Leunclavius ad annum Hegiræ 794. „ Hoc bello „ (ad Nicopolim) confecto, rursus in Constantinum (leg. Constantinopolim) ar„ ma convertit Sed composita pax fuit, ea conditione, ut infra Constantiopolis „ mœnia, Gildiruois Chauis subditi jus haberent vicum unum inhabitandi.

b Legendum, *Indictione decima*, inchoata a Kalendis Septembris anni Christi 1476. quæ die Martii 29. in cursu erat.

„ *καὶ αὐτοκράτορος*, Romanorum Rege (*a*) & Imperatore, & „ Gallos, Germanosque non paucos in unum collectos, bel- „ lum ipsi inferre decrevisse: jamque Istrum transire parare, „ allectis & (*b*) Dacis, hominum genere non ignobili, qui „ viæ sint duces, exercitumque ducant in hostilem regio- „ nem „. Deinde clade Christianorum ad Nicopolim descriptæ subjungit alteram expeditionem a Bajazite adversus *Myrxam*, quem *Dacorum Principem* vocant, susceptam. „ Postea „ Bajazites [inquit pag. 40., idest, post cladem Nicopolita- „ nam, quam Christianis intulerat] missis exercitibus, Pan- „ noniam, & Pannodaciam [al. *Pęonodaciam*] vastabat. Tem- „ pore autem aliquantulo interposito, bellum Myrxæ (*c*) Da- „ ciæ Duci intulit, crimini ei dans, quod prior adjungens se „ Pannonibus, contra se bellum gesserit „. Additque in eo prælio Myrxam fortiter se gessisse, ita ut Bajazitem, ad sua se recipere compulerit. „ Contra Istrum Myrxam [pag. 41.] „ Pajazites crimini dans, quod prior incipiens bellum, so- „ cia arma junxisset Sigismundo *Ῥωμαίων αὐτοκράτορι* Roma- „ norum Imperatori, cum exercitu profectus est. Trajecto „ Istro porro progressus, prædam mancipiorum multam ex „ ista regione rapiebat. Myrxas collecta manu non modica „ suorum, quando obviam procederet hosti, præliumque „ committeret, nullo modo consultabat. Uxores & liberos in „ montem Prasobum [*idest Hæmum*] deponens, sequebatur Pa- „ jazites exercitum per glandiferas istius regionis silvas, quæ „ quum plurimæ ibi sint, regionem ambiunt, adeo ut eam „ difficilem accessu hostibus præstent, captuque haud faci- „ lem. Myrxas sequens Pajazitis exercitum, insignia virtutis „ opera faciebat, impigre cum hostibus manus conserens, si- „ cubi

a Latinus Interpres „ Romanorum Cæsare & Imperatore „ minus recte. Fallitur etiam Laonicus, dum ad annum 1393. quo bellum Nicopolitanum gestum est, Sigismundum vocat Romanorum Regem & Imperatorem. Nam Imperator non ante annum 1411. creatus est.

b Latinus Interpres ad ea Laonici verba pag. 38. „ Sigismundus quoque se ad „ bellum parabat, conscribens exercitum ex Germanis, quoscumque potuit, mer- „ cede conducens. Quum jam ad bellum foret instructus, assumptisque Pannonia „ bus & Dacis (qui & Valachi) qui itinera monstrarent, recta per Istrum contra „ Pajazitem copias duxit „. Ad ea, inquam, Laonici verba de *Dacis*, addit de suo: *Qui & Valachi*. Recte tamen Dacos pro Valachis accepit, juxta mentem Laonici.

c Lat. Interpres addit: *Nostri Marcum vocant*.

,, cubi avulsi erant ab reliquo exercitu, aut sicubi frumentatum,
,, aut ad prædas pecoris agendas se convertissent. Et in hunc
,, modum sequens hostilem exercitum, magna audacia fretus,
,, ex aperto cum hoste conflixit. Ajunt, Myrxam transeunti
,, exercitui graviter institisse: quumque staret in loco admo-
,, dum difficili, hostilem exercitum adortus est, nec cessavit
,, hostem fortiter mactare. Ibi Brenezes Regius Minister,
,, quum bonum dedisset consilium, videlicet ut castra eo loci
,, communirent, mali liberationem invenerunt.. Pajazites,
,, sicut consuluerat Brenezes, eo loci castra metatus est, &
,, quiete per eum diem exercitum recreavit. Postera autem
,, die exercitum, quam potuit tutissime transmisso Istro, in
,, suam regionem reduxit. In hunc modum exercitus, quem
,, contra Dacos duxerat, domum reversus est,,. Demum narrata Bajazitis Turcorum Regis infausta adversus Temirem Tartarorum Regem expeditione, in qua ipse Bajazites, fuso profligatoque ejus exercitu, die 28. Julii anno 1402. captus est, & post octo menses interiit, ad filiorum ejusdem Bajazitis altercationes de regno capessendo describendas progreditur lib. 4. ineunte, sic scribens: ,, Ut primum Musulmanes
,, (*a*) regnare cœpit, *Moses* (*b*) qui dimissus erat a Rege
,, Temire, mari advehebatur ad patriam regionem. Adve-
,, niens autem ad Homiris (*c*) filios, Musulmanis hostes,
,, quia socia arma contulerat cum Jesu, (*d*) accedens quo-
,, que Sinopem & Castamonem, & hinc in Daciam, transmis-
,, so Euxino Ponto, perveniens, ad colloquium cum *Myrxa*
,, Daciæ (*e*) præfecto venit, *ἐπὶ Μύρξαν τὸν Δακίας ἡγεμό-*
,, *να*. Inter cetera vero talis erat Mosis petitio: si ejus auxi-
,, lio adjutus Rex crearetur, se daturum ei reditus magnos in
,, Europa, & assignaturum regionem non modicam: erat
,, enim Græcorum hostis: præterea Byzantii, filium Myrxæ
,, susceperunt, promiseruntque se huic, & Musulmani Re-
,, gnum tradituros. Myrxas quidem Mosen benigne lubenti-
,, que

a *Solimanus* scilicet, seu *Salomon*. Sic enim Arabes & Turci *Salomonis* nomen efferunt.

b Turcis. *Musa* vocatur.

c Qui Caramaniam sive Ciliciam tenebant.

d *Isa* Turcis, unus scilicet ex Bajaziti filiis. Ita *Jesum* vocant.

Lat. Interpres addit de suo: *Dacia quæ & Servia*: perperam.

„ que animo excipiebat, eique victum & necessaria promptissime suppeditabat; eidem quoque exercitum dedit. Quum autem undique ad hunc confluerent ex Europa quotquot infensi erant Musulmani (aberat enim, in Asia agens) quia non satis digne ab ipso tractarentur, expeditionem sumsit contra fratrem, assumtis quotquot convenerant. Habuit & Dacorum exercitum magnum, quum prius Tanum (*a*) eorum Ducem sibi conciliasset, *ἐπισπομένου αὐτῷ καὶ Τάνου* (al. *ὑπάνου*) *τοῦ Δακῶν ἡγεμόνος*. His copiis instructus, Europam subegit, & Adrianopolim, quæ Regni sedes est, profectus, ibi Rex declaratus est „. Mox refert prælium a Mose cum fratre Musulmane seu Solimano commissum, in quo Solimanus victor exstitit: „ Moses enim habebat Dacos, Triballos, & Stephanum Eleazari filium „. Sed Stephanus, exercitu in ordines explicato, [ut pactus erat cum Græcorum Imperatore & Solimano] turpiter transfugerat Byzantium. Moses igitur a fratre in prælio victus, „ Venit in regionem Istro adjacentem, & conversatus cum Myrdano (*b*) Daciæ Rectore, *Μυρδάνῳ τῷ Δακίας ἡγεμόνι*, cum quo antea intervenerat familiaritas, moratus est juxta Hęmum, alium ex alio subinde locum mutans „. Tandem deficientibus a Solimano ad Mosen Turcis, dum Solimanus Byzantium fugiens contenderet, comprehensus & ad Mosen adductus, ab ipso statim necari jussus est anno circiter Christi 1411. Hegiræ Mahometanæ 813. Itaque juxta Chalcocondylam, *Myrxa* Alexandri Bulgariæ Regis filius, saltem usque ad ann. Chr. 1410. in vivis erat. Nisi dicamus, *Myrxam* illum, a quo Sultanus Moses exceptus fuit, quique usque ad annum Chr. 1410. Dacis sive Bulgaris & Valachis præerat, non Alexandri filium fuisse, sed ex filio nepotem. Nam Myrxam patrem Bajazites Amuratis filius post eam, quum supra narravi, adversus Sigismundum Hungariæ Regem expeditionem, Bulgarico Regno exuisse dicitur, eodem Chalcocondyla lib. 5. pag. 133. teste,

a Al. *Ttanum*. Lat. Interpres in margine: *Alii etiam Danum* vocant, & *Daam Valachia Principem*.

b Lat. Interpres in margine; *Dano vel Danao*, *Taino*, *Myrxis filio*. Fallitur. *Danus enim Masarampis filius* disertim a Laonico appellatur: & ex Myrxæ Duce, post ejusdem Myrxæ mortem aut abdicationem, dicitur Principatum Daciæ adversus *Draculem* Myrxæ filium suscepisse.

teste, his verbis: „ Hujus enim patrem [Depanis scilicet, quem Albani sub Amurate Secundo, Mechmetis filio, Bajazitis Primi nepote, sibi Ducem & Principem elegerunt:] „ Hujus, inquam, patrem quum ejecisset è sua regione Paja- „ zites Amuratis filius, exactis quoque Myrxa, & Canino- „ rum Principe, nec non aliis Ducibus plurimis, illa regione „ potitus est „. Ac propterea extincto etiam Myrxa juniore, senioris filio, qui anno Christi 1410. [ut modo dicebam] in vivis erat, Dracules primum, deinde Danus seu Tanus Mysis Dacisque præfecti sunt, quemadmodum idem Chalcocondylas lib. 5. pag. 138. subjungit. „ Pannones, Duce Choniate, „ [*idest Joanne Huniade*] profecti sunt in Daciam, & Du- „ cem Danum nomine regioni præfecerunt, Dacosque ei ob- „ temperare jusserunt. Danus igitur, expulso Dracule, qui „ ad Januas [idest *ad Sultanum Amuratem Secundum*] con- „ fugerat, Daciam obtinuit, omnesque Draculis propinquos „ & necessarios, ubicumque aliquem superstitem accipiebat, „ peremit. Hi Duces traduntur fuisse filii nothi, qui Myrxæ „ nati sunt: & quosdam horum, quum putarentur esse Myr- „ xæ filii, ab regionis incolis genere opibusque plurimum „ pollentibus, in Daciæ Ducatum subvectos esse: quasi Da- „ cis plurimum conduceret, si isti in ea regione præessent, re- „ rumque summa potirentur: quorum unum atque alterum „ percunctando, cognovi genus & parentes: verum nomina „ eorum non omnibus significabo. Danus ea tempestate a „ Pannonibus in Dacorum Principatum collocatus, Daciam „ tenuit, & deinceps Pannones arctissime coluit. Quum autem „ inquietaretur subinde ab Regis Ducibus prope Istrum col- „ locatis, qui clam ipsius regionem populationibus divexa- „ bant, missis Legatis ad Regem, pacem oravit, quam haud „ gravatim consecutus est, hac tamen conditione, ut quo- „ tannis Regi, tributi nomine, daret tria millia sagittarum, „ & clypeorum quatuor millia. Daciæ res ita ordinans, quem- „ admodum sibi commodissime fore rebatur, eam pulchre „ imperio rexit. Legatum ire jussit ad Pogdaniæ nigræ Prin- „ cipem, cum quo pacem fecit, cui etiam affinitas juncta est, „ qua excitus, eum enixe adjuvit in bello, quod cum Dracu- „ le gessit. Daciæ Principatus in hunc modum ab novo Prin-

„ cipe

„ cipe reformatus & instructus est „. Amurates Mechmetis filius, qui patre anno Hegiræ 824. Chr. 1421. defuncto successit, Draculis partes suscepit. Laonicus lib. 6. ineunte pagin. 149. „ Amurates, Mechmetis filius, post expeditionem, „ quam contra Caramanum sumserat, bellum Dacis intulit, „ volens Draculis filium suo restituere Principatui „. Draculis filium appellat ipsum *Draculem*: qui suo restitutus Principatui, adversus Sultanum Amuratem anno 1444. in bello ad Varnam partes Hungarorum secutus est. Idem Laonicus de famoso illo bello, in quo Hungari victi, & Rex Ladislaus unacum Juliano Cæsarino Cardinali cæsus fuit, lib. 6. pag. 171. „ Adhibuerunt Pannones in belli societatem Dacos & Draculem „ Myrxæ (*a*) filium, qui ipse aderat promptus & auxilia„ ris ad id bellum, offerens decem millia Equitum „. Et lib. 7. pag. 178. „ Ceciderunt ibidem & alii boni viri complu„ res, Daci etiam aliquot desiderati sunt. Joannes (*Hunia„ des*) quum ad Istrum venisset, exercitusque traduxisset, „ dispersi sunt milites. Quum ipse stipatus paucis incederet, „ captus est ab suo hoste Dracule Dacorum Principe. Nam „ Choniates (*Huniades*) antea huic inter Pannones adversa„ tus erat in conspectu Regis Uladislai: & iter faciens ex Da„ cia & Istrum trajiciens cum copiis, urbes ejus diripiebat. „ Præterea detulit eum apud Regem Uladislaum, quasi fave„ ret Turcis, & res Amuratis sedulo adjuvaret, subinde Pan„ nonum consilia iis significando. Verum Dracules in eum ir„ ruit ira percitus, quasi eum interfecturus: sed pecunia tan„ tum effecit, ut incolumis dimitteretur, & inviolatus. „ Quum autem iret per Daciam, captus est ab Dracule, a quo „ in carcerem conjectus est, eum ulcisci in animum quum in„ duxisset. Pannones in patriam reversi, quum accepissent „ Joannem esse captum, id grave & intolerandum judicabant. „ Haud enim ferendum censebatur, ut vir Pannonius & in di„ gnitate collocatus, ab Dracule caperetur. Quapropter mise„ runt legatos, qui juberent, ut dimitteret Joannem; sin „ minus, sciat, nos eum pro hoste habituros, & cum univer„ sis copiis nostris contra ipsum profecturos. Hęc quum nun„ ciarentur a Pannonibus, sibi suisque metuens Dracules, ne „ quid,

a Lat. Interpres. *Myrxæ sive Marci filium*.

„ quid furiosius consultarent, & hostiliter accedentes, virum vi eriperent, Choniatem dimittere decrevit: benigneque eum tractans, haud cessavit eum comitari per Prasobum, Ardelium (*a*) usque ad Pannones. Draculem autem haud multo post Choniates, quum expeditionem pro Dano Daciæ principe suscepit, una cum filio peremit. Nam conscripto exercitu, Danum Masarampis filium in Daciam reducere parabat. At Dracules una cum filio repugnare hostibus statuebat: & præparabantur ambo ad prælium, & jam ille descenderat in aciem. Quumque acies utrinque instructæ constitissent, Daci relicto Myrxæ filio, ad Danum ex acie transfugerant. Qui ubi vidit, se relicto, Dacos transire ad Danum, fugam inibat: quem fuga sibi consulentem Danus quam fortissime persecutus est, comprehendensque Draculem unacum filio, utrumque trucidavit „. Danus rerum potitus, Joannem Huniadem in bello adversus Amuratem anno 1448. suscepto, adjuvit. Laonicus lib. 7. pag. 189. „ Dextrum cornu tenuere Pannonum præfecti, necnon patrueles Choniatis, Secules, & Eiloces, & Megaluses. Mediam aciem curabat Choniates cum Bitezidis militibus, & Ardelii exercitu. Sinistro cornu præfuit Danus, Choniatis amicus, quem in Daciæ principatum produxit, odio Draculis, quem Daciæ principatu deturbavit, & in ejus locum substituit Danum, cui Dacos parere jussit: hunc in id bellum secuta erant octo millia Dacorum „. Succubuere Hungari & Daci. Quamobrem iidem Daci, missis ad Amuratem legatis, [ut prosequitur Laonicus pag. 194.] a Pannonibus defecerunt: quumque ad januas Sultani venissent, ejus jussu, a Turcis circumdati, omnes ad unum sunt trucidati. Tum vero *Uladus* [al. Bladus, idest Uladislaus] *Draculis* filius, principatum Daciæ obtinuit. Laonicus narrata Trapezuntini Imperii expugnatione a *Mechmete* Amuratis filio anno Heg. 865. Christi 1461. facta, de eodem Sultano Mechmete lib. IX. pag. 265. sic scribit: „ Ea autem quæ sequebatur hieme, in regni sede manens, vocabat *Bladum*, Draculis filium, Ducem Daciæ. Nam hujus fratrem juniorem apud se habebat, eoque per

a Transylvaniam scilicet.

„ amorem turpiter abutebatur, & in suum convictum adhibe- „ bat. *Et post pauca*. Verum haud multo post, pueri hujus „ fratri, quem Bladum nominant, Daciæ principatum Rex (*a*) „ permisit. Opera igitur Regis adjutus, accedens Bladus, „ Draculis filius, principatum Daciæ occupavit „. Cetera de Bladi defectione, motoque adversus eum a Sultano Mechmete bello: & quomodo *Dracules*, junior frater (*b*) Bladi, Dacos quum ad defectionem a fratre sollicitasset; „ hi „ in unum congregati, decreverunt utilius esse & consultius „ obtemperare Draculi potius, quam Blado principi. Euntes „ igitur paulatim ad Draculem juniorem Bladi fratrem colli- „ gebantur. Quod ubi acceperunt reliqui, & ipsi ad fratrem „ ejus Draculem transitionem fecere. Exinde contracto exer- „ citu haud contemnendo, & adducto simul regio [*Turcico*] „ exercitu, Ducatum & regionem in ditionis Regis (*Mech- „ metis*) redigebat. Bladus cognito Dacos ad fratrem confu- „ gisse, quum sciret omnia frustra tentari, quod antea suo- „ rum fecisset cædem, in Pannoniam abiit „. Verba hæc sunt Laonici extremo libro nono: qui addit ineunte libro decimo: „ Expeditio Regis (*Sultani scilicet Mahometis*) in Dacos „ hunc finem habuit. Bladus, fratre Dracule accedente, & „ Daciam subigente, ad Pannones se recepit. Pannones, „ quorum propinquos & consanguineos in Dacia crudeliter „ peremerat, capitis eum coram suo Rege Matthia Choniatis „ filio anquisiverunt, quum sententiam contra ipsum protu- „ lissent

a Mechmetes scil. seu Mahometus, Turcorum Sultanus, qui Amurati patri anno 1450. defuncto successit, & anno 1453. Constantinopolim cepit, & anno 1461. Trapezunte expugnata, Davidem Imperatorem unacum filiis & patruele Byzantium adductum necavit, filia ejus in suum cubiculum accersita. Laonicus lib. 9. pag. 265.

b Notavi supra ex Georg. Reychersdorff Transylvano in Chorographia Moldaviæ *Mirxam* nominari ab illo Scriptore, qui appellatur *Dracules*, junior Bladi frater. Verba ejus accipe. „ In Transalpina provincia quidam Mircza, qui (ut ajunt) „ pluribus annis in aula Cæsaris Turcarum versatus, & tandem non multis ante an- „ nis, priori illius terræ Vayvoda Vvlad nominato, e medio sublato, authoritate „ Turcarum Cæsaris in dominium istius provinciæ restitutus est. quem sua crude- „ litate & tyrannide prædecessores Vayvodas ejusdem provinciæ multo superare fe- „ runt „. Huic Draculi seu Myrxæ videtur successisse *Stephanus Valachus*, de quo Hofmannus ad ann. Chr. 1484. Alios Ungaro Valachiæ Vayvodas, ex Montfauconio in Palæographia ibidem recensui. Bzovius ad ann. 1463. Dragulem juniorem fratrem Bladi, *Joannem* appellat, a quo & Bladum seu Uladislaum interfectum scribit, eundemque Joannem a Rege Hungariæ Matthia captum anno 1462. Sed Laonici narratio mihi videtur verisimilior.

„ lissent gravissimam, ut qui præter jus & fas homines occi-
„ disset, Belgradum ductus, ibi in carcerem impactus est „.
Hæc ad annum Hegiræ 866. Chr. 1462. contigisse, Annales
Turcici produnt.

XXXVII. Codex Vaticanus Slavicus, Constantini Manassis compendium chronicum, e Græco in Slavicam linguam conversum complectens, Regi Bulgarorum Joanni Alexandro ab amanuensi nuncupatus illustratur. Figuræ in eo depictæ exponuntur: ex quibus ostenditur, Joannem Alexandrum Regem tres filios habuisse, Joannem scil. Asanem, Jo. Strascimirum, & Michaëlem.

Quam Laonicus *Daciam* vocat, hæc *Blachia* seu *Valachia* proculdubio est, cui Reges Bulgarorum præerant, inscripti, ut supra vidimus, *Bulgariæ & Blachiæ Reges*: ac propterea ex dictis apparet, *Blachorum & Bulgarorum Regnum*, etsi magna ex parte mutilatum, sub Principibus Alexandri filiis ac nepotibus mansisse usque ad annum Chr. 1462. quo anno in Turcorum potestatem venit; Dracule, Draculis cognominis filio, illud a Mahomete Turcorum Sultano, clientelæ jure obnoxium accipiente. Eadem regio a Græcis *Ungrovlachia* dicitur, & a Laonico *Pæonodacia* seu *Pannonodacia*, idest *Pannonum Dacia*, eodem sensu. Exstat in Bibliotheca Vaticana *Codex Membraneus in folio*, *literis & sermone Slavico elegantissime exaratus*, signatus inter Slavicos num. 1. continet „ Constan-
„ tini Manassis Compendium Chronicum, e Græco in Slavi-
„ cam linguam conversum, & ab anonymo Interprete, Regi
„ Bulgarorum & Græcorum Joanni Alexandro nuncupatum:
„ cum figuris Imperatorum Constantinopolitanorum, & ejus-
„ dem Joannis Alexandri atque filiorum: necnon rerum, quæ
„ in singulis capitibus e sacris Literis narrantur. Incipit enim
„ a creatione mundi, & desinit in Nicephoro Botaniata, qui
„ ab anno Christi 1078. ad 1080. imperavit „. Idem porro Chronicum Manassis Compendium Græce & Latine prodiit inter Scriptores Byzantinos Parisiis anno 1655 Qui hunc Codicem olim viderat, quum nesciret quid complecteretur, Adnotationem hujusmodi ad primam Codicis tabulam apposuit: „ Flos Chronicorum. *Et infra*. Flos omnium Chronica-
„ rum lingua Ruthenica, quæ comprehenditur sub Illyrica „.
Et folio primo, versa pagina. *Iste liber appellatur Flos omnium Chronicarum*. Supra caput Imaginis Christi: *Jesus Chrystus*, sic. Sub pedibus Imaginis Regis: „ Johannes Alexander Ma-
„ cedo, ad cujus petionem iste liber fuit translatus de Græco
„ in Sclavonico „: supra caput tertiæ Imaginis: *S. Johannes Alexander Macedo, ad cujus petitionem iste liber fuit translatus de Græco in Slavonico.* Supra caput tertiæ Imaginis: *S. Johannes*

Baptista. Fol. 2. *De morte præfati Alexandri*. Ita anonymus Interpres Latinus, quisquis is fuerit: piget enim, reliquas ejus Latinas adnotationes referre. Nos hic in gratiam lectoris, quid quæque Picturæ repræsentent, singillatim damus.

Itaque fol. 1. versa pagina, occurrunt tres Imagines. In medio *Joannes Alexander*, crucem Patriarchalem dextera gestans, in capite diadema Imperiale: supra caput *Angelus* e cælo descendens & coronam ei imponens, cum epigraphe, АГГЛЬ ГНЬ, *Angelus Domini*. A dextris, *Jesus Christus* capite radiato in volumine scribens, cum epigraphe, IC XC, *Jesus Christus*: & superius: IC XC ЦРЪ ЦРЕМЬ НЦРЬ ВѢУNЫН, *Jesus Christus Rex Regum*, & *Rex Æternus*. A sinistris, *Constantinus Manasses*, capite item radiato, in volumine scribens, cum epigraphe ЛѢТОПНСЕЦЪ MANACHH, *Annalium scriptor Manasses*. In capite paginæ: IѠANЪ AAEЗANPЪ BЪXA ѢABѢPEN ЦPЪ H CAMOДPЪ ѾБЕУ BЬCMѢ ЬAГAPѠM H ГPѢKOM, *Joannes Alexander in Christo Deo fidelis Rex & Monarcha omnium Bulgarorum & Græcorum*.

Fol. 2. *Joannes* (*a*) *Asen*, Alexandri Regis filius, mortuus in Feretro jacens: ad pedes *Angelus*: ad latus, *Rex* pater, & *Regina* mater; ad caput, *Archiepiscopus*, cum *Episcopo*, *Presbyteris* & *Diaconis*, exequias ejus celebrans. Supra, *Angelus* animam ipsius in cœlum ferens. Ibid. versa pagina, *Joannes Asen* in cœlum receptus, inter Sanctos & Angelos, a Christo Domino in Cathedra sedente manu manum apprehendente, clementer excipitur. Fol. 7. a tergo, *Jesus Christus Adamum creat*. Fol. 10. *Eva* a serpente decepta, *Adamo* pomum præbet. Fol. 11. *Jesus Christus Adamum & Evam arguit*. *Angelus illos e Paradiso expellit*. Fol. 13. a tergo, *Noe cum filiis & uxoribus*, & *Arca*. Fol. 14. a tergo *Turris Babelica*, & *linguarum confusio*. Fol. 18. *Reges Belus*, *Semiramis*, *Sesostris*.. Fol. 19. terg. *Sardanapalus* Rex Assyriorum. Fol. 24. Reges *Nabuchodonosor*, *Balthassar*, *Darius*, *Cyrus*. Fol. 27. Reges *Cambyses*, *Gyges*, *Darius*. Fol. 28. Reges *Alexander Macedo*, *Ptolemæus*. Fol. 28. t. *Cleopatra*, *Pto-*

a Latinus interpres oscitanter notat: *de morte præfati Alexandri*; non enim mortuus depingitur Alexander Rex, sed ejus filius junior *Jo: Asan*.

Ptolemæus Philadelphus. Fol.32. t. *Moſes*, *Joſue Nave*. Fol.40. tergo, *Alexander Helenam rapit*. Fol. 41. *Trojanum bellum*. Fol. 62. *Paris*, & *Helena*. A tergo, *Trojæ excidium*. Fol.66. tergo, *Romulus*, *Remus*, *nutrix*. Fol. 67. t. *Romæ ædificatio*. Fol. 75. t. *Sacerdotes Judæorum*, *Pilatus*, *Jeſus Chriſtus Cruci affixus*, a dextris *Mater Dei*, a ſiniſtris, *Jo: Evangeliſta*. Fol. 76. t. *Tiberius Cæſar*. *Maria Magdalene*, *Chriſtus Adamum ab inferis revocat*. *Jeſus Chriſtus in Cœlum aſcendit*. Fol. 80. *Impp. Claudius*, *Galba*, *Nero*, *Titus*, *Domitianus*. Fol. 82. t. *Impp. Trajanus*, *Adrianus*, *Antoninus*, *Marcus Antoninus*. Fol. 83. t. *Impp. Commodus*, *Pertinax*, *Julianus*. Fol. 84. *Impp. Severus*, *Antoninus Caracalla*. Fol. 85. *Impp. Diocletianus*, *Maximianus*. A tergo, *Impp. Conſtantinus*, *Concilium Nicænum*. Fol. 89. *Impp. Julianus*, *Jovinianus*, *Valens*, *Gratianus*, *Valentinianus*, *Theodoſius*. Fol. 90. t. *Impp. Arcadius*, *Honorius*, *Theodoſius junior*. Fol. 91. t. *Impp. Conſtantinopolitanus*, *&* Jo: *Alexander Rex ab Angelo coronatus*. Fol. 96. t. *Theodoſio* juniori pomum traditum, & a Theodoſio *Eudociæ* Auguſtæ, ab hac *Paulino* Epiſcopo, & ab hoc demum *Imperatori*. Fol. 100. t. *Impp. Marcianus* & *Leo*. Fol. 102. t. *Impp. Zeno*, & *Anaſtaſius*. Fol. 105. *Anaſtaſius* orthodoxos (*a*) perſequitur. Fol. 109. t. Juſtinianus Imp., Templum ſanctæ Sophiæ. Fol. 113. ter. *Juſtinus* junior. Fol. 117. *Tiberius*, *Mauricius*, Impp. Fol. 118. t. *Phocas* Imp. Fol. 122. *obſidio Conſtantinopolitana*. Fol. 122. t. *Heraclius* Aug. de Perſis ope Deiparæ triumphat. Fol. 123. t. *Conſtantinus Pogonatus*. Fol. 124. *Sexta Synodus* (*b*) ſub Conſtantino Pogonato. Fol. 131. *Philippicus Bardanes* Tiberium Juſtiniani filium ex æde Deiparæ extractum occidi jubet. Fol. 136. t. *Leo Iſauricus* barbaros Conſtantinopolim obſidentes fundit. Fol. 139. *Conſtantinus Copronymus* in Templa & ſacras Imagines debacchatur. Fol. 143. *Septima Synodus*. Fol. 145. *Crumas Rex*, & *Nicephorus Imper*. A tergo, *Crumæ triumphus*. Fol. 146. *Crumæ bellum*. Fol.147. *Leo Armenius Imp*. Fol.147. t. *Cru-*

a Male anonymus, pro orthodoxis hæreticos interpretatur, ſic: *Perſecutio hæreticorum*.

b Anonymus interpres: „ Apud iſtum Conſtantinum Imp. fuit ſeptimo Concilio, Patrum ſanctorum, & Arie ereticus foit condemnatus „. Oſcitanter.

Crumas Rex, *Leo Armenius Imp.* Fol. 150. *Theophilus Imp.* Fol. 156. *Theophilus* Imp. moriturus sacram Deiparæ imaginem a Monacho oblatam colit, *Theodora* uxore adstante. Fol. 163. t. *Bulgarorum Baptismus*. Fol. 166. t. *Russorum Baptismus*. Fol. 168. *Rex Comanorum*. Fol. 172. t. *Simeon Rex Bulgarorum* triumphat. Fol. 174. ejusdem *Simeonis Regis* bellum. Fol. 175. ejusdem *Simeonis* obitus. *Constantinus* & *Leo Impp.* Fol. 178. *Russorum* & *Bulgarorum* conflictus. A tergo, *Russicum* cum *Bulgaris* bellum sub *Nicephoro Phoca*. *Bulgari* Dorostoli seu Distræ, e bello fugientes, sese includunt. Fol. 183. *Joannes Zimisces* Imp. bello adversus Russos suscepto, Presthlaba expugnata, *Borisem* Regem Bulgarorum cum duobus filiis capit. *Basilius* Imp. Bulgaroctonus expeditionem adversus Bulgaros suscipit. A tergo, ejusdem *Basilii* Augusti cum *Samuele* Bulgarorum Rege conflictus. *Samuele* mortuo, *Basilius* Imp., moto adversus *Gabrielem Romanum*, & *Jo: Bladisflavum* illius successores bello, Bulgariam subigit. Fol. 188. t. *Romanus Argyropulus* suffocatur. *Michael Paphlago* ducta *Zoe* Augusta imperat. Fol. 204. t. Imperatores Græcorum *Michael Paphlago*, *Constantinus Monomachus*, *Isaacius Comnenus*, *Michael Stratioticus*, *Constantinus Ducas*, *Michael Ducas*, *Romanus Diogenes*, *Nicephorus Botaniates*. Fol. 205. Bulgarorum Reges, *Joannes Alexander* pater cum filiis, a dextris quidem, *Joannes Asen* ab Angelo in custodiam receptus: a sinistris autem, *Joannes Strascimirus*, & *Michael*: supra caput IC. XC. *Jesus Christus* extensis brachiis Regiam familiam protegens. Inscriptiones: *Joannes Alexander Rex*. *Joannes Asen Rex*. *Angelus Domini*. *Joannes Stracimir Rex*. *Michael Rex*.

Jam vero ex pictis hujuscemodi Imaginibus, perspicuum fit, primo, Slavicum istum Vaticanum Codicem circa annum 1350., quo *Jo: Alexander* Bulgarorum Rex vivebat, exaratum fuisse. Secundo patet, *Alexandrum* Strascimiri filium, qui post Michaëlem Bulgaris ab anno 1330 præfuit, *Joannis* prænomen gessisse, quum genus scilicet suum ad *Joannem Asanem*, qui sub Innoc. III. Papa Bulgarorum & Blacorum Regem sese inscribebat, referre gestiret. Tertio constat, eidem Joanni Alexandro, tres tantummodo filios fuisse, nimirum, *Joannem Asanem*, qui adolescens obiit, *Joannem Stracimirum*, & *Michae-*

Michaelem. Et *Stracimirum* quidem *Joannem*, ex Tharoczio vidimus a Ludovico Hungariæ Rege, poſt Alexandri patris mortem, captum & in Hungariam abductum, poſtquam annos duodecim in cuſtodia egiſſet, tandem præfectura Vidini donatum fuiſſe. Quamobrem, qui Bulgaris poſt Straſcimirum imperavit *Mirxa* ſeu *Marcus* appellatus, non alius, ut opinor, fuerit, a *Michaele* ejuſdem Stracimiri fratre, & Alexandri filio: ita ut quæ de Judæa illa, ſecunda Alexandri uxore, deque ſuſceptis ex ipſa liberis *Siſmano*, *Aſano*, & tertio anonymo, ab Orbino aliiſque traduntur, ea ſint tamquam fabuloſa rejicienda, quum ex Codice noſtro Vaticano, in quo Regia Alexandri familia, eodem ipſo vivente ac vidente, depicta eſt, manifeſte appareat tres dumtaxat filios ejus fuiſſe; *Joannem Aſanem*, *Joannem Stracimirum*, & *Michaelem*. Siqui enim alii fuiſſent, certe illos Pictor non omiſiſſet, qui & *Matrem* ipſorum in funere *Joannis Aſani* unacum *Patre* adſtantem diſertim repræſentavit, uti fol. 2. videre eſt. Poſtremo colligitur, ſequiores iſtos Bulgarorum Reges, non modo *Reges Bulgarorum & Blacorum*, ſed etiam *Bulgarorum & Græcorum* ſeſe inſcripſiſſe. Sic enim fol. 1. legitur: „ Joannes „ Alexander in Chriſto Deo fidelis Rex, & Monarcha (ſeu „ *Imperator*) omnium Bulgarorum & Græcorum „. Atque hactenus de Bulgaris & Valachis.



PARS



PARS SECUNDA.

DE TABULIS GRÆCO-MOSCHIS CAPPONIANIS.

PRÆFATIO.



OSTQUAM de Tabulis Græco-Moſchis, quæ Slavicæ ſive Ruthenicæ Ephemerides ſunt proprie appellandæ, tum effigiatis, tum non effigiatis, deque earum materia, forma, ætate, nominibus, uſu, necnon de iis, qui vel illas ſcriptis ſuis illuſtrarunt, vel alias ab iis non diſſimiles ſi non Slavice, ſaltem Latine ediderunt, in Primo hujus operis Tomo pro modulo meo egi; jam ad ipſas Ephemerides venio. Exordium autem duco a Capponianis noſtris, quæ omnium vetuſtiſſimæ exiſtimantur: ac proinde illas æri inciſas, cum Slavica Inſcriptione, & Latina interpretatione, uti clariſſimus Marchio Capponius optaverat, evulgandas aggredior, adjectis ad ſingulas Imagines, brevibus notis, ex Græcorum Menæis & Latino Martyrologio deſumtis. Tum ad Poſſevinianas, & Papebrochianas pergo. Demum Culcinianas & Falconianas Tabulas ſubjungo. Quo fiet, ut Ruthenicæ Eccleſiæ Ritus in celebrandis per anni circulum Dominicis, Feriis, Feſtiſque Sanctorum diebus, tam vetuſtus, quam recentior, ob omnium oculos ponatur.

Atque hic ſeptem ſunt animadvertenda. I. Unamquamque Tabulam tres anni menſes continere. Sic prima comple̱cti-

plectitur Septembrem, Octobrem, Novembrem. Secunda, Decembrem, Januarium, Februarium. Tertia, Martium, Aprilem, Majum. Quarta, Junium, Julium, Augustum. Quinta vero in picturis XXVII. totidem Dominicas, cum Feriis aliquot, a Dominica Publicani & Pharisæi, usque ad Dominicam primam post Pentecosten. II. Unumquemque mensem in sex loculos distribui, quibus in loculis Sanctorum Sanctarumque illius mensis Imagines sunt depictæ. III. Singulis memsium diebus numerum sic apponi, ut Græci per Alphabeti literas solent: Α, Β, Γ, Δ, Ε, Ϛ, Ζ, Η, Θ, Ι, ΙΑ, ΙΒ, &c. Κ, ΚΑ, ΚΒ, &c. Λ, ΛΑ, &c. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. &c. 20. 21. 22. &c. 30. 31. &c. ubi vides, Tabularum harum Pictores, Scriptoresque a communi hodierno Russorum more recedere, qui numerum minorem majori anteponunt sic: ι, αι, ΒΙ, Κ, ΑΚ, ΒΚ, Λ, ΑΛ, ΒΛ, 10. 11. 12. 20. 21. 22. 30. 31. 32. IV. Sanctorum nomina singulis Imaginibus superscripta. Hoc etiam Græcis & Latinis Pictoribus olim in more positum fuerat, quemadmodum in antiquis Picturis cernere est. Addit Possevinus in Capitibus, quibus Græci & Rutheni a Latinis dissentiunt pag. 104. nullam a Russis possideri, aut pingi Imaginem, cui nomen Sancti, quem exhibet, inscriptum non sit: quumque illorum Dux Latinas Icones inscriptione hujusmodi carentes reprehenderet, hac idem Possevinus defensione se usum scribit: „ Quod autem „ Rutheni tui mirantur, nos piis Imaginibus nomina eorum „ Sanctorum, quos repræsentant, non semper (uti ipsi fa- „ ciunt) adscribere; scito, si nominum illorum adscriptio „ ideo necessaria est, ut quos Sanctos repræsentent, ex ea „ Sancti illi viri agnoscantur, jam eam haud necessariam esse iis, „ qui illas agnoscunt „. Hæc Possevinus quidem verissime: Sed non ita sentiebant antiqui Pictores. V. Radiata omnium Sanctorum Capita, hoc est, Sphærula, sive circulo, qui & nimbus appellatur, circumducto ornata. De hoc more, radiis circumducendi capita Sanctorum, alibi sermo erit. VI. In ora infima uniuscujusque Tabulæ, nomen Pictoris appositum: sic. In prima Tabula, Septembris, Octobris, Novembris, *Sergius Basilii filius pinxit*. In tertia, Martii, Aprilis, & Maii, *Andreas Eliæ filius pinxit*. In quarta, Junii, Julii, Augu-

Augusti, *Nicetas Joannis filius pinxit*. Secundam & Quintam videntur iidem *Sergius*, & *Andreas* pinxisse, a quibus prima & quarta est depicta, tametsi eorum nomina non sint expressa.
VII. Nonnullis Sanctorum nominibus, maxime Prophetarum, adjuncta lemmata literis minutissimis: Sic mense Septembri, ad diem 3. *Moyses Deum Videns*: lemma: *Vidit rubum ignitum*: Mense Octobri, ad diem 17. *Propheta Oseas*: lemma: *Dominus dabit Evangelizantibus*: Ad diem 19. *Propheta Joel*: lemma, *Effundam de spiritu meo*. Idem videre est in solemnitatibus Christi Domini ac Deiparæ: ubi Sanctissima Nomina IC. XC, *Jesus Christus*, & MP. ΘY, *Mater Dei*, passim leguntur: ac præsertim in Tabula V. in qua Dominicæ per annum recensentur.

Sigismundus Herbersteinius suo Rerum Moscoviticarum Commentario monitum hocce ad Lectorem de recta vocum Russicarum pronunciatione præfigit „ Cæterum quemadmo„ dum quælibet natio suum quemdam pronunciandi morem „ habet: ita & Rutheni facere, literasque suas varie connexas „ conjunctasve, nobis inusitata quadam ratione proferre so„ lent: adeo ut, qui eorum pronunciationem non singulari dili„ gentia observaverit, is neque cognoscere certi aliquid ab „ illis poterit. Equidem in Russiæ descriptione, quum Ruthe„ nicis vocabulis in rerum, locorum, ac fluviorum appella„ tione non temere usus sim, volui jam inde ab initio litera„ rum quarundam connexionem, ac vim paucis ostendere: „ qua animadversa, Lector pleraque facilius cognoscere, & „ aliquando plura fortasse inquirere poterit.

„ *Basilius*, etsi Rutheni per *V* Consonantem scribant & „ proferant, quum tamen apud nos inoleverit per *B* scribi & „ proferri, non videbatur mihi per *V* scribendum.


„ *C*, aspirationi præposita, non per *Ci*, vel *Schi*, ut „ pleræque nationes solent, sed per *Khi*, Germanorum quo„ dammodo more, est exprimenda: ut in dictione *Chiovia*, „ *Chan*, *Chlinova*, *Chlopigrod*, *&c.*

„ Præposita vero *Z* duplæ, sonorius aliquanto proferen„ da. ut *Czeremisse*, *Czernigo*, *Czlima*, *Czunkas*, &c.

„ *G*, Rutheni, præter aliorum Slavorum morem, per *H* „ aspirationem, Bohemico propemodum more proferunt: ut

„ quum

„ quum *Jagra*, *Volga* scribunt, *Juhra*, *Volha* pronunciant.
„ J, litera ut plurimum vim consonantis obtinet: ut in
„ *Jausa*, *Jaroslav*, *Jamma*, *Jeropolchus*, &c.
„ *Th*, fere per *Ph* proferunt: ita *Theodorum* ipsi *Pheo-*
„ *dorum* seu *Feodorum* appellant.
„ *V*, quando vim consonantis habet, ejusdem loco W lite-
„ ram quam Germani per duplex *V*, scilicet W exprimunt,
„ posui: ut in *Wvolodimeria*, *Worothin*, *Wedrasch*, *Wiesma*,
„ *Wladislaus*. Eadem vero in medio vel fine dictionis posita,
„ vim seu sonum obtinet literæ Græcæ *Phi*, quæ est nobis *Ph*,
„ ut *Ozacow*, *Rostow*, *Asow*, *Owka*.
Hæc monuisse sufficiat. Nunc ad ipsas Tabulas pergo.



EPHEMERIDUM

GRÆCO-MOSCHARUM CAPPONIANARUM

TABULA PRIMA.

MENSIUM SEPTEMBRIS, OCTOBRIS, NOVEMBRIS.

Mesaz Septevrius.

1 PRepodobnyi Simeon Stopnik.
Prepodobnaja Martha.
Sobor Presvjatja Bogorodiky vo Miasiniech.
Muczenik Aithala.
Sviatiye Muczenich sorok Gen.
Svlatyi Ammun Diacon.
Sviatia Muczeniki Kalist, Evod, i Ermogen.
Jisus Navin.
2 Muczenik Mamant.
Joan Postnik.
3 Anstym Episcop.
Fteoktist.
4 Vavila Antiochinski.
Moysey Bogovidecz.
5 Prorok Zacharii.
6 Czudo Archistratiga Michaila.
Archip.
7 Muczenik Sozont.
8 Rozdestvo Bogorodiki.
9 Joakim.
Anna.
Muczenik Severian.
10 Minodora.
Mitrodora.
Nimphodora.
11 Prepodobnaja Fteodora.
12 Schenno Muczenik Avtonom.
13 Obnovlenie Chrama.
Cornilii.
14 Vozvixenie Cresta.
15 Nikita.
16 Muczenicza Eufimia.

Muc-

Mensis September.

1 SAnctus Simeon Stylita.
Sancta Martha.
Synaxis sanctissimæ Deiparæ in Miasinis.
Martyr Ajthalas.
Sanctæ Martyres quadraginta mulieres.
Sanctus Ammon Diaconus.
Sancti Martyres Callistus, Evodus & Hermogenes.
Jesus Nave.
2 Martyr Mamas.
Joannes Jejunator.
3 Anthimus Episcopus.
Theoctistus.
4 Babylas Antiochenus.
Moyses Deum videns.
5 Propheta Zacharias.
6 Miraculum Archistrategi Michaelis.
Archippus.
7 Martyr Sozon.
8 Nativitas Deiparæ.
9 Joachim.
Anna.
Martyr Severianus.
10 Menodora.
Metrodora.
Nymphodora.
11 Sancta Theodora.
12 Sanctus Martyr Autonomus.
13 Dedicatio Templi.
Cornelius.
14 Exaltatio Crucis.
15 Nicetas.
16 Martyr Euphemia.

Mar-

17 Muczenicza Sophia.	17 Martyr Sophia.
Viera.	Fides.
Nadex.	Spes.
Liubovv.	Charitas.
18 Fumenii.	18 Eumenius.
19 Trofim.	19 Trophimus.
Savvatiy.	Sabbatius.
Dorimedont.	Dorymedon.
20 Muczenik Evstaftiy.	20 Martyr Euftathius.
Tatiana.	Tatiana.
21 Apoftol Condrat.	21 Apoftolus Codratus.
22 Phoca.	22 Phocas.
23 Gavriil.	23 Gabriel.
Zacietie Preditecy.	Conceptio Præcurforis.
24 Fthecla.	24 Thecla.
25 Prepodobnaia Eufrofinia.	25 Sancta Euphrofyna.
26 Potrebenie Joan Bogoslova.	26 Depofitio Joannis Theologi.
27 Kondrat i ixe fnim.	27 Codratus, & qui cum eo.
28 Prepodobnyi Chariton.	28 Sanctus Chariton.
29 Prepodobnyi Kiriak Otfelni.	29 Sanctus Cyriacus Anachoreta.
30 Grigoriy Armenfki.	30 Gregorius Armenus.

TABULÆ PRIMÆ.

Mefaz Oktovrius.	*Menfis October.*
1 POkrovv Bogorodiky.	1 PAtrocinium Deiparæ.
2 Schenno Muczenik Kiprian.	2 Sacrofanctus Martyr Cyprianus.
Muczenicza Juftina.	Martyr Juftina.
3 Dionifiy Areopagit.	3 Dionyfius Areopagita.
4 Jeroftey Epifcop.	4 Hierotheus Epifcopus.
5 Muczenicza Charitina.	5 Martyr Charitina.
6 Apoftol Froma.	6 Apoftolus Thomas.
7 Muczenik Sergiy, i Vakch.	7 Martyres Sergius & Bacchus.
8 Prepodobnaja Pelagia.	8 Sancta Pelagia.
9 Apoftol Jacov.	9 Apoftolus Jacobus.
Prepodobniy Andronik.	Sanctus Andronicus.
10 Eulampiy, i Eulampia.	10 Eulampius, & Eulampia.
11 Philipp. Fteodor Nacertan.	11 Philippus. Theodorus Grapta.
12 Prov. Tarach. Andronik.	12 Probus, Tarachus. Andronicus.
Prepodobnyi Kofma.	Sanctus Cofmas.
13 Karp. Papyla.	13 Carpus. Popylus.
14 Nazariy. Protafiy. Gervafiy. Kelfiy.	14 Nazarius. Protafius. Gervafius. Celfus.
Prepodobnyi Cofma.	S. Cofmas.
15 Lukian Prefviter.	15 Lucianus Presbyter.

Lon- Lon-

16 Longin Sotnik.
17 Prorok Osiy.
Andrey Kritskiy.
18 Evangelist Luka.
19 Prorok Joil.
Muczenik Var.
20 Muczenik Artemiy.
21 Ilaryon Veliki.
22 Averkiy Jerapolskiy.
Sedm Otrok, ixe vo Ephesie.
23 Jacov brat Boxiy.
24 Muczenik Arefta, i ixe snim.
25 Markian. Martiri,
26 Dimitriy.
27 Nestor.
28 Terentiy. Neonila.
Stephan Savait.
29 Anastasia. PrepodobnyiAvraamiy.
30 Zinoviy. Zinovia.
31 Stachiy, i Prociy.
I Ampliy.
Epimach.

16 Longinus Centurio.
17 Propheta Osee.
Andreas Cretensis.
18 Evangelista Lucas.
19 Propheta Joel.
Martyr Varus.
20 Martyr Artemius.
21 Hilarion magnus.
22 Abercius Hierapolitanus.
Septem Pueri, qui in Ephefo.
23 Jacobus frater Dei.
24 Martyr Aretha, & qui cum eo.
25 Marcianus, Martyrius.
26 Demetrius.
27 Nestor.
28 Terentius. Neonilla.
Stephanus Sabaita.
29 Anastasia. Sanctus Abraamius.
30 Zenobius. Zenobia.
31 Stachys, & reliqui.
Et Amplias.
Epimachus.

Pisal Sergiy Basilevsin. Pinxit Sergius Basilii filius.

TABULÆ PRIMÆ.

Mesaz Noevrius.

1 Sviatiy Damian.
Kosma ot Asiy.
2 Akindin. Pigasiy. Elpidifor. i Anempodist.
3 Akepsim. Josiph. i Aithala Diacon. Muczenik Georgiy.
4 Joannikiy Veliki.
Nikandr Episcop.
5 Galaktyon. Epistimya.
6 Pavel Episcop.
7 Sviatija Muczeniki ar. vo Militinie.
Lazar Galisenski.
8 Sobor Archistratiga Michaila.
9 Onisiphor.
Stephanida.

Por-

Mensis November.

1 Sanctus Damianus.
Cosmas ex Asia.
2 Acindynus. Pegasius. Elpidephorus, & Anempodistus.
3 Acepsimas, Joseph, & Aithalas Diaconus. Martyr Georgius.
4 Joannicius magnus.
Nicander Episcopus.
5 Galaction. Episteme.
6 Paulus Episcopus.
7 Sancti Martyres XXXIII. in Melitene.
Lazarus Galiseus.
8 Synaxis Archistrategi Michaelis.
9 Onesiphorus.
Stephanis.

Por-

Porphiriy.	Porphyrius.
10 Apostol Erast. Rodion. Olimp.	10 Apostoli, Erastus, Rhodion, Olympas.
11 Mina. Viktor. Vikentiy. Stefanida. Fteodor.	11 Menas, Victor, Vincentius. Stephanis. Theodorus.
12 Joan Milostivy. Prepodobnyi Nil.	12 Joannes eleemosynarius. Sanctus Nilus.
13 Joan Zlatoviy.	13 Joannes Chrysostomus.
14 Apostol Philipp.	14 Apostolus Philippus.
15 Guriy. Samon. Avvivv Diacon.	15 Gurias, Samonas, Abibus Diaconus.
Jacovv.	Jacobus.
16 Evangelist Mastey.	16 Evangelista Matthæus.
17 Grigoriy Neokesarinski.	17 Gregorius Næocæsareensis.
18 Platon. Roman.	18 Plato. Romanus.
19 Prorok Avdiy. Muczenik Varlaam.	19 Propheta Abdias. Martyr Barlaam.
20 Prokl Archiepiscop. Grigoriy Decapolski.	20 Proclus Archiepiscopus. Gregorius Decapolita.
21 Vovedenie vo chram Presviatya Bogorodicy.	21 Ingressus in Templum sanctissimæ Deiparæ.
22 Apostol Philimon, i ixe snim.	22 Apostolus Philemon, & qui cum eo.
23 Grigoriy Acragant. Amphilochiy Episcop.	23 Gregorius Agrigentinus. Amphilochius Episcopus.
24 Ecateryna Muczenik Cristovo. Mercuriy.	24 Catharina Martyr Christi. Mercurius.
25 Climent Papa. Petr Alexandr.	25 Clemens Papa. Petrus Alexandriæ.
26 Alipii Stolpnik.	26 Alypius Stylita.
27 Jacovv Persianin.	27 Jacobus Persa.
28 Stephani Noviy.	28 Stephanus novus.
29 Paramon, i Philumen. Akakiy Lietviy.	29 Paramones, & Philumenus. Acacius in scala.
30 Andrey Pervovani.	30 Andreas Primovocatus.



EPHE-


EPHEMERIDUM
RUTHENICARUM
TABULA PRIMA.

Mensis Septembris.

I.

Sanctus Simeon Stylita.
Sancta Martha.
Synaxis Sanctissimæ Deiparæ Miasenorum.
Martyr Aithalas.
Sanctæ Martyres Quadraginta Mulieres.
Sanctus Ammon Diaconus.
Sancti Martyres Callistus, Evodus, et Hermogenes.
Jesus Nave.

Horum omnium fit commemoratio in Menologio Græcorum impreſſo Venetiis, typis Antonii Pinelli anno 1610. hac die 1. Septembris, quibus & præmittitur *Initium Indictionis*, ſeu novi anni: & *Commemoratio Incendii*, quod in urbe Conſtantinopolitana, Leone magno imperante, contigit, de quibus in noſtris Tabulis Ruthenicis nihil. Ἀρχὴ τῆς Ἰνδίκτȣ, ἤτοι τȣ͂ νέȣ ἔτȣς. ϗ μνήμη τȣ͂ ὁσίȣ πατρὸς ἡμῶν Συμεὼν τȣ͂ ϛυλίτȣ ϗ ἀρχιμανδρίτȣ. ϗ ἡ σύναξις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκȣ τῶν Μιασηνῶν. ϗ τȣ͂ ἁγίȣ μάρτυρος Αἰθαλᾶ. ϗ τῶν ἁγίων τεσσαράκοντα γυναικῶν, ϗ Ἀμμȣ͂ν διακόνȣ ϗ διδασκάλȣ αὐτῶν. ϗ μνήμη τῶν ἁγίων μαρτύρων Καλίϛης, Ἐυόδȣ, ϗ Ἑρμογένȣς τῶν αὐταδέλφων. ϗ μνήμη Ἰησȣ͂ Ναυῆ. ϗ ἡ ἀνάμνησις τȣ͂ μεγάλȣ ἐμπρησμȣ͂. *Initium Indictionis, ideſt novi anni. Et Commemoratio S. P. N. Symeonis Stylitæ & Archimandritæ.* [Additur in Synaxario, ϗ τῆς ὁσίας Μάρθας, μητρὸς τȣ͂ ὁσίȣ, & ſanctæ Marthæ, matris ſancti Symeonis ſcilicet] *& Synaxis ſanctiſſimæ Deiparæ Miaſenorum* [ejus nempe Imaginis, quæ ab Iconomachis in lacum Gazuri projecta, diu poſtea integra & illæſa eſt reddita:] *& Sancti Martyris Aithalæ. Et SS.* xl. *Mulierum, & Ammun Diaconi Magiſtri earum.*



ПИСАЛЪ СЕРГІИ ВАСИЛЕВЪ

earum. Et SS. Martyrum Callistæ, Evodi & Hermogenis. Et Commemoratio Jesu Nave, & Commemoratio magni Incendii. In Menologio Basiliano impresso Urbini anno 1727. agitur commemoratio *Indictionis, Simeonis Stylitæ, Josue filii Nave, & Ammonis cum* XL. *Virginibus*: non autem *Deiparæ Miasenorum*, neque *Incendii Constantinopolitani*, aut *Evodi, Callisti, & Hermogenis*, aut *Marthæ*, hujus Simeonis matris; de *Aithala* autem unacum *Apsæo Diacono*, die XI. Decembris. Martyrologium Romanum hac die 1. Septembris commemorat *Josue filium Nave, & Ammonam Diaconum cum sociis*; de *Simeone* autem Stylita, Seniore quidem agit die 5. Januarii; de juniore vero, die 3. Septembris. At de *Evodo, Callista, & Hermogene*, die 2. Septembris: de reliquis, nihil. Ruthenicæ Tabulæ pro *Callista* habent *Callistus*. Eminentissimus Baronius in notis ad Martyrologium Romanum affirmat, die 2. Septembris a Græcis coli *Evodium & Socios Martyres*, quum tamen de his in Menologio Kalendis Septembris agatur, ut supra dixi. Idem in notis ad diem 5. Januarii, duos Simeones Stylitas distinguens, scribit, de Seniore quidem Græcos agere die 24. Maji; de juniore vero, unacum Martha ejusdem matre, die 1. Septembris. Verùm deceptus est vir eruditissimus nominis gestorumque similitudine: nam ex Græcorum Menologiis constat, primo, utrumque Simeonem Stylitam, Martham matrem nactum fuisse; secundo, de Seniore ejusque matre, Kalendis Septembris agi; de juniore vero, qui Thaumastorites, seu ἐν θαυμαστῷ ὄρει, *in monte Admirabili*, dictus fuit, in Menologio quidem communi, die 24. Maji; in Basiliano autem, die 23. ejusdem; de ejus vero matre Martha, die 5. Julii. Codex noster Slavicus, Hieronymianis literis exaratus ad primam diem Septembris sic habet: „ Initium Indictionis & novi anni: & memo„ ria Sancti Simeonis Stylitæ. „ In Fastis Græco Moschis, quos cl. Daniel Papebrochius Tomo 1. Maji præmisit, solius *Simeonis Stylitæ* fit mentio. Ita & in Calendario Ruthenico, quod exstat in laudatis Codicibus Vaticanis Ruthenicis 1. & 2. & apud Possevinum in Apparatu sacro, impresso Venetiis apud Societatem Venetam anno 1606. Tomo 3. pag. 174. *Memoria Patris nostri Simeonis*: & apud Culcinium in Appendice ad

Specimen Ecclesiæ Ruthenicæ, Romæ edita ex Typographia Hieronymi Mainardi, anno 1734. pag. 91. ad diem 1. Septembris, *Symeon*: quamquam in Par. 2. ejusdem Speciminis, ubi *nonnullas Animadversiones* scribit in Ephemerides Moschorum figuratas, Actis Sanctorum insertas, Tomo primo Maji præmissas, & per R. P. Danielem Papebrochium Societ. Jesu variis observationibus illustratas, pag. 95. ex Ustavo Ruthenico, sive ex Anthologio, hæc verba habet.
„ September. 1. Initium Indictionis, seu novi anni, hac die
„ peragitur cum proprio officio in meo Anthologio, & cum
„ duplici imagine, quarum una exhibet Jesum duodennem
„ inter doctores sedentem; altera eumdem jam annis matu-
„ rum, in Synagoga Judæis prædicantem. Additur S. Simeon
„ Archimandrita, primus Stylitarum author, pariter cum
„ proprio officio. Junguntur etiam S. Anthalus martyr, san-
„ ctæ quadraginta mulieres martyres unacum Ammone Dia-
„ cono sub Licinio; SS. Callixtus, Evodus, ac Hermogenes
„ martyres; & justus Josue, filius Nave, Dux Israëlitarum.
Pro *Anthalo*, lege *Aithalam*. Vox est Syriaca, [Syriac] *Aithallaha*, quæ significat, *Attulit Deus*: Fuit autem Diaconus, & anno Saporis Persarum Regis 70. Persecutionis 40. una cum Acepsima Episcopo, & Josepho Presbytero Martyrium subiit, teste Sancto Marutha in Actis martyrum Orientalium, Tom. I. Bibliothecæ nostræ Orientalis pag. 193. & seq. Sozomenus lib. 2. cap. 13. inter Martyres, qui sub Sapore passi sunt, eumdem enumerat, inquiens: *Acepsimas Episcopus, Jacobus Presbyter, Aithalas Diaconus. Azadanes atque Abdiesus Diaconi.* In Martyrologio Romano ad diem 22. Aprilis, *Aithalas Presbyter* dicitur: „ Eodem die Sanctorum plurimorum Marty-
„ rum, qui sequenti anno post obitum Simeonis, annuo item
„ die, quo passionis Dominicæ memoria celebrabatur, per
„ totam Persidis regionem pro Christi nomine sub Rege Sapo-
„ re gladio cæsi sunt. In quo fidei certamine passus est Azades
„ Eunuchus Regi carissimus: Milles Episcopus, sanctitate &
„ miraculorum gloria insignis; Acepsimas Episcopus, cum
„ Presbytero suo Jacobo, item Aithala & Josepho Presbyte-
„ ris, Azadane & Abdieso Diaconis, & compluribus aliis
„ Clericis: Mareas quoque, & Bicor Episcopi, cum aliis vi-
„ gin-

„ ginti Episcopis, & Clericis fere ducentis quinquaginta ; mo-„ nachis etiam, & sacris virginibus plurimis; inter quas & San-„ cti Simeonis Episcopi soror nomine Tarbula , cum pedisse-„ qua sua , quæ stipitibus alligatæ , serraque scissæ , crude-„ lissime necatæ sunt „ . Hæc Martyrologium Romanum : Beda etiam, Usuardus & Adeo. Verùm non eadem die , neque eodem anno post obitum S. Simeonis , hos omnes passos fuisse , constat ex Actis Syriacis a S. Marutha editis . Nam Milles eodem anno Saporis 31. quo & Simeon , martyrium subiit . Azades anno Saporis 33. Mareas & Bichor (Syris ܒܘܟܪܐ *Buchra* , Sozomeno , *Bochres*) Episcopi , anno Saporis 66. Acepsimas cum Jacobo , Aithala , Josepho , Azadane & Abdiesu , anno Saporis 70. Sola Tarbula , Syris *Tarbe* , anno sequenti post fratrem Simeonem, passa est . Vide Bib. Orient. pag. 186. ad 194.

Illustrissimus Falconius in Commentario ad Capponianas Ruthenas Tabulas , ad 1. diem Septembris habet ; *Prepodomne Simeon*, *Simeonis Confessoris*, dumtaxat . Dupliciter fallitur : primo , quia ceteros a nobis supra enumeratos omittit . Deinde , *Prepodomne* Ruthenice legit , quum legendum sit , *Prepodobny* , & interpretandum , *Sanctus Simeon* .

Papebrochius ad hanc ipsam diem 1. Septembris in Ephemerides Græco-Moschas , postquam nomen *Simeonis Stylitæ* recitavit , hanc notam subjungit „ Primus hic , ut Græcorum , „ sic & Moscorum mensis est , in cujus Tabulæ prima ac secun-„ da linea , literis ΠΡ , *πατὴρ* significatur , per OM vero & „ M , *ὁσιομάρτυς* , & *μάρτυς* significatur , quorum deinceps „ quum ratio non habeatur , neque ego ejus rationem habere „ volui „ . Utinam Papebrochius harum literarum rationem nullam habuisset : Sic enim non errasset . Erravit autem turpissime : non enim sunt Græcæ voces , sed Ruthenicæ . Et quidem *πρ* , sonat *Prepodobny* , vel *Prepodobnaja* : *Sanctus* , vel *Sancta* . M autem , *Muczenik* , idest , *Martyr* . Quas vero literas ipse Papebrochius OM vocat , non sunt OM , *ὁσιομάρτυς* , sed simplex Ͻ , quod Ruthenis est *Sviatiy* , *Sviatya* , *Sanctus* , *Sancta* . Vide Culcinium in Specimine in Inscriptionibus Ephemeridum . Habent enim Rutheni , sicut & Latini , suas , ut vocant , literarum abbreviaturas . Hinc Johannes Petrus Kohlius in Academia Scientiarum Petropolitana , in li-

bro, cui titulus, *Introductio in historiam & rem literariam Slavorum*, impresso Altonaviæ anno 1729. in *Historia Codicis Sacri Slavonici* pag. 45. exponens quamdam vocem Slavicam per compendium scriptam: „ Hæc vox, inquit, contracta est, „ & per compendium seu abbreviaturam, ut barbare vulgo „ vocant, scripta: id, quod superposita curva linea indicat: „ amant enim hujusmodi literarum compendia Rutheni. In „ impressis libris non adeo frequentia sunt; in manuscriptis „ autem frequentissima; quæ obscurissimam propterea scri- „ pturam & difficillimam lectionem efficiunt. Unde merito „ cl. Frischius (*a*) cit. lib. differt. 1. pag. 9. furorem calami „ Calligraphicum & Tachygraphicum reprehendit. Cæterum „ de his scribendi compendiis, literisque superpositis lineis, „ eundem Frischium cit. loco pag. 16. ubi, *quomodo abbrevia-* „ *turæ legantur*, aperit, consule.

Ad pictas Sanctorum Imagines quod spectat, non vacat hic singulas verbis describere. In suas itaque classes mox distribuam, atque Ruthenicis Ephemeridibus subjungam.

II.

MARTYR MAMAS.

JOANNES JEJUNATOR.

Iidem in Fastis Græco-Moschis apud Culcinium pag. 91. & apud Papebrochium pag. 43. his verbis: *Mamas martyr. Joannes Patriarcha Constantinopolitanus*: „ Addit ibidem, „ *Potnica*, idest, νηστευτὴς, *Jejunator*, cognominatus: vixit „ sub Justino, Tiberio & Mauricio Imperatoribus. Vita uti- „ nam aliqua extaret „. In Calendariis Ruthenicis, *Joan Postnik*, Joannes Jejunator, non *Potnica*, uti perperam habet Papebrochius; quem proinde Culcinius emendat in Specimine Par. 2. pag. 96. „ Junctus ipsi (inquiens) idest Mamanti „ Joannes ex statuario monachus, ac tandem Patriarcha CP. „ *Postnik*, idest Jejunator, & non Potnik dici debet „. & paulo ante de S. Mamante: „ Sanctum Mamantem Martyrem „ passum Cæsareæ in Cappadocia sub Aureliano, meum Ustavum asserit fuisse nobilem Romanum, & quod quinquennis „ primum pronunciaverit Latine, Mama, ideo dictum Ma- „ mantem „. Fabula. Tam Mamantis, quam Joannis Jejunatoris

a Joannes Leonhardus Frischius in dissertatione de Slavonica lingua.

natoris memoria apud Græcos hac die in Menologio communi & Basiliano. De solo Mamante Calendarium Possevini & vetustissimum marmor Ecclesiæ Neapolitanæ sic. Pas. S. Mama: idest, Passio Sancti Mamantis. De utroque, codex Ruthenicus Vaticanus II. Latini Sanctum Mamantem colunt die 17. Augusti: de quo extat egregia homilia S. Basilii: agit & de eo S. Gregorius Nazianzenus in oratione in novam Dominicam, in fine: ubi de eodem Nicetas plura in Scholiis. Metaphrastes ex antiquioribus monumentis edidit ejus Acta, quæ refert Lipomanus, & Surius Tom. 4. ad 17. Augusti. Vide Baronium in not. ad eamdem diem. Initium: *Μάμας ὁ μέγας*. Alia auctore incerto incipit: *κατὰ τοὺς καιροὺς ἐκείνους*. Et: *τοὺς τῶν μαρτύρων πόνους*. Vide Lambecium Tom. VIII. pag. 221. & Fabricium in Biblioth. Græca Tom. IX. pag. 108. Joannes autem Jejunator, etsi ob titulum *Oecumenici*, quem assumsit (quamquam non primus ipse) a S. Gregorio magno Romano Pontifice acriter reprehensus fuerit, ejusque memoriam nonnulli Latini scriptores carpserint; a Græcis tamen semper cultus fuit, & ab eruditissimis Latinorum vindicatus.

Codex noster Slavicus ad hanc diem 2. Septembris sic habet: *S. Martyris Mamantis: & Juliani, Philippi, & Theodoræ: & Sanctorum Patrum nostrorum Constantinopolitanorum, Joannis Jejunatoris, & Pauli novi*. In Menologio Græcorum, præter Mamantem & Joannem Jejunatorem, commemorantur, *Paulus novus* Archiep. Constantinopoleos: & Sancti, Diomedes, Julianus, Philippus, Eutychianus, Hesychius, Leonides, Eutychius, Philadelphus, Melanippus, Parthagape: item Paulus Confessor Archiep. Constantinopoleos: & Lazarus Presbyter, & Phinees: necnon Aithala & Ammun Martyres. Agunt Latini in Martyrol. Rom. de *SS. Martyribus*, *Diomede*, *Juliano*, *Philippo*, *Eutychiano*, *Leonide*, *Philadelpho*, *Menalippo*, & (a) *Pantagape*, ad hunc diem, omisso *Eutychio*: de *S. Paulo* autem *Confessore* & *Patriarcha Constantinopolitano*, ad diem 7. Junii. Græci *Paulos* quatuor Constantinopolitanos colunt, *Confessorem* scilicet, qui sub Constantio Imperatore passus est, die 2. Septembris ut supra, & 6. Novembris: & *juniorem* seu *novum Paulum*, die 2. Septem-

a Sic vocatur Latinis, quæ Græcis, *Parthagape*.

ptembris, de quo Latini ſilent: & jure quidem meritoque: nam hic Paulus junior, qui Conſtantinopoli (*a*) ſedit ab an. 641. ad 651., quum aliquandiu hæreſim Monotheliticam occultaſſet, ob Typum, ſeu formulam fidei, ipſius opera, a Conſtante Imp. promulgatam, a Theodoro Papa damnatus fuit. Vide Pagium ad annum 648. num. 15. Duo alii cognomines *Pauli* ſedem Byzantinam tenuerunt: alter ſcilicet ex Laico a ſecretis, Patriarcha inauguratus anno 686. ſub quo Concilium Quiniſextum Trullanum eſt celebratum; alter Taraſii proximus deceſſor, qui ab anno 780. ad 784. ſedit, de cujus obitu hæc Pagius ex Theophane ad ann. 784. num. 1. „ Theophanes „ refert, menſis Auguſti die xxxi. Ind. vii. Paulum virum re„ ligioſum & Patriarcham Sanctiſſimum Eccleſiæ Conſtantino„ politanæ, quum in morbum incidiſſet, monaſticum habitum „ aſſumſiſſe, & non multo poſt ad Deum migraſſe „. Hujus, ut puto, memoriam celebrant Græci ad diem xxx. Auguſti: *μνήμη τῶν ἁγίων Πατριαρχῶν, Ἀλεξάνδρυ, Ἰωάννυ, καὶ παύλυ τῦ νέυ*, „ Memoria Sanctorum Patriarcharum, Alexandri, „ Joannis, & Pauli novi „. Prioris *Pauli*, qui ſub Juſtiniano anno 686. ſedebat, memoriam agunt die 20. Auguſti, his verbis: *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἀρχιεπ. Κωνςαντινυπολέως παύλυ τῦ νέυ. Eadem die memoria S. P. N. Archiep. Conſtant. Pauli novi.*

De *Theodota*, Græci in Monologio die 17. Septembris, & 21. Octobris una cum Socrate Presbytero. De eadem in Menologio Baſiliano, die 23. Octobris.

III.

ANTHIMUS EPISCOPUS.
THEOCTISTUS.

Ruthenice *Anſthym*, *Fteoctyſt*: nam ϑ Græcum, Slavice per *Ft* effertur. Poſſevinus, *S. Martyris Anthimi*, tantum. Ita & Codex Vaticanus Ruthenicus II. Falconius, *Anthimu*, *Prepodomne Theoctiſt*: *Anthimi*, *Theoctiſti Confeſſoris*. Capponiana Tabula, *Anthimo* addit titulum *Epiſcopi*; *Theoctiſto* detrahit *Prepodomne* [imo *Prepodobny*.] Papebrochius: *Anthimus Epiſcopus Martyr*. *Theoctiſtus Monachus*: additque: „ Socius S. Euthymii, de quo ad hujus vi„ tam

a Vide Pagium ad ann. 641. num. 7. & 651. num. 4.

„ tam multa diximus xx. Januarii, illius vero seorsim scriptam „ vitam exstare nullam scimus „. Codex noster Slavicus: *Sancti Hieromartyris Anthimi Episcopi Nicomediæ, & Sanctæ Martyris Basilissæ*. De Anthimo Episcopo Nicomediæ & Martyre, hac die Menologium Græcorum, & Basilianum: Latini autem in Martyrol. Rom. ad diem 27. Aprilis. Scribit de Anthimo Eusebius Hist. lib. 8. cap. 6. Exstant ejus Acta a Metaphraste descripta apud Lipom. Tom. 6. & Surium Tom. 8. Græce incipiunt: Τίς οὐκ οἶδε τὴν Νικομήδους: Lambec. Tom. 2. pag. 235. Theoctistus Monachus in Vita quidem S. Euthymii Abbatis memoratur: in Menologio autem Græcorum, unacum S. Anthimo Officium habet, sic inscriptum: τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Ἀνθίμου ἐπισκόπου Νικομηδείας, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Θεοκτίστου συνασκητοῦ τοῦ μεγάλου Εὐθυμίου: Sancti Sacromartyris Anthimi Episcopi Nicomediæ, & S. P. N. Theoctisti, Ascetæ unacum magno Euthymio. In Basiliano tamen Menologio, & in Romano Martyrolog. nulla fit ejus mentio. *Basilissa Virgo Martyr* Nicomediæ, æque a Græcis ac Latinis, eadem hac die colitur.

I V.

Babylas Antiochenus.

Moyses Deum videns.

Utriusque hac die memoria colitur in Menologio Græcorum, & in Basiliano. Codex Vaticanus Ruthenicus II. *Babylæ Martyris*, tantum. Ita & Possevinus, sed, *Sancti Martyris Bobuli*, male, pro, *Babylæ*. Papebrochius, *Babylas Episcopus Martyr cum tribus pueris*. Culcinius: *Babylas*, *Moyses*. In figurato Græco-Moscho Calendario Papebrochiano depictus est *Babylas* Episcopus cum tribus pueris; *Moyses* autem cum volumine explicato, in quo hæc verba: *Vidit rubum ardentem*: de quo & Latini hac ipsa die; de Babyla vero Antiocheno Episcopo & Mart. die 24. Januarii. Quum autem tam in nostris Capponianis, quam in Papebrochianis Tabulis *Babylas* habitu Episcopali cum Pallio Pontificio sit depictus, ex hoc constat, Græcos errare, qui in Menologio die 4. Septembris de duobus agunt Babylis, de ipso inprimis Antiocheno Episcopo, atque de alio ejusdem nominis Ludimagistro, eodemque unacum octoginta tribus pueris obtruncato. Vide eruditissimus

mas Baronii notas de hoc Sancto Babyla ad diem 24. Januarii; ubi ostendit, & unum fuisse Babylam Episcopum Antiochenum, & hunc non sub Numeriano, sed sub Decio martyrium subiisse. Acta Græca S. Babylæ Antiocheni: Νεμεριανȣ̃ τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα. Lambec. Tom. VIII. pag. 235. Latine apud Surium Tom. V. De eodem S. Jo: Chrysostomus Tom. V. Savil. pag. 438. Ἐγὼ μὲν ἐβȣλόμην. Et pag. 442. Ὁ κύριος ἡμῶν Ἰησȣ̃ς Χριστός. Codex noster Slavicus: *Sanctorum Martyrum Babylæ, & Hermionis, & Theodori; & Sancti Prophetæ Moysis. Hermione*, Russis *Seremioni*, una fuit è quatuor filiabus S. Philippi Diaconi, de qua Græci hac die in Menologio: & Baronius not. ad 6. Junii: „ Recens adhuc erat Cæsa-
„ reæ maritimæ in Palæstina, temporibus S. Hieronymi, me-
„ moria Philippi Diaconi, & filiarum ejus: nam ædicula Phi-
„ lippi, & filiarum cellulæ adhuc integræ permanebant, quas
„ omnes S. Paula profectura Hierosolymam invisit, ut idem
„ S. Hieronymus scribit epist. 27. ad Eustochium „. Et de eadem Hermione unacum tribus sororibus hæc leguntur in Martyrol. Rom. ad eandem diem 6. Junii: „ Juxta quem
„ [Philippum patrem] tres Virgines ejus filiæ Prophetissæ
„ [Cæsareæ] tumulatæ jacent: nam quarta filia ejus [Her-
„ mione nempe, de qua Græci] plena Spiritu Sancto Ephesi
„ occubuit „. In eodem Græcorum Menologio hac die 4. Septembris fit memoria: τῶν ἁγίων μαρτύρων Κεντηρίωνος, ὠκεανȣ̃, Θεοδώρȣ, Ἀμμιανȣ̃, καὶ Ἰȣλιανȣ̃ ὁρμωμένων ἐκ κώμης Κανδαύλης, Sanctorum Martyrum Centerionis, Oceani, Theodori, Ammiani, & Juliani, ortorum ex Vico Candaule. Tum Hermiones, tum horum Martyrum Theodori, Oceani, Ammiani, & Juliani (omisso Centerionis nomine) Acta breviter leguntur in Menologio Basiliano Tom. I. pagin. 13. & sequen. necnon in Martyrologio Romano ad hanc diem quartam Septembris.

V.

Zacharias Propheta.

Uterque Vaticanus Codex Ruthenicus: *Zachariæ Prophetæ*. Possevinus: *Sancti Prophetæ Zachariæ*. Culcinius: *Zachariæ*. Codex noster Slavicus, *Sancti Prophetæ Zachariæ, patris Joannis Baptistæ*. De quo, hac die, utrumque Græ-

Græcorum Menologium . Latini vero in Martyrolog. die v. Novembris.

V I.

Miraculum Archangeli Michaelis.

Archippus.

Poſſevinus, & uterque Codex Vaticanus: *Michaëlis Archangeli*. Culcinius in Appendice: *Miraculum Archangeli Michaelis*: & Par. 2. pag. 96. „ Miraculum Archangeli Michaë-„ lis. Hæc eſt epigraphe in Tabulis figuratis: & idcirco de-„ lenda, *Synaxis*. Mei libri dant talem huic Feſto titulum: „ *Commemoratio miraculi facti ab Archangelo Michaele Cho-„ nis, quæ prius Colaſſa dicebatur in Phrygia*. In Anthologio „ adeſt officium cum duplici Canone, & Synaxario, cui hæc „ præmittuntur.

„ *Ut ſacram tibi ædem, magne Michael, defenderes,*

„ *Diluvium fluminum Chonenſium in abyſſum pepuliſti:*

Papebrochius: *Synaxis Archangeli Michaëlis*. Ruthenica vox, *Czudo, miraculum*, non *Synaxis*, ſonat. Pergit idem: „ Qui „ hic ante Eccleſiam diadematus aſſiſtit velut Sanctus, eſt „ Presbyter Archippus, cui ea revelatio facta eſt, cujus etiam „ vita ipſi narrationi miſcetur, & nomen cum titulo *Sancti* „ præfigitur eidem narrationi in quodam Bibliothecæ Am-„ broſianæ manuſcripto „. Non ſolum in Papebrochianis, ſed etiam in noſtris Capponianis Tabulis, S. Archippus depingitur ut Presbyter cum nimbo capiti circumducto, ante S. Michaëlis Eccleſiam aſſiſtens. Porro de miraculo Coloſſis ſive Chonis per S. Michaëlem Archangelum a Deo patrato, utrumque Græcum Menologium meminit hac die: Latinum Martyrolog. ſilet. Græca narratio exſtat MS. apud Lambec. Tom. VIII. pag. 236. 287. & ſeq. *καὶ τὸ περὶ τῶν ὄλλων ἁγίων δεξιῶναι*. Latine apud Lipom. & Surium Tom. v. ad 29. Septemb. De eodem miraculo Siſinius Patriarcha CP. *θαυμάσια τὰ ἔργα σου κύριε*. De Archippo autem Eremita ac Paramonario, *ἡ ἀρχὴ τῶν ἰαμάτων καὶ δωρεῶν*, Lambec. Tom. IV. pag. 129. Tom. VIII. pag. 379. Codex noſter Slavicus: *S. Martyris Eudoxii, Charitonis*. Et charactere Cyrilliano, manu recentiori: *Michaëlis Archangeli*. Ex quo conſtat, hunc Codicem ante inſtitutam hanc feſtivitatem fuiſſe exaratum. In Menologio Græcorum

hac die: τῶν ἁγίων μαρτύρων εὐδοξίε, ζήνωνος, Ρωμύλε, ϗ Μακαρίε, *SS. Martyrum Eudoxii, Zenonis, Romuli, & Macarii*: de quibus in Martyrol. Rom. „ Eodem die S. Romuli, „ aulæ Trajani præfecti &c. Melitine in Armenia passio SS. Mi- „ litum Eudoxii, Zenonis, Macharii, & sociorum mille, centum „ & quatuor, qui abjicientes militiæ cingulum, in persecutio- „ ne Diocletiani pro confessione Christi necati sunt „. Vide notas Baronii ad nomina *Romuli*, &, *Eudoxii*. De *Charitone* meminit Martyrol. Rom. ad diem 3. Septemb. *Item SS. Martyrum Zenonis & Charitonis &c.* Et Baronius in notis: *Zenonis & Charitonis*. „ Iidem [Græci] qui supra, in eodem „ Menologio de his agunt seorsum (*a Sancta Basilissa*) quasi „ indicantes, non una simul, sed diversis in locis eadem die „ passos esse „. Atqui in Menol. Græcorum ante Basilissam, de solo *Zenone* Martyre fit commemoratio his verbis: ὁ ἅγιος Ζήνων εἰς λέβητι μολύβδε καχλάζοντος βληθεὶς τελιεῦται, *Sanctus Zeno in lebetem plumbi liquati conjectus, consummatur*: De Charitone autem ad diem IX. Sept. sic: ὁ ἅγιος χαρίτων ξίφει τελιεῦται. *Sanctus Chariton, gladio occumbit*. Porro acta Eudoxii & sociorum, ἐπὶ Γαϊανῦ τῦ δυσσεβῦς Βασιλέως, Græce, Latine apud Lipom. Tom. VI. & Surium V. Septemb.

VII.

MARTYR SOZON.

Possevinus: *S. Martyris Sosontis*, lege, *Sozontis*. In Fastis Papebrochianis, *Sozont*, *Eudokim*, *Sozontis*, *Eudocimi*. Culcinius: *Sozon*, *Eudocimus*. In Vaticanis Codicibus Ruthenicis, & in nostro Slavico, nulla horum mentio: hac enim die vacat: nimirum, quia celebratur προεορτία τῆς γεννήσεως τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκε, *Profestum Nativitatis Sanctissimæ Deiparæ*. Papebrochius: „ Sozon Martyr: Eudocimus, „ an Eudoxius? Martyr. Priori nomine nullus hoc mense „ uspiam, posteriori reperitur unus, & quidem die præce- „ denti in Menæis cum sociis Zenone, & Romulo, quorum „ Acta Græce habemus; nomina autem Romano hodierno „ inscripta fuut die V. „. Culcinius in Specimine Par. 2. pagin. 96. „ Sozoni (Sozonti) Martyri in Tabulis figuratis as- „ sociatus nec est Eudocimus, nec Eudoxius, quum neu- „ trum plane inscriptio exprimat; sed est Evodus, qui in „ meo

„ meo Synaxario afferitur magnæ Antiochiæ post Petrum „ Apostolum Episcopus, in Epistolis B. Pauli magnifice com- „ memoratus, & præclarus verbi divini præco „. Miror, Culcinium negare, in tabulis figuratis Papebrochianis adesse *Eudocimum*: verba Slavica hæc sunt supra ejus caput: ЕВДОКНМЗ quæ certe *Eudocimum* sonant. Quod autem hic Sanctus nequeat pro Evodo Antiochiæ Episcopo accipi, ipsa imago convincit; non enim habitu est Episcopali, sed cum tunica & pallio in eorum morem, qui neque sunt in Clero. Quamobrem eundem esse hunc *Eudocimum* mihi certum est, cujus Acta ex Metaphraste descripta leguntur Latine in Tom. 4. Lipomani, & apud Surium ad 29. Julii. Initium: „ Eudocimi, qui „ convenienter suo nomini „. At vero de Sozonte, qui Pompejopoli in Cilicia sub Maximiano Imperatore in ignem injectus, reddidit spiritum, agunt hac die & Græci in utroque Menologio, & Latini in Martyrologio: ejusque Acta ex Metaphraste describit Lipom. Tom. 6. & Surius Tom. 5. Græca incipiunt: Μαξιμιανῦ τῆς Κιλικίας ἡγεμονεύοντος, apud Lambec. Tom. VIII. pag. 237. Vide in *Jattesio* apud Fabric. Tomo 9. Bibl. Græc. pag. 84.; Nam & *Sozon*, & *Jattesius* vocabatur.

VIII.

NATIVITAS DEIPARÆ.

De eadem Latini & Græci hac die. Codices Vaticani, & Ephemerides Capponianæ: *Rozdestwo Bogorodiky*, *Nativitas Deiparæ*. Possevinus: *Nativitas B. Virginis Mariæ*. Culcinius: *Rozdestwo Preswiatya Bohorodyky*, *Nativitas Sanctissimæ Deiparæ*: Nam Moschi literam γ, aspirant, sic: *Archanbela*, pro, *Archangela*, *Bohorodyky*, pro *Bogorodychy*. Papebrochius; *Nativitas Virginis Mariæ*. At Inscriptio Ruthenica in Ephemeridibus Papebrochianis ita habet, ut apud Culcinium: qui Par. 2. pag. 96. de eadem solemnitate hæc observat: „ Rozdestwo, hoc est, Nativitas SS. Dominæ nostræ „ Deiparæ, quæ nata est regia stirpe, e progenie David, e „ parentibus Joachimo & Anna, anno conditi orbis 5486. Ita „ mei libri, in quibus habeo solemne de hoc festo officium. Annus iste orbis conditi 5486., juxta Græcorum Moschorumque supputationem incidit in annum ante vulgarem Christi

Epocham 22. nam Graeci & Moschi natum Christum volunt anno orbis conditi 5508. Verùm libris Culcinianis hac in re non est fides semper adhibenda: nam errant frequentissime in Epocha assignanda. Sic ad diem 25. Decembris Par.2. pag. 108. dicitur Christus natus *anno ab orbe condito 5526.*: quod nemo Graecorum dixerit: alioquin Christus e Virgine Maria natus fuisset agente annum aetatis quadragesimum: tot enim anni fluxerint ab anno mundi 5486. quo Virgo Maria in libris Culcinianis nata perhibetur, ad annum mundi 5526. quo Christus Dominus ex eadem natus affirmatur in iisdem libris. Tabulae nostrae Capponianae repraesentant Annam in lecto jacentem post partum, pedissequam jusculum ei offerentem, Joachimum juxta lectum sedentem, & obstetricem manibus natam infantulam Mariam in gremio tenentem, ut eam in concha abluat. Anna, Joachim, & nata Maria, habent nimbum capitibus circumductum: praeterea in Annae & Joachimi nimbo scripta nomina, *Anna*, *Joachim*. In Tabulis Papebrochianis, Anna jacet in lecto: pedissequa jusculum ei exhibet: e regione lecti obstetrix ambabus manibus tenet nudam Mariam recens natam, habens sub se concham, & pone, alteram pedissequam. Capita Annae, & Mariae sunt radiata. Caeterum Joachim non adest, neque ulla est inscriptio, praeter eam, quam Culcinius exhibet, nimirum, *nativitas Sanctissimae Deiparae*.

I X.

JOACHIM.

ANNA.

MARTYR SEVERIANUS.

Possevinus: *SS. Joachim & Annae*, absque ulla Severiani commemoratione. Ita & uterque codex Vaticanus & Codex noster Slavicus. Fasti Papebrochiani & Culcinius: *Joachim*, *Anna*, *Severianus*, Papebrochius: *Joachim & Anna*, *parentes Deiparae*. *Severianus martyr*, *Sebaste in Armenia sub Licinio*. *Nomen reperies in hodierno Romano*: *Acta Graeca nos habemus nova forsan Latinitate donanda*. De iisdem utrumque Menologium Graecorum hac eadem die. At Latini, de Joachimo quidem antea die 18. Martii, nunc Dominica infra octavam Assumptionis Deiparae: de Anna vero die 26. Julii; de Severiano demum martyre, hac die 9. Septem-

ptembris. Calendarium Ecclesiæ Neapolitanæ ad hanc diem: *S. Joachim & Anne*. Acta Severiani militis, Græce incipiunt *Λικινίου τοῦ δυσσεβῶς βασιλεύοντος, λυσίας τὸ τηνικαῦτα δὺξ ὤν*, Lambec. Tom. 8. pag. 267. Latine apud Lipom., & Sur. Tom. 5. ad 9. Sept.

X.

MENODORA.
METRODORA.
NYMPHODORA.

De his tribus Sanctis Sororibus Græci hac die in utroque Menologio, & Latini in Martyrologio, necnon Fasti Græcomoschi Papebrochiani apud Culcinium in Appendice, & apud Papebrochium, qui hæc de Possevino observat: *Possevinus nescio qua contractione scribit nomen Martyris Rundonæ. Nam pro, Menodora, Metrodora, & Nymphodora, ipse habet, Sanctæ Martyris Rundonæ*. In Codice Vaticano Ruthenico I. nulla harum fit mentio: at in Codice II. ad diem 13. Septembris: *Menodora, Metrodora, & Nymphodora. Et Adoratio Crucis*. Acta extant Latine apud Lipom. Tom. 5. & Sur. ad x. Sept. Græce *οὐδὲ γυναιξὶν οὐδὲ κόραις τὸ τῆς μαρτυρίας ἀποκέκλεισται στάδιον*, apud Lambec. tom. 8. pag. 238. Codex noster Slavicus ad diem IX. post Joachim & Annam, addit: *Sabbatum ante Exaltationem Crucis*. Et die x. vacat. Nimirum, *ante Festum* Crucis, quod die XIV. recolitur, præmittitur ejusdem *Adoratio* tribus ante diebus: decima, scil. undecima, & duodecima. In die autem tertia decima fit *προεορτία*, *Profestum Crucis*.

X I.

SANCTA THEODORA.

Ita & Possevinus: *S. Theodoræ*. Fasti Græco-Moschi Papebrochiani, apud Culcinium: *Theodora*: apud Papebrochium. „ Theodora, pœnitens Alexandrina: nomini ejus *πρ* „ perperam præfigitur loco MP, idest, *πατὴρ*, loco *μήτηρ*. Verùm eæ literæ non sunt Græce legendæ, sed Ruthenicè, sic *πρεποδοβνάïα*, *Sancta*, uti supra monuimus, Agunt de hac Sancta Pœnitente Græci in utroque Menologio, & Latini in Martyrologio, hac die. At in Codicibus Ruthenicis Vaticanis I. & II. nulla fit ejus mentio, vel quia ejus cultus est serius

apud

apud illos inductus; vel potius quia iis in Calendariis nomina eorum dumtaxat Sanctorum sunt inscripta, de quibus fit peculiare officium. In Menologio Græcorum ex Typographi oscitantia, nomini Theodoræ præfigitur, initio quidem, ὁσίας μάρτυρος ἡμῶν Θεοδώρας Sanctæ Martyris nostræ Theodoræ: ante Synaxarium vero, τῆς ὁσίας πατρὸς ἡμῶν, *Sanctæ Patris nostri*: loco, τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν, *Sanctæ Matris nostræ*. Acta S. Theodoræ Alexandrinæ prodierunt Latine apud Lipom. & Sur. ad XI. Sept. Græce extant MSS. apud Lambec. Tom. 8. pag. 239. 320. Init. Ζήνων ἤδη τὴν αὐτοκράτορα. Alia Anonymo Auctore, ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις Ζήνωνος τοῦ Βασιλέως καὶ Γρηγορίου ἐπάρχου ὄντων ἐν Ἀλεξανδρείᾳ, apud Fabric. Tom. 9. Bibl. Græc. pag. 147.

XII.

Sacrosanctus Martyr Autonomus.

Slavice, *Swenno Muczenik*, idem quod Græce ἱερομάρτυρ; titulus iis martyribus datus, qui simul Sacerdotio sunt insigniti. Tabulæ Papebrochianæ: *Autonomus*: Possevino minus recte, *Autonecbus*. Græci & Latini de eodem, hac die. Codices Vaticani Ruthenici silent. Codex noster Slavicus habet ad diem XI. *Adoratio Ligni Venerabilis*, & *S. Autonomi*. Habitu Episcopali est ornatus: Episcopus enim fuit, uti habent Acta a Metaphraste edita, quæ videre est apud Lipom. tom. 5. & Surium ad XII. Sept. Græce incipiunt, τῆς Ἰωνίας ἀπὸ πόλεως. Vide Allat. de Simeonum script. pag. 129. & Lambec. tom. 8. pag. 239. Marmor Neapolitanum ad hanc diem: *P. Autonomu. Ep. M.* ideſt, Paſſio Autonomi Epiſcopi & Mart.

XIII.

Dedicatio Templi.

Cornelius.

Fasti Papebrochiani: *Cornelius*. Possevinus: *S. Martyris Cornelii*. Papebrochius: *Cornelius Centurio. Creditur postea factus Episcopus in pace obiisse*. Certe habitum Episcopalem gerit tam in Tabulis Papebrochianis, quam in Capponianis. Porro de S. Cornelio Centurione hac die etiam Græci agunt in Menologio: at Latini in Martyrologio ad diem 2. Februarii; Menologium vero Basilianum Par. 1. pag. 129. ad diem

diem 20. Octobris. Vaticani Codices Ruthenici de S. Cornelio nihil; sed horum secundus, ad diem 13. Septemb. sic habet, ut supra diximus: *Menodora*, *Metrodora*, *Nymphodora*. *Et Adoratio Crucis*. Capponianæ Tabulæ præmittunt Cornelio, *Dedicationem Templi*, utique *Hierosolymitani Sanctæ Resurrectionis*, quæ dedicatio facta est, Constantino imperante, in Synodo Episcoporum anno Christi 335. Per eam occasionem & Crux adorata est; ut habet Vaticanus Codex & Menologium Græcorum. De S. Cornelio Centurione, ex Metaphraste Lipoman. & Sur. ad 13. Sept. Græce initium: μετὰ τὴν σωτήριον ἐπὶ γῆς τοῦ λόγου ἐπιδημίαν, Apud Lambec. tom. 8. pag. 240. Codex noster Slavicus pro *Cornelio*, qui hac die 13. colitur, habet ad diem 12. *S. Martyris Cornati Episcopi Iconiensis*. Græci eum vocant *Curnutum*, Latini *Coronotum*. utrique de eo agunt ad diem XII. hujus.

XIV.

Exaltatio Crucis.

Tabulæ Capponianæ: *Vozdwizenie Kresta*, Exaltatio Crucis. Papebrochianæ: *Vozdwizenie Czestnaho Kresta*, Exaltatio Venerandæ Crucis. Repræsentatur in nostris Tabulis Episcopus habitu Pontificali, nudo capite, ambabus manibus Crucem supra caput exaltans ante fores Templi, adstantibus hinc inde duobus Diaconis, & infra, a dextris quidem Rege coronato, a sinistris autem Regina item coronata. In Tabulis Papebrochianis depictus est Episcopus cum Pallio sedens præ foribus Templi, elevans supra caput Crucem geminam, adstantibus hinc inde duobus Diaconis. In latere dextero sedent in Throno Imperator, cum Sceptro Crucem habente in summitate coronatus, & Imperatrix item coronata, cum regio nato ad pedes matris stante: & quatuor magnatibus ante Thronum Imperatoris. In latere sinistro Presbyteri, Clerus, & populus. Pictura significat consuetudinem exaltandi Crucem in Russia coram Rege & Regina, & Constantinopoli coram Imperatore & Imperatrice. In Menologio Basiliano Pictura repræsentat primam Crucis exaltationem, hoc est, solennem ostensionem factam populo in urbe Hierosolymitana, quando primum a S. Helena fuit inventa. In ambone Templi stat Episcopus Crucem geminam ambabus manibus tenens, adstanti-

ſtantibus ſub uno gradu duobus Diaconis Epiſcopum adjuvantibus, in infimo autem Ambonis gradu duobus clericis cereum accenſum geſtantibus. Synaxarium ejuſdem Menologii: „ Ejus „ itaque mater conquirendæ Crucis ſtudio Hieroſolyma ve- „ niens, reperit eam ſibi manifeſtatam a Cyriaco Judæo, „ qui poſtea Epiſcopus fuit: quam quum populus univerſus „ vidiſſet, ſummo gaudio affectus fuit, & Imperatrix qui- „ dem una cum Senatu illam adoravit, & oſculata eſt. Po- „ pulus vero quum ſummo teneretur adorandæ Crucis deſide- „ rio, neque id ſibi propter innumeram hominum turbam face- „ re liceret, petiit, ut ſibi ſaltem illam videndi poteſtas fie- „ ret. Quam ubi vidit, in hanc vocem populus erupit, Ky- „ rie eleiſon. Atque hinc exaltationis typus expreſſus fuit, καὶ „ ἐτυπώθη εἰς ὕψωσιν „. Ubi recte dicitur, ex illo Sanctæ Helenæ facto typum exaltationis fuiſſe expreſſum; non enim Heleniana illa Crucis exaltatio menſe Septembri contingere potuit, quum Sancta illa Imperatrix quo anno (ideſt Chr. 326.) Crucem Dominicam Hieroſolyms invenit exaltavitque, menſem Septembrem non attigerit: migravit enim ad ſuperos, poſtquam Hieroſolymis Romam veniſſet, Romæ inter filii Conſtantini magni, ac nepotum complexus die 18. Auguſti anno Chr. 326. quemadmodum Pagius ex Euſebio, & Gothofrido demonſtrat ad eundem annum num. xv. Reſtat igitur, ut dicamus, Ritum illum Crucem exaltandi, a temporibus S. Helenæ in Eccleſiam Hieroſolmytanam menſe Majo anni Chriſti 326. invectum, eodem etiam menſe ſervari ſolitum fuiſſe, uſque ad annum Chriſti 335. quo anno Templum auguſtiſſimum Reſurrectionis Dominicæ a Conſtantino magno ædificatum, menſe Septembri die 13. dedicatum fuit: tunc enim exaltatio Crucis ad diem ſequentem, quæ anno 335. in Dominicam incidit, a tempore Paſchali translata eſt. Pagius ad annum 335. num. VI. „ Dedicatio Eccleſiæ Hieroſolymi- „ tanæ peracta Idibus Septembris, ideſt die 13., Septembris ut „ docent Nicephorus lib. 8. cap. 30. Typicum Sancti Sabæ, „ Menologium Græcorum, ac Sophronius in oratione de Exal- „ tatione S. Crucis. Eccleſia tamen, tam Occidentalis, quam „ Orientalis, Feſtum Exaltationis S. Crucis celebrat die XIV. „ Septembris, ſive quia eo die Crux inventa, ſive ob aliam

„ ratio-

„ rationem hactenus ignotam „. Prima Pagii ratio falsa est, quia Crux inventa longe ante mensem Septembrem, nimirum initio Maji, aut saltem Paschali tempore. Quam autem ignotam rationem idem Pagius vocat, pronum est in apertum adducere. „ Idus Septembris, seu dies XIII. illius „ mensis (*verba sunt ejusdem Pagii loc. cit.*) concurrit hoc an„ no (335.) cum Sabbato, ut Methodus Cyclica docet. Qua„ re nondum mos invaluerat, ut Ecclesiæ die Dominica dedi„ carentur „. Atqui Patres illius Concilii Hierosolymitani, idcirco encænia Ecclesiæ Sabbato peregerunt, ut possent die Dominica Crucem solemniter exaltare. Quamobrem & dedicatio Basilicæ Hierosolymitanæ, & Crucis exaltatio primum cœpit die XIV. Septembris celebrari Hierosolymis: deinde in aliis Orientis & Occidentis Ecclesiis. Hæc, ut opinor, vera ratio exaltationis Sanctæ Crucis ad diem XIV. Septembris institutæ. Baronius in notis ad Martyrol. Rom. hac die 14. Sept. observat quidem istam solennitatem sub Constantino magno institutam, sed tempus non assignat. „ Agunt, inquit, & „ Græci hac die solemnitatem exaltationis S. Crucis, non ta„ men quando per Heraclium Imp. devicto Chosroe restituta „ est; sed quum, Constantino imperante, gloria exaltatæ „ Crucis, majore fulgore in orbe effulsit. *Et post pauca.* „ Græci itaque longe ante Heraclii tempora hac ipsa die ejus„ modi celebritatem agebant: qua item die exaltationis S. Cru„ cis Sanctum Joannem Chrysostomum ex hac vita migrasse, „ hi tradunt, qui res gestas ipsius sunt prosecuti .... Latini „ etiam ante Heraclii tempora hanc diem exaltationis S. Cru„ cis dicatam coluisse videntur: nam in Sacramentario S. Gre„ gorii de eadem hac die agitur. Putamus itaque eandem so„ lemnitatem multo prius celebrari solitam, tanta deinde „ parta victoria auctam, redditamque ex ejus rei memoria „ illustriorem „. Et nonnullis interpositis. „ Rei gestæ hi„ storiam multis involutam ambagibus legimus manuscriptam, „ quam penes nos habemus, auctore quodam Nicephoro Epi„ scopo, cujus est initium: Tempore illo, quo &c. Quid au„ tem in ea germanum, quidve spurium sit, diximus in An„ nal. Eccl. Quod doluimus, historiam illam nonnullis auctam „ mendaciis, in quibusdam Ecclesiis pictam vidimus „. Ha-

ctenus Baronius. Culcinius in Specimine Par. 2. pag. 96. ex Ruthenico Synaxario caufam hujus festi ad S. Crucis inventionem refert, his verbis: „ Wſemirnoie Wozdvizenie, idest,
„ Universalis (*a*) exaltatio Sanctæ & vivificæ Crucis Domi-
„ nicæ. Festum hoc unum ex principalioribus peragitur a Ru-
„ thenis cum jejunio. Officium recenset varios Authores, &
„ præcipue Andream Jerosolymitanum, Theophanem, Cy-
„ prianum, Anatolium, & Leonem Despotam. Canon Do-
„ mini Cosmæ, cujus Acrostichis, *In Cruce confidens*, *cano*
„ *eidem*. Synaxarii hanc do epitomen. Constantinus magnus
„ gessit præcipue tria bella insignia. Primum contra Maxen-
„ tium &c. Secundum bellum gessit contra Byzantinos &c.
„ Tertium conflictum habuit cum Scythis ad flumen Danu-
„ bium &c. Tantis onustus trophæis Constantinus, intellexit
„ virtutem Crucis salutiferæ; ideoque quum credidisset in
„ Christum, & Sacrum suscepisset Lavacrum, misit gloriosam
„ suam Matrem Helenam, ut quæreret Hierosolymis venera-
„ bile Lignum. Successit ex animi sententia: nam repertæ
„ sunt tres Cruces, in quarum una posita mortua vidua quum
„ revixisset, hæc fuit probata pro vera Redemptoris Cruce.
„ Hanc igitur adoravit Imperatrix cum toto Senatu: plebs
„ vero quum non posset propius accedere, clamavit petens,
„ ut saltem a longe fas esset videre. Satis factum justis petitis.
„ Nam Macarius Patriarcha conscendens in Templo ambo-
„ nem, exaltavit vivificam Crucem, adoransque eam, be-
„ nedixit populo per singulas quatuor orbis partes. Populus
„ gaudio perfusus, non cessabat clamare, Kyrie eleison.
„ Hinc ab hoc tempore institutum est festum solemne exalta-
„ tionis S. Crucis „. *Hactenus meum Synaxarium*. Subdit Culcinius. „ Ex quo colligitur exaltationem Crucis per aliquot
„ secula celebratam fuisse ipsomet festo Pentecostes, ut in-
„ ducor ad hanc opinionem ex Tabulis figuratis ad diem 7.
„ Maji, ubi totum id exhibet imago, quod ego hic retuli. A
„ tempore vero Heraclii Imperatoris translata est eadem fe-
„ stivitas ad hanc diem, & solemnius celebrari cœpit, cum
„ jejunio tamen, cuius origo debuit inde processisse, quod
„ quum

a Græci in Menæis, καὶ παγκόσμιος ὕψωσις τοῦ τιμίου καὶ ζωοποιοῦ σταυροῦ, eodem sensu.

„ quum laudatus Imperator in habitu humili & nudipes „ ereptam Persis Crucem Templo intulisset, author fuit, „ monente fortassis Zacharia Patriarcha, ut festum exaltatio- „ nis deinceps cum jejunio coleretur „ . Duo hic asserit Culcinius, quæ probari nequeunt. Primum ait, exaltationem Crucis a tempore S. Helenæ per aliquot secula celebratam fuisse ipsomet festo Pentecostes, usque ad tempora Heraclii Imperatoris, sub quo translata sit eadem festivitas ad diem 14. Septembris. Falsum hoc esse, supra ostendimus: nam longe ante Heraclii ætatem jam Græci & Latini hac ipsa die 14. Sept. ejusmodi celebritatem agebant: nimirum ab anno Chr. 335. quo primum ea celebritas in Synodo Hierosolymitana fuit peracta. Alterum quod asserit, nimirum ipsomet festo Pentecostes exaltationem Crucis olim celebratam fuisse „ ut inducor, inquit, „ ad hanc opinionem ex Tabulis figuratis ad diem 7.Maji, ubi „ totum id exhibet Imago, quod ego hic retuli „ dupliciter falsum est: Et primo quidem quod a temporibus S.Helenæ exaltatio Crucis ipsomet festo Pentecostes celebrata sit. Non enim festo Pentecostes apud Græcos, sed secunda die Paschæ Crux exaltari consueverat Hierosolymis. Audiatur Sophronius in oratione, quæ extat in Bibliotheca Patrum to.7. editionis Coloniensis. Quærit Sanctus Hierosolymorum Patriarcha: „ Cur non, sic- „ ut antea divina Crux prius exorta refulsit, Domino in „ Cruce feria VI. pendente, quam hic resurgeret; sic & nunc „ *luciflua Resurrectio* ejusdem Domini *tertio post illam die* „ *resplendeat*? idest, cur mysterium Resurrectionis non ce- „ lebretur die tertio post exaltatam, seu demonstratam so- „ lemniter Crucem? Postquam autem hoc quæsivit, ipsemet „ sibi ad propositam interrogationem respondens, significat, „ postridie Resurrectionis convenientius ostendi Crucem; „ &, Arbitramur, inquit, nobisque conjectura ducti persua- „ demus, eos, qui ex finibus terræ ad utriusque adorationem „ se conferunt, hujus subsequutionis & antegressionis causam „ fuisse, ut obito prius & celebrato lætissimo & splendidissi- „ mo Resurrectionis festo, post hoc autem statim Crucis exal- „ tatione conspecta, potentissimum ejus comitatum, quasi „ egregium quoddam viaticum, secum asportent, habeantque „ Crucem in terra simul gradientem, in mari simul navigan-

„ tem comitem , omniumque incommodorum profligatri-
„ cem „ . Hactenus Sophronius . Addit Papebrochius tom. I. Maji ad diem 3. pag. 365. num. 19. „ Ne vero saltem unam
„ feriam putes posse interjici, præcavit ipse (*S. Sophronius*)
„ sic ante professus. Hodie procedit Resurrectio, suaque
„ progressione omnia illustrat & ornat: cras Crux manifesta-
„ tur, cultoribusque largitur munera. Hodie Resurrectio ex-
„ panditur: cras Crux in edito loco quodammodo supervo-
„ lat „. Atque hoc est, quod [ut ibidem Papebrochius observat] in epistola ad Severum indicant hæc S. Paulini verba:
„ Basilica auratis corusca laquearibus, arcano positam Sacra-
„ rio Crucem servat: quam Episcopus urbis ejus (*Hierosolymorum*) quotannis, quum Pascha Domini agitur, ado-
„ randam populo, princeps ipse venerantium, promit „. Addit deinde idem Paulinus: „ Neque præter hanc diem,
„ qua Crucis ipsum mysterium celebratur, ipsa, quæ sacra-
„ mentorum causa est, quasi quoddam Sacræ Solemnitatis
„ insigne profertur; nisi interdum religiosissimi postulent,
„ qui hac tantum causa illo peregrinati advenerint, ut sibi
„ ejus revelatio, quasi in pretium longinquæ peregrinationis
„ deferatur: quod solum Episcopi munere obtineri ferunt „. Hinc ut peregrinorum pietati fieret satis, *in medio jejunii*, hoc est, in media jejuniorum hebdomada, quæ nobis est Quadragesimæ tertia, aliam Crucis ostensionem fieri solitam, idem S. Sophronius tradit in alia ipsius oratione pro ea festivitate post alteram edita, sub eodem adorationis titulo: in qua expresse dicit, quod *in medio jejunii, adorationis gratia, proponi solet lignum vitale venerandæ Crucis*. Itaque Græci exaltationem Crucis non *ipsomet festo Pentecostes* (ut vult Culcinius) celebrabant, sed *in medio jejunii, & secunda die Paschæ*; idque in Ecclesia Hierosolymitana; Latini vero die 3. Maji; cujus rei hanc conjecturam profert Papebrochius loco citat. num. 23. „ Ast Romæ aliter composita res erat. Ibi
„ jampridem, in memoriam ejus, quæ Constantino contra
„ Maxentium pugnaturo apparuerat, Crucis Ecclesia stabat
„ in ædibus Sessorianis erecta: ad hanc tamquam ad pro-
„ prium locum, partem sacri Ligni detulisse Helena credi po-
„ test, mox atque è Terra Sancta redux in Urbem appulit.
„ Quod

„ Quod si credam, cur non & in hac, priusquam Hierosoly-
„ mitana fabrica absolveretur, putem cæptam recoli memo-
„ riam ejus diei, quo Crucem invenisse se narrabat Helena?
„ Sic tamen id credere velim, ut etiam existimem, quod ea
„ festivitas propria manserit isti Basilicæ, usquedum succe-
„ dentium Pontificum aliquis ante seculum verosimiliter se-
„ xtum, idem festum voluit ab aliis quoque Romanæ Urbis
„ Ecclesiis celebrari: unde paulatim propagatum ipsum est ad
„ Ecclesias alias, ac tandem etiam inter festa a populo feriato
„ agenda numeratum, quemadmodum hodie usurpat tota
„ Ecclesia Occidentalis „. Optima conjectura. Sic enim Festum Nivis primum in sola Basilica Liberiana celebratum, & Dedicationem Basilicæ Lateranensis, & Vaticanæ, in his tantum duabus Ecclesiis celebratam; ab aliis postea Ecclesiis Romanæ Urbis primum, & postea a tota Occidentali Ecclesia recoli Summi Pontifices jusserunt.

Secundo, falsum quoque est, quod Culcinius addit ad confirmandam suam opinionem de Exaltatione Crucis olim in ipso Pentecostes die celebrata, producens Tabulam Græcomoscham figuratam ad diem 7. Maji. Ea enim Tabula, primo, non repræsentat Adorationem Crucis in Templo Hierosolymitano fieri solitam: sed miraculum Apparitionis Crucis, quod sub Constantio Imp. accidit. Hæc sunt Inscriptionis Slavicæ verba apud eundem Culcinium in Appendice pag. 87. „ Javlenie na nebesi Czestnaho Kresta pry Konstantiy Cari „: *Apparitio in cælo Venerandæ Crucis sub Constantio Imperatore*: Quæ apparitio contigit anno Christi non 353. ut nonnulli tradunt, sed anno 351. Nonis Maji, quemadmodum Pagius ostendit ad annum 353. a num. 7. ad XI. Deinde Culcinius ipse in Specimine Par. II. pag. 80. ad diem VII. Maji reprehendit Moschum pictorem, qui, quamquam in Calendario, quod ipse pingendum aggrediebatur, diserta mentio fieret de Crucis apparitione, quæ sub Constantio Imp. accidit, imperite tamen eam apparitionem ad Constantini magni tempora detorquens, Victoriam hujus contra Maxentium ad Tiberim reportatam, vel aliam ejusdem ad Danubium cum Sarmatis pugnam depinxit. Ita & Papebrochius Picturam ad diem VII. Maji in Fastis Grecomoschis appositam, nihil pertinere asserit ad Cru-

ad Crucis Adorationem, ſed tantum repræſentare Apparitionem Crucis ſub Conſtantio. Verba utriuſque ad eam Maji diem recitabo. Porro in Crucis exaltationem extat Anonymi narratio Græce: Initium: *Δεσμαμένη τινὰ ἡ μακαριωτάτη* Ἑλένη *ναὸν*, apud Lambec. tom. 8. pag. 361. Orationes autem, ſeu Sermones in eandem feſtivitatem, Joannis Calecæ Patriarchæ CP., Macarii Chryſocephali Archiep. Philadelphiæ: Philothei Patr. CP. Andreæ Cretenſis. Calliſti Patr. CP. Theophanis Ceramei: Germani Patr. CP. Pantaleonis Presbyteri Byzantini, Joſephi Theſſalonicen. Nicetæ Paphlagonis, Michaëlis Pſelli, S. Joannis Chryſoſtomi, & S. Sophronii Patriarchæ Hieroſolym. vide apud Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 92. & ſeq.

X V.

NICETAS.

Ita & Codices Vaticani Ruthenici, & Poſſevinus: *S. Martyris Nicetæ*. De quo utrumque Græcorum Menologium, & Martyrologium Romanum hac die. Fuit autem hic Nicetas Gothus, qui ſub Athanarico Rege ob Catholicam fidem juſſus eſt igne comburi. Acta ex Metaphraſte deſcribit Lipomanus tom. 5. & Surius ad hanc diem tom. 5. Græce extant MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 240. 289. 380. & tom. 4. pag. 62. Initium: Νικητικοὺς ἀγῶνας τοῦ μάρτυρος Νικήτα. At Culcinius, & Tabulæ Papebrochianæ huic Nicetæ præmittunt *Philotheum*, habitu Archiepiſcopali indutum, cum hac epigraphe, ſupra caput quidem, (*a*) *Philothey*, Philothei; ad latus autem ſiniſtrum, *Nidagrada Archiepiſcop. Archiepiſcopus Niagradæ, fortaſſe Novogradenſis*: Papebrochius: *Philotheus Archiepiſcopus*. „ Quod hic additur *Nidagrada*, perſonamque no„ tiorem facere deberet, magis confundit; perſuadet tamen „ indigenam eſſe. Licet enim Græci etiam habeant colantque „ hoc die *Philotheum* quemdam miraculis clarum, cujus „ vitam inveniri optaremus; colunt eum tamen cum titulo „ *Presbyteri*: hic vero *Archiepiſcopum* tum epigraphe addita, „ tum veſtis ipſa loquitur. Habuit quidem etiam Conſtanti„ nopolis Philotheum Patriarcham anno 1367. Romanam „ unionem profeſſum, cujus variæ orationes ab Allatio indi„ cantur. Sed neque a Græcis adeo recentes Sanctos agnoſci „ & coli

a Typographi oſcitantia apud Culcin. in Append. *Filoſofiey*.

„ & coli credimus, neque eo titulo quod eorum Schiſma conatus ſit extinguere, putamus ab ipſis pro Sancto colendum fuiſſe Philotheum iſtum. Reſtat ergo ut fuerit Kiovienſium Metropolitarum Sanctus unus, cujus corpus in loco *Nidagrad* dicto, quieſcat, de quo plura conveniat ex Ruthenis diſcere, una cum ætate qua floruit. Non enim audeo *Novogrodum* ſuggerere, urbem in Ducis Moſcoviæ ditione opulentam, amplam, & Epiſcopalem „. Non placet Culcinio hæc Papebrochii conjectura: Sed de Philotheo Presbytero agi omnino putat, errorisque arguit Pictorem Moſchum, qui Presbyterum Patriarchali habitu oſcitanter repræſentarit. „ Megalo Martyri Nicetæ, *inquit pag.* 98. additus Philotheus Archiepiſcopus non poteſt collocari inter indigenas: nam in Catalogo Metropolitarum Ruſſiæ nullus hujus nominis invenitur. Proculdubio igitur pictor Moſcus erravit, dum Philotheum Presbyterum habitu Patriarchali ſeu Archiepiſcopali ornavit. Nam de Philotheo Presbytero, quem hodie colunt Græci, & meum agit Anthologium Synaxario diſtincto, quod eſt conforme Menologio. Additam vocem ad latus imaginis, ſed non bene expreſſam, puto ſignificare Thaumaturgum „. Ego quoque Culcinio conſentio quoad Philotheum Presbyterum a pictore Moſco cum Archiepiſcopo perperam confuſum: nam hujus Philothei Presbyteri, qui & Thaumaturgus dictus eſt, ex Themate Opſicii oriundi, ibique ſepulti, diſerta ſit mentio hac die 15. Sept. non modo in Anthologio Rutheno, & Menologio Græco, ſed etiam in Baſiliano Par. 1. pag. 40. ubi initium Synaxarii ita habet: φιλόθεος ὁ θαυματουργός, ὑπῆρχε μὲν ἀπὸ τοῦ θέματος Ὀψικίου, ἦν δὲ πρεσβύτερος: „ Philotheus Thaumaturgus, ortum quidem duxit ex Themate Opſicii; erat autem Presbyter „. Quæ verba non ſatis intellecta videntur ab interprete Latino, quum ea ſic tranſtulit. *Philotheus Thaumaturgus Sectator Opſicii Presbyter fuit*. Non enim Sectator Opſicii, ſed ex Themate Opſicii erat Philotheus. Quid ſit autem Opſicii Thema, vide Conſtantinum Porphyrogenitum de Thematibus. Conſentio, inquam, Culcinio quoad Philotheum Presbyterum Thaumaturgum; verum probare nequeo, quod aſſerit, additam vocem ad latus imaginis, ſed non bene expreſſam, *puto ſignificare*

ficare Thaumaturgum. Miror, viro Ruthenice peritissimo id excidisse. Addita ad latus Philothei vox Ruthenica, clarissima est, & æque bene expressa, ac cæteræ voces Ruthenicæ: Sic autem exprimitur: *Archiepiscopus* ЦРНГРАД, non quidem *Nigagrad*, aut *Nidagrad*, sed *Czarigrad*, idest, *Regiæ urbis*, nimirum *Constantinopolis*; nam pictor Moscus Philotheum hunc *Presbyterum*, oscitanter pro *Philotheo Archiepiscopo Constantinopolitano* accepit. Quod autem urbs Constantinopolitana Slavis & Russis *Czarigrad* appelletur, testem habeo Slavonicum historiæ Constantini Manassis interpretem in Cod. Vat. Russico 1. fol. 122. ubi Persarum in urbem Constantinopolim irruptionem sic inscribit: ПЕРСИ РZБѾТZ ЦРНГРАД, *Persæ obsident Regiam urbem*. Non igitur *Nidagrad*, ut vult Papebrochius, sed legendum *Czarigrad*; neque hæc vox *Thaumaturgum* significat, quemadmodum asserit Culcinius: nam Thaumaturgus Ruthenice dicitur *Czudotvor*, juxta ipsum Culcinium in Appendice pag. 84. ad diem 12. Februarii: *Prestaulenie Alexia Metropolity Kievskaho, Moskovskaho Czudotvor, obitus Alexii Metropolitæ Kioviensis, Moscoviæ Thaumaturgi*. Cujus quidem vocis *Czudotvor*, ne vestigium quidem in inscriptione ad latus Philothei apposita. Stat ergo & Pictorem errasse, dum pro Philotheo Presbytero Archiepiscopum depinxit: & eundem ex hoc primo errore in alium processisse, ut existimaret, eum Philotheum Archiepiscopum fuisse Constantinopolitanum, cujus apud Græcos nulla fit in Menæis commemoratio.

Codex noster Slavicus ad hanc diem xv. Sept. sic habet: *Sancti Martyris Stephani: & memoria Sanctorum Patrum Congregatorum in sancto & generali Concilio*. Quo ad Sanctum Stephanum, adstipulatur Menologium Græcorum, in quo sic lego: *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἡ εὕρεσις τοῦ λειψάνου ἁγίου πρωτομάρτυρος στεφάνου*, *eadem die, Inventio Reliquiarum Sancti Protomartyris Stephani*. Miror, hæc fugisse oculatissimum Baronium, qui in notis ad diem 3. Augusti, ubi fuse differens *de Inventione corporis beatissimi Stephani Protomartyris* „ illud etiam, „ ait, ad annotationem præsentis diei solemnitatis spectare „ magnopere videtur; quid est, quod hac potissimum die „ ejusmodi Inventio celebretur, quum constet ex Luciani „ lite-

„ literis factam esse mense Decembri; Translationem vero „ Hierosolymam ad VII. Kal. Januarii; aliam autem Translationem Constantinopolim, ad quintum Kalendas Octobris, auctor est Theodorus Lector in Collectaneis lib. 2. „ in fine. Rursus autem tertiam Romanam factam esse Translationem pridie Nonas Maji, ejus Acta testantur, quorum „ supra meminimus „. Miror, inquam, non advertisse Baronium, a Græcis, non v. *Kal. Octobris*, sed XVII. *Kal. Octob.*, idest, *non die 27., sed die 15. Septembris*, festum *Inventionis S. Stephani* celebrari: At ejusdem Protomartyris Translationem in Urbem Regiam, ab iisdem recoli die 2 Augusti, ubi sic: *ἡ ἀνακομιδὴ τοῦ λειψάνου τοῦ ἁγίου πρωτομάρτυρος καὶ Ἀρχιδιακόνου Στεφάνου*, *Translatio Reliquiarum S. Protomartyris & Archidiaconi Stephani* „. Mihi certum est, in hoc falli Græcos, quod ad diem 15. Sept. *Inventionem*, quæ Hierosolymis *Honorio X. & Theodosio VI. Coss.* idest anno (*a*) Honorii Imp. XXI. contigit ita, uti a Luciano Presbytero narratur, cum Translatione Constantinopolim facta, & a Theodoro Lectore memorata confundunt. At vero probabile videtur pro v. *Kal. Octobris*, uti in Theodori collectaneis est, reponendum, XVII. *Kal. Octobris*, quemadmodum in Menologio habetur.

Cujusnam generalis Synodi fiat hic mentio, in nostro Slavico codice non exprimitur. Græci in Menologio ad diem 14. Septembris, recolunt *sextam Synodum Oecumenicam*, Constantinopoli adversus Monothelitas celebratam sub Constantino Pogonato & Agathone Papa, ubi pro *Georgio* Patriarcha CP. perperam obrepsit nomen *Sergii*, & pro *Constantino* filio Constantis, *Constantinus Pogonatus filius Justiniani Rhinotmeti*, quum potius Justinianus fuerit Constantini filius. Item pro Macario Antiocheno, *Macrobius*. Definit his verbis: *ἐπὶ μὲν τοῦ δηλωθέντος Κωνσταντίνου τοῦ πωγωνάτου συνηθροίσθη. ἡ δὲ Κανόνων ἔκδοσις, ἐπὶ Ἰουστινιανοῦ τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ γέγονε*: *Sub memorato quidem Constantino Pogonato congregata est: canonum autem editio facta fuit sub Justiniano ipsius filio*. Ejusdem sextæ Synodi

a Librarii, ut puto, errore factum, quod in Menolog. Basilii ad diem 2. Augusti, dicitur Inventio sub *Constantino magno* contigisse. Pro Constantino, legendum utique *Honorio*.

nodi adversus Monothelitas habitæ sub Constantino Pogonato Justiniani Rhinotmeti patre iterum fit mentio in Menologio Græcorum ad diem 23. Januarii. At in Synaxario Arabico, quo Syri Melchitæ & Maronitæ utuntur, die x. Septembris disserta recolitur commemoratio Sanctæ Ephesinæ Synodi sub Theodosio juniore adversus Nestorium celebratæ: his verbis.

ذكر الابا القديسين المايه وخمسين الذين اجتمعوا بمدينة افسس
على نسطوريوس الملحد وهو المجمع الثالث في ايام مملكة
ثاودوسيوس الملك الصغير الذي اجتمع على نسطور عابد الانسان
الكافر الذي كان قد صار بطركا على مدينة القسطنطينية فقسم
المسيح وذكر ان المسيح سادجا وليس هو الاه متجسم

„ Commemoratio SS. Patrum CL. in Epheso adversus impium „ Nestorium congregatorum: estque Tertia Synodus sub Imp. „ Theodosio juniore celebrata adversus impium Nestorium, „ quondam Patriarcham CP. Anthropolatram, qui Christum „ dividens, ajebat eum esse purum & simplicem hominem, „ non Deum incarnatum „. Quum autem Græci in Menologio aliarum quidem Synodorum Oecumenicarum mentionem faciant, non hujus Ephesinæ; quumque Sextæ Synodi apud illos commemoratio agatur bis, semel scilicet sub die 14. Sept. & iterum sub die 23. Januarii; verosimilius videtur, Ephesinæ, quam Sextæ Synodi in mense Septembri memoriam recoli.

XVI.

MARTYR EUPHEMIA.

De eadem Codex uterque Vaticanus Ruthenicus, & noster Slavicus, necnon Rutheni in Fastis Græco-moschis Papebrochianis, & Culcinius pag. 91. & Latini in Martyrologio, hac die. At in Menologio Basiliano omittitur, fitque tantum Par. 3. pag. 162. ad diem xi. Julii commemoratio ejus miraculi, quod in approbationem Fidei Sacri Chalcedonensis Concilii patrasse dicitur. Possevinus perperam: *S. Matris Euthiciæ*, pro, *Euphemiæ*. Calendarium Neapolitanum ad hanc diem: *Sanctæ Eufimie*. Ejus martyrium ex Metaphraste edidit Lipom. Tom. v. & Surius ad xvi. Sept. Græce incipit:

Διοκλη-

Διοκλητιανῦ τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα διέποντος, πρίσκυ τε περὶ τὴν Ἀσίαν. Alia Acta Græce extant: initium: ἐν τῇ χαλκηδονίων πόλει ἦν ἀθροισμὸς τῶν χριστιανῶν, apud Lambec. Tom. VIII. pag. 222. Item alia ibid. ἐπὶ Διοκλητιανῦ Βασιλέως. Ecphrasin a S. Asterio scriptam, & a Photio in Amphilochianis memoratam exhibet Combefisius Tom. 1. Auctarii novi pag. 207. Demum in S. Euphemiæ Reliquiarum inventionem, auctore Episcopo Tii in Ponto Constantino, vide apud Lipom. & Sur. ad XI. Julii. Baronius in not. ad 16. Sept. „ De eadem Græci „ in Menologio v. Idus Julii; & in Constitutione Emmanuelis „ Imp. apud Theodorum in Nomocan. Phot. tit. 7. cap. 1. licet olim tempore Concilii Chalcedonensis ageretur in Oriente natalis dies ejus ad VIII. Kal. Novembris, ut apparet „ ex eodem Concilio Act. VI. „ Atqui in Menologio communi Græcorum, de S. Euphemia agitur non solum hac die 16. Sept. ubi ejus martyrium describitur, sed etiam quinto Idus Julii, ubi miraculum refertur, quod ex Basiliano supra recitavi.

XVII.
SOPHIA.
FIDES.
SPES.
CHARITAS.

Ruthenice, mater *Sophia*; *filiæ autem Viera*, *Nadezda*, *Lubov*. Falconius minus accurate, *Sophii*, *Viri*, *Nadasti*, *Luboc*. Græcè, *Pistis*, *Agape*, *Elpis*. De *S. Sophia*, ejusque filiabus *Fide*, *Spe*, *& Charitate*, Menologium Græcorum, & Fasti Papebrochiani eadem die. At Basilianum, die proxime antecedenti. Codices Vaticani Ruthenici, & noster Slavicus silent. Romanum autem Martyrologium, de matre quidem die 30. Septembris; de filiabus vero, die 1. Augusti. Possevinus contracta Ruthenice triumsororum nomina, perperam interpretatur sic: *S. Martyris Versolinæ*. Papebrochius: „ Inintelligibile est quod Possevinus hic habet nomen, *S. mart. Versolinæ* „. Acta extant Latine apud Sur. ad 1. Aug. Græcè MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 241. Init. μετὰ τὸ διαγγελθῆναι πανταχῦ τὸ σωτήριον κήρυγμα. Codex noster Slavicus sic habet ad hanc diem: *Eulampii & sociorum*. Nimirum is est *Eulam-*

pius cum forore *Eulampia* & aliis ducentis, de quibus Græci in Menol. & Latini in Martyrol. ad 10. Octobris. Acta Græce: Ἄρτι τῆς θεογνωσίας, Latine apud Lipom. Tom. 6. & Sur. x. Octob. Lambec. VIII. pag. 224. 249. 258. 262. Alia. ἔτος ἑβδόμου τῆς Βασιλείας Μαξιμιανοῦ.

XVIII.

EUMENIUS.

Eumenium, cognomento Thaumaturgum, Episcopum Gortynæ & martyrem, colunt Græci hac die in utroque Menologio, Rutheni in Tabulis Papebrochianis, Latini in Martyrologio. Vaticani Codices una cum nostro Slavico omittunt. Possevinus: *S. Patris Eumenii*.

XIX.

TROPHIMUS.
SABBATIUS.
DORYMEDON.

Græci, Latini, & Rutheni de his agunt hac die. Vaticani Codices & Slavicus noster silent. Possevinus pro Trophimo, perperam habet, *S. Martyris Trochipei*: Sabbatium, & Dorymedontem omittit. Acta Latine habentur apud Lipom. & Sur. ad 19. Sept. Græcè MSS. apud Lambec. Tom. 8. pag. 241. Initium, πρέσβυ τῷ δυσσεβοῦς τὸ Βασίλειον σκῆπτρον τῶν Ῥωμαίων διέποντος. In Fastis Papebrochianis additur *Theodorus Monachus*, de quo Papebrochius: „ Ignotus mihi: suspicor „ autem vel indigenam esse, vel ad gentis conversionem „ aliunde advectum. Quid enim aliud persuadere possint „ Reguli duo, veluti discipuli, ac forsan ut martyres, ante „ eum constituti? quorum etiam indicari videntur nomina „ Nyad, & Jego „. Allucinatur vir doctus. Slavica Inscriptio sic habet: *Ftcodor, y czada jego, Theodorus, & filii ejus*. Ita Culcinius in Appendice ad diem 19. Septembris: qui tamen in Specimine Par. II. ubi Ephemerides Papebrochianas ad examen revocat, ipsique Papebroch scrupulos eximitio aut ejus errores corrigit, nihil dixit de hoc Theodoro, & filiis ejus corona regia redimitis. Verum ex iis quæ idem Culcinius Par. I. de Sanctis Ruthenicæ Ecclesiæ propriis scribit, facile est intelligere, quisnam sit Theodorus iste cum duobus filiis. Ibi enim pag. 45. ad diem 19. Septembris hæc habet de S. Theodoro mona-

monacho Smolenſcenſi. „ Laudat meum Anthologium hunc „ Theodorum ex Principe monachum Smolenſcenſem ac Jaroſlavienſem Thaumaturgum, unà cum filiis ejus Davide ac „ Conſtantino: habetque de illis tale Troparium „ . A ju„ ventute veſtra Chriſtum ex toto corde diligentes, egregie „ legem ejus ac juſtificationes cuſtodiviſtis, & idcirco mira„ culorum dono ditati, curationes effunditis, o Sancti Theo„ dore, David, & Conſtantine. Pro nobis fideliter vos co„ lentibus orate Chriſtum Deum, ut ſalvet animas noſtras. *Item Contacium*. „ Ut magnus ſol comparuiſti in Chriſti Eccle„ ſia, illuminans omnes doctrinæ radiis: hauriens vero a fon„ te indeficienti, aureo animæ tuæ ſcypho, donum curatio„ num, propinas eaſdem indigentibus, hodierna obitus tui „ die, o Beate Theodore, nunc ergo pro nobis omnibus Chri„ ſtum ora, ut donet veniam delictorum, quum ſis decus & „ gloria monachorum „ . Hactenus Anthologium Ruthenicum. Erat igitur Theodorus Princeps Smolenſciæ, & Jaroſlaviæ: abdicato autem Principatu, monachus unacum filiolis Davide & Conſtantino factus, dicitur miraculis claruiſſe. Hinc eſt, quod filioli ante Theodorum conſtituti cum corona in capite depinguntur, crucem tamen manu tenentes, & habitu monaſtico induti. Quo anno vixerint, in Anthologio non exprimitur. Videtur unus fuiſſe ex illis magnæ Ruſſiæ Principibus, qui originem a Daniele Alexandri Nevenſis filio traxerint: nam de hoc Daniele idem Culcinius in Chronotaxi Ducum Moſcoviæ num. 35. pag. 120. hæc ſcribit: „ Deceſſit Daniel an„ no 1286.,relictis filiis,ex quibus alii Kiovienſi,alii Czerniho„ vienſi, cæteriſque Ducatibus præfuerunt, alii ad Principa„ tum Uladimirienſem aſſumpti regnarunt.

X X.

EUSTATHIUS.

TATIANA.

Ita Euſtachium vocant Græci, qui & *Placidas* ſeu *Placidas* dicebatur, ejuſque uxor *Tatiana* poſt baptiſmum appellata fuit *Theopiſte*, filii *Agapius & Theopiſtus*; de quibus in Menologio utroque, & in Martyrologio Romano hac die. Marmor Neapolitanum: *P. S. Euſtathii. Plac. voca*. Ideſt, Paſſio S. Euſtathii, Placidæ vocati. Tabulæ Papebrochianæ repræ-

repræſentant Euſtathium, ejuſque conjugem Tatianam cum duobus filiis ante matrem conſtitutis. At noſtræ Capponianæ ſolum Euſtathium cum uxore Tatiana. Papebrochius de Tatiana: *Veriori nomine ſcriberetur Trajana*. Verum obſtant & Græca Menologia, & Ruthenici Faſti. Poſſevinus ſolum Euſtathium commemorat: *S. Martyris Euſtachii*. Ita & Codices noſtri Vaticani Ruthenici: *Euſtathii Martyris*. At noſter Slavicus: *Sanctorum Martyrum Euſtathii, & uxoris ejus, & filiorum: Theopiſte, & Theopiſti, & Agapii*. Acta SS. Euſtathii, & Uxoris ejus Theopiſtæ & filiorum Agapii ac Theopiſti, Latine habentur apud Lipom. & Sur. ad 2. Novemb. Græce MSS. incipiunt: Τραϊανῦ τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα διέποντος, Lambec. tom. 8. pag. 242. Alia apud eund. Lambec. tom. 4. pag. 130. incipiunt: ἐν ταῖς ἡμέραις Βασιλείας Τραϊανῦ: & eod. tom. 4. pag. 130. & tom. 5. pag. 25. & tom. 8. pag. 242. 243. 363. Nec non apud Allat. de Simeonum ſcript. pag. 108. & Cod. Barocc. 148. & in Biblioth. Coislin. pag. 212. Alia acta incipiunt: πρόκειται μὲν τοῖς ἀνθρώποις ϗ ἐπὶ φύσεως: quæ Græce & Lat. edidit Combefiſius in lectis Martyrum Triumphis Pariſ. 1660. pag. 1. Idem Combefiſius in eod. opere pag. 45. Græce & Lat. evulgavit Laudationem eorundem Martyrum, Niceta Paphlagone auctore, init. τὸν ἀοίδιμον ἐν ἀθλοφόροις εὐςάθιον. Mirum igitur, quid in mentem venerit viro cæteroquin non indocto, Illmo inquam Falconio S. Severinæ Archiepiſcopo, ut iſtud & Græcis & Latinis decantatum S. Euſtachii, uxoris, & filiorum ſub Trajano Martyrium detorqueat ad hiſtoriam S. Nili Abbatis, qui abreptum ſibi a Saracenis filium, in Arabia quæſivit & invenit.

In Faſtis Græcomoſchis Papebrochianis additur: *Kniaz Mychail. Fteodor. Princeps Michael, Theodorus*: De quibus Papebro-
„ chius: Michaël Princeps Zernichovienſis: Theodorus ejus fa-
„ mulus. Horum ſub Batyro Ruſſiæ tyranno Martyrium habemus
„ ex antiquis gentis monumentis deſcriptum, & a Vilnenſis
„ Archiepiſcopi Suffraganeo approbatum; Sed brevi ſatis epi-
„ tome. Prolixiorem hiſtoriam qui ſuggeſſerit, bene de pa-
„ triis Sanctis merebitur „. Culcinius in Anthologio ſuo nihil de his Sanctis invenit: Nam Papebrochii auctoritate contentus, ita de iis ſcribit Par. 1. pag. 45. „ De his Sanctis, uno
„ Prin-

„ Principe Czernihovienſi, altero ejus famulo, Martyribus „ nil dicunt mei libri: ſed quum Papebrochius aſſerat habere „ ſe acta ipſorum a Vilnenſi Suffraganeo approbata, non ambigo de eorumdem Sanctitate. Cenſeo tamen loco Batyri „ Ruſſiæ tyranni, reponendum Battum Ducem Tartarorum „ pejorem Tyranno, qui horrendas edidit clades non jam „ (*non ſolum*) in integra Ruſſia, ſed & in Polonia anno 1241.& „ ſeq. „ Idem Culcinius de Batto in Chronotaxi Ducum Moſcoviæ pag. 117. ubi de Georgio III. qui fuit XXVII. Dux ab anno 1213 ad annum 1238. „ Terminato inteſtino prælio „ gravius externis fuit agitatus bellis Georgius, quæ tamen „ cum pari geſſit felicitate. Sed infeliciter pugnavit cum „ Tartaris, a quorum Rege Batto integram Ruſſiam depopulante caſtris exutus, ac ipſemet in captivitatem abductus, „ & per triennium in vinculis detentus, tandem crudeliter „ fuit occiſus „. Et de Georgii ſucceſſore Jaroslao II. qui ab anno 1238. ad annum 1246. imperavit. „ Jaroslaus Uſevolodides ſuccedens fratri ſuo Georgio, incidit in tempora „ infeliciſſima. Battus enim jam ſupra commemoratus anno 1241. cum innumeris propemodum Tartaris in Ruſſiam „ irrumpens, Sedem magnorum Ducum Uladimiriam deſtruxit, Kioviam fere delevit, cæteras urbes deſolatas „ reddidit: ex Ducibus Ruſſorum Proceribuſque alios mactavit, alios captivos duxit. Sed dedit pœnas tantæ crudelitatis impius prædo: nam paulo poſt in Hungaria ad Varadinum habito cruento conflictu interiit „. Hæc de Batto. De quo vide Bzovium, & Raynaldum, aliosque Eccleſiaſticos ſcriptores.

XXI.

APOSTOLUS CODRATUS.

Ita noſtræ Tabulæ. Papebrochianæ: *Kondrat*. Papebrochius: „ An Condratum pronuncient Moſci, neſcio. Hic „ certe expreſſum videtur N., & interpres Belga ſic legit „. Poſſevino ineptius obtruſum fuit, *S. Apoſtoli Conradi*. Codrati Apoſtolorum Diſcipuli memoriam colunt hac die Græci in utroque Menologio: at Latini *Quadratum* vocant, celebrantque die 26. Maji. Vaticani Codices omittunt. Noſter etiam Slavicus ſilet.

PHO-

XXII.

PHOCAS.

Vaticanus Codex Secundus: *Phocæ Martyris*. Primus silet. Noster Slavicus *Sanctorum Martyrum Phocæ & Sociorum ejus*. Possevinus: *S. Martyris Phocæ*. Papebrochiani Fasti: *Phocas*, cum habitu Episcopali: & Papebrochius: *Phocas Episcopus Martyr*. Marmor Neapolitanum ad hanc diem: *P. S. Foca & Prisci*, idest *Passio S. Phocæ, & Prisci*. De Prisco Martyre in Phrygia vide Martyrol. Rom. ad 20. Sept. Phocam Sinopes Episcopum & Martyrem laudant Græci in Menologio communi, & Basiliano; Latini vero die 14. Julii: qui & alterius Phocæ Martyris Antiocheni meminere die 5. Martii; quemadmodum & Græci in Menologio *Sancti Phocæ Hortulani* hac eadem die 22. Septembris. In Basiliano vero de Phoca Hortulano altum silentium: recurrit tamen memoria τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Φωκᾶ, *Sacrosancti Martyris Phocæ*, die 23. Julii, qui sub Trajano passus dicitur, adeoque idem videtur cum hoc Phoca Sinopes Episcopo, qui colitur die 22. Septembris: aut saltem cum *Hortulano* confusus, nam duos Phocas fuisse, unum Episcopum Sinope passum, alterum Hortulanum Antiochiæ Martyrio functum, demonstrat Baronius in notis ad diem 5. Martii, & 22. Septembris: ubi & observat Asterium Episcopum in oratione de Phoca, quam recenset Surius tom. 5., communione nominis deceptum (quod sæpius in aliis factum videmus) alterius gesta alteri tribuisse; eundemque errorem nonnullos Græcorum secutos fuisse: atque adeo certiora multoque veriora esse, quæ de utroque Phoca scribunt auctores Latini. Vita S. Phocæ Græce MSS. laudatur a Fabricio in Bibl. Græca tom. 9. pag. 136. prima incipit: ἐπειδήπερ πολλάκις. Altera: ἐν τοῖς καιροῖς τοῦ εἰκοστοῦ πέμπτου ἔτους ἐν τῇ ἐυκαταστασίᾳ τῶν ἐυσεβῶν καιρῶν. Utraque auctore incerto.

In Tabulis Græco-Moschis Papebrochianis adduntur hac die: *Prorok Jona*: *Prepodobny Jona*: *Propheta Jonas*: *Sanctus Jonas*. Utriusque memoria colitur hac eadem die in Menologio Basiliano, pag. 61. τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου προφήτου Ἰωνᾶ, *eodem die, commemoratio sancti & gloriosi Prophetæ Jonæ*: & pag 62. τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τοῦ ὁσίου Ἰωνᾶ τοῦ πατρὸς Θεοδώρου, καὶ Θεοφάνους τῶν ὁμολογητῶν, *eodem*

eodem die commemoratio S. Jonæ, patris Theodori, & Theophanis confessorum: Ubi dicitur Presbyter fuisse, & remisso rebus seculi nuncio, in lauram Sancti Sabæ sese recepisse, ibique ad Deum migrasse. Quamobrem Papebrochio non assentior, qui de Jona Propheta scribit: „ Fortassis ad diem superiorem more Græcorum referendus, incuria Sculptoris „ hic ponitur „: nam etsi in Menologio communi, utriusque Jonæ, idest, Prophetæ, & monachi, ad diem 21. Septembris, memoria recolitur, Rutheni tamen hac in re videntur potius antiquum Græcorum morem, cujus vestigia in vetustissimo Basiliano Menologio occurrunt, retinuisse. Consentiunt Græcis recentioribus & Latini in Martyrologio, qui de Jona propheta agunt die 21. Septembris. Cave autem, ne Jonam Presbyterum & monachum, Theodori, ac Theophanis patrem, cum altero Jona confundas, qui a Latinis hac die 22. Sept. colitur. Is enim Presbyter & martyr fuit apud pagum Castrensium in Gallia, quo olim cum Sancto Dionysio perrexerat: quemadmodum ibi legitur. At noster Jonas longe recentior, confessor obiit in laura Sancti Sabæ in Palæstina. Papebrochius titubare videtur, quisnam fuerit Sanctus iste Jonas: nam primo quidem, post inscriptionem, *Jonas Presbyter monachus*, hæc obsinuat: „ Inter Sabaitas vixit, pater SS. Theo„ dori & Theophanis Confessorum, qui coluntur 27. Decem„ bris: ipse autem a Menæis refertur die præcedenti (*hoc est* 21. „ *Sept.*) nec vitam habet ab Actis filiorum distinctam, quæ ha„ bemus Græce „. Hactenus non male quoad Jonam patrem Theodori ac Theophanis; cujus tamen vita habetur in Synaxario Menologii Basiliani. Quæ sequuntur, indicant, virum doctum pro hoc Jona suspicari hac die coli a Ruthenis alium Jonam. „ In Triptycho, inquit, Moscovitico, infra proponendo, „ post *SS. Petrum & Alexium* Metropolitas Kiovienses, pro„ ponitur quidam *S. Jonas* eodem in habitu, ut videatur suc„ cessorum esse aliquis; sed quo die colendus, quibus mira„ culis clarus, nos latet „. Non tamen latet Culcinium, qui in Specim. Par. 1. pag. 13. ad diem 30. Martii, de hoc Jona, cognomento *Hlezna*, Russiæ Metropolita hæc habet. „ Meum „ Ustavum sic commemorat hunc sanctum: „ *Obitus S. P. N.* „ *Jonæ Metropolitæ Kioviensis & totius Russiæ*. Acta ipsius

„ non habeo; ſed in Chronologia Metropolitarum paucis eun„ dem laudabo: eſt enim inter Primates Ruſſiæ ordine Trige„ ſimus quartus„ : Electus anno Chr. 1482. uti idem Culcinius Par. III. de Archiepiſcopis Kievienſibus ac Metropolitis totius Ruſſiæ, num. 34. pag. 12. Verum hic Metropolita quantum differat a Jona monacho ac Presbytero, Theodori & Theophanis patre, nemo non videt. Ipſæ etiam Tabulæ Græco Moſchæ Papebrochianæ unum ab altero diſtinguunt: quum primum habitu monaſtico, alterum Metropolitico repræſentent.

XXIII.

GABRIEL.

CONCEPTIO PRÆCURSORIS.

Tabulæ Papebrochianæ: *Zacatie* (*a*) *Sviatoho Joanna Predytecy*; *Conceptio S. Joannis Prodromi*. Poſſevinus ineptiſſime: *Conceptio S. Annæ*. Rectius ſcripſiſſet, *conceptio S. Eliſabet*: recolitur enim Apparitio Angeli ad Zachariam, quum Eliſabeth concepit in utero Joannem Baptiſtam. Ita & Menologium Baſilianum ad hanc diem pag. 63. *ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας ἐλισάβετ, ὅτε συνέλαβε τὸν ἅγιον Ἰωάννην τὸν Βαπτιστήν*: *conceptio Sanctæ Eliſabet, quando concepit Sanctum Joannem Baptiſtam*. De eodem feſto Græci in Menologio, & codices Vaticani Ruthenici. Latinum Martyrologium ſilet: ſed marmoreum Eccleſiæ Neapolitanæ Calendarium ad diem 23. Sept. ita habet. *C. S. Joh. Bapt.* ideſt, *Conceptio Sancti Johannis Baptiſtæ*. Nam Eccleſia illa olim Græcizabat. In Pictura Græcomoſcha viſitur Angelus *Gabriel* annuncians Zachariæ Sacerdoti, naſciturum ipſi ex Eliſabet conjuge filium. Papebrochius in notis ad Septembrem Græcorum metricum, ubi die 23. Sept. hic verſus legitur: *εἰκάδι δὲ τρίτῃ γαστὴρ λάβε πρόδρομον εἴσω*.

„ Prodromon includit vigeſima tertia in aluum.

In titulo feſti (inquit) ſcribitur *σύλληψις*, *conceptio*: „ non „ quod ipſa proponatur uti ſancta in ſe, & cultu religioſo digna, „ ſicuti ex pio communique Eccleſiæ ſenſu proponitur *Immacu-* „ *lata Virginis Deiparæ conceptio*: ſed propter myſteria ipſius „ diei, qua vere ſancta nativitas Joannis, cum munere Præcur- „ ſoris

a Falconius: *Zachtatic Preditesi*: perperam.

„ foris eidem divinitus concesso, indicata est patri ejus ab An-
„ gelo: quod & ipsa imagine expressum voluerunt Græci, a qui-
„ bus hoc festum longe aliter pingere didicerunt Mosci, quam
„ pingant festum conceptionis Marianæ„. Non Moschi tantum, sed etiam Græci, conceptionem quidem Deiparæ aliter depingunt, ac conceptionem Joannis Baptistæ: sed videtur honestior hujus secundæ, quam primæ conceptionis pictura: nam conceptionem Joannis sic depingunt, ut Angelum in Templo cum Zacharia colloquentem repræsentent, populo extra Sanctuarium adstante: Deiparæ autem conceptionem exhibent per Joachimum & Annam sese invicem amplexantes. Vide Tabulas figuratas 23. Sept. & 9. Decembris. Idem Papebrochius ad diem 9. Decembris, ubi in Tabulis Græcomoschis legitur: *Conceptio S. Annæ*, inquit: „ Non erit fortassis otio-
„ sum observare diversitatem phrasis, qua utuntur Græci,
„ & post eos Mosci, agentes de Joanne & Maria: siqui-
„ dem XXIII. Septembris, illius σύλληψιν, idest, *conceptio-*
„ *nem*, celebraturi, non dicunt *conceptionem S. Elisabet*, sed
„ *Joannis*: hic vero non *Mariæ*, sed *Annæ*. Quasi volue-
„ rint insinuare, hanc quidem in ipso suo principio, seu in
„ ipso generationis actu, quatenus ad eum Anna virile semen
„ excipiendo cooperata est, sanctam fuisse; istam vero nul-
„ lam in se habuisse sanctitatem, sed ab eo qui postmodum
„ esset sanctificandus in utero, veluti per denominationem
„ extrinsecam meruisse, ut ejus memoria in Ecclesiis recole-
„ retur. Et hanc utriusque festi diversitatem ipsa Iconum di-
„ versitas exprimit, dum hic ipse conjugalis congressus, qua-
„ tenus honeste poterat, exprimitur, prout etiam in Menæis
„ excusis videre est; istic sola apparitio Angeli, stantis ad de-
„ xtrum cornu altaris, & Zachariam edocentis, qualis ex eo
„ filius nasciturus esset„. Piget mysteria quærere, ubi non sunt. Atqui Græci utroque modo, & *conceptionem Joannis* vocant, & *conceptionem S. Elisabet*, ut nos docent Menologia communia, & Menologium Basilianum. Ipsa autem Iconum diversitas, faveret potius conceptioni Joannis, quam conceptioni immaculatæ Deiparæ, siquid subsidii esset ex picturis petendum. Non tamen Picturæ, sed Ecclesiæ auctoritas nos docet, præstantiorem fuisse non quidem Annæ, aut Elisabet

conceptionem; utraque enim humanitus concepit: sed conceptionem Mariæ præ conceptione Joannis: hic enim instar aliorum hominum traxit peccatum originis: illa vero ab eo prorsus fuit immunis, tamquam Mater Dei futura. Demum picturæ non eodem modo ab omnibus sunt expressæ: nam teste Culcinio Par. 2. pag. 105. ad diem IX. Decemb. in ipsius Anthologio exhibetur Imago, quæ repræsentat Sanctos Joachimum & Annam, non sese amplexantes, uti in reliquis fere picturis cernitur, sed in viridario seorsim & longe inter se stantes atque orantes: unum autem Angelum e nube Joachimum, alterum Annam alloquentes, conceptionem nativitatemque Virginis Mariæ annunciantes. Subjungit Culcinius: „ „ Hanc revelationem seorsive habitam quum sibi mutuo san- „ cti conjuges aperuissent, præ nimio gaudio iverunt in te- „ nerrimos amplexus, congratulantes sibi tantam felicitatem. Hanc igitur congratulationem mutuumque gaudium exprimunt tum Tabulæ figuratæ, tum Menologium: & non ipsum congressum conjugalem, ut autumat Papebrochius. Vellem Culcinium de picturis melius instructum. Pictores Christiani conceptionem, quatenus honeste poterant, per amplexum conjugum exprimunt. Hoc si neget Culcinius, oculos in fronte habere se negabit. Ipsum ejus Anthologium tria repræsentat: primo Angelum Joachimo oranti, de conceptione filiæ indicantem: secundo alterum Angelum Annæ seorsim oranti, idipsum significantem: tertio Joachimo & Anna sese mutuo amplexantibus, Mariam filiam fuisse conceptam.

Codex noster Slavicus: *novus annus, & conceptio Joannis Baptistæ.*

XXIV.

Thecla Protomartyr.

Theclam Virginem, ac feminarum Protomartyrem colunt Græci hac die in utroque Menologio: item Rutheni in Tabulis Græco-Moschis, & Codices nostri Vaticani: nec non marmor Neapolitanum hisce verbis: XXIV. Pas. *S. Thecle*. Idest, *Passio S. Theclæ*. Slavicus noster: *Passio Sanctæ Protomartyris & Apostoli Theclæ*. Latini vero die 23. Septembris. Possevinus hac omissa (uti notat Papebrochius) ceteros ex ordine sequentes uno die anticipat: atque ita in fine demum destitutus

Sancto,

Sancto, notat, *Deest*. Theclæ Martyris vitam Græce & Lat. edidit Petrus Pantinus Antuerpiæ 1608. Initium. ἄρτι τοῦ μεγάλου τῆς ἀληθείας εὐαγγελιστοῦ τε καὶ Κήρυκος. Extant MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 243. Antiquiora Acta, quæ incipiunt, ἀναβαίνοντος παύλου εἰς Ἰκόνιον, Græc. Lat. edidit Jo: Ernestus Grabe in Spicilegio Patrum Tom. 1. pag. 95. qua de editione, aliisque in S. Theclam Encomiis, vide Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 146.

XXV.

SANCTA EUPHROSYNA.

De S. Euphrosyna Virgine, quæ Monasticum virilem habitum, nomenque *Smaragdi* assumsit, agit Græcorum Menologium utrumque, nec non fasti Rutheni hac die; Latini vero die 1. Januarii; ubi Emus Baronius in not. ad Martyrolog. nescio quibus Græcorum Tabulis deceptus, putat, Græcum Menologium de ipsa agere *Kalendis Januarii*, quum tamen in eo Menologio *Euphrosynæ* memoria una cum patre *Paphnutio* celebretur non 1. Januarii, sed 25. Septembris; in Basiliano vero præter hunc diem, in quo sola Euphrosyna colitur, ejusdem commemoratio unacum Paphnutio recurrit die 15. Februarii. Acta habentur Græce MSS. apud Lambec. tom. 4. pag. 200. & tom. 8. pag. 365. Incipiunt: ἐγένετο ἐν τῇ Ἀλεξανδρέων μεγαλοπόλει ἀνὴρ ἔνδοξος ὀνόματι παφνούτιος. Codex noster Slavicus sic: „ S. Martyris Romani, & Mo„ nachi Paphnutii, & S. Euphrosynæ quæ vocatur nomine „ masculino Smaragdus „. In Menologio Basiliano Martyres tres *Romani* coluntur: nimirum, 16. Nov. Antiochiæ Martyr Romanus: 16. Mart. Cæsareæ Palæstinæ: & 30. Maii, Nicomediæ cum sociis. In Menol. Græcor. 18. Nov. sub Maximiano: 27. Nov. Antiochiæ: 29. Januar. cum sociis. 16. Mart. Cæsareæ. Martyrol. Rom. agit de Romano Mart. Antiochiæ cum Barula puero 18. Nov. ubi Baron. in not. „ Græci etiam in „ Menol. iisdem fere verbis: qui quidem hac ipsa die de alio „ Romano rursus agunt, ipsoque Diacono Ecclesiæ Cæsariensis, „ de quo Eusebius hist. lib. 8. cap. 12. „ Itaque Codex noster aut de Antiocheno, aut de Cæsariensi est intelligendus. In Romanum Mart. Antioch. exstant binæ orationes S. Jo: Chrysostomi: Prima: πάλιν Μαρτύρων μνήμη. Lat. apud Sur. 18. Nov. Altera:

tera : *παλαίσραι μὶν σώμασιν* Tom. 2. edit. novæ pag. 617.

Fasti Græco-Moschi Papebrochiani addunt hac die 25 Septembris: *Prestavlenie Serbia Radozneskabo*; *obitus Sergii Radoznensis*. Papebrochius : *obitus Sergii Radozniefkago*. „ Ita litteratim legendum cognomen docet interpres Belga. „ Habemus inter alias huc spectantes vitas, a Vilnensi Suffraganeo approbatas, vitam hujus S. Sergii Abbatis: qui Rostoviæ natus, cum parentibus Radoznam migravit (unde „ cognomen ei mansisse apparet) ibidemque extruxit cœnobium Sanctissimæ Trinitatis: quod ab urbe Moscua distare „ LX. M. P. scribit Possevinus, omniumque totius Moscoviæ „ celeberrimum opulentissimumque ac numerosissimum esse „ hodieque auctores docent, ad ducentos trecentosque Monachos in eo commorari asserentes, ipso Magno Duce quotannis ad visendum incorruptum Sergii corpus egrediente. „ Vita, (quam habemus a coævo, ex ore testium oculatorum, inprimis Isacii discipuli, scriptam) mortem ejus consignat anno VI. M. DCCC. 25. Septembris: annus autem iste „ (secundum Allatianam Tabulam, dissertationi ejus de Dominicis & Hebdomadibus Græcorum recentiorum præfixam, „ ex usu inter commercia & congressus familiares communi) „ est Æræ Christianæ vulgaris MCCXCII. Hinc apparet, vel „ Possevinum, vel interpretes ejus insigniter erravisse, quando „ sub annum 1582. scripturo de cultu hujus S. Sergii, suggesserunt eum *undeviginti annis abinde mortuum* fuisse, pro „ annis *ducentis nonaginta*. Quo errore correcto, extra suspicionem Schismatis, juxta constitutum a nobis principium, manet fama tanti usque in hodiernum diem Thaumaturgi & integro etiam corpore spectabilis. Quare vehementer optamus miraculorum ejus seriem & prolixiorem „ vitæ historiam, siqua extat, nancisci „. Hæc Papebrochius. Cujus pio desiderio quum plene satisfacere Culcinius nequiret, apposuit saltem id quod in Anthologio reperit, de hoc S. Sergio Radoznensi Par. 1. pag. 46. nempe *Troparium*, & *Contacium*, quod vide. Pictura repræsentat S. Sergii corpus jacens in sepulcro, capite radiato: ad caput sepulcri, Monachum Græcum cum Cucullo magno in capite, adstante quodam laico: ad pedes, Presbyterum quendam nimbum capiti cir-

circumductum habentem, in libro aperto preces fundentem. Alluditur ad corpus ejus incorruptum, quod Moschi visitare ac venerari solent. Juvat hic verba Antonii Possevini, quæ a Papebrochio indicantur, recitare. „ Sic autem scribit in libro „ de rebus Moscoviticis, quem scripsit in pago Bor ad Scho- „ colnam fluvium, in ditione magni Moscoviæ Ducis, dum „ equitum aliquas turmas a Poloniæ Rege expectaret, qui „ ipsum in castra deducerent, die Sancto Michaëli Archan- „ gelo Sacra, anno (non 1582. uti habet Papebrochius, sed) „ 1581. „ Distat autem hic pagus Novogardia magna quinquaginta, Plescovia vero centum milliaribus Italicis: in titulo: *difficultas, spes, ratio Catholicæ Religionis in Moscoviam promovendæ* pag. 15. „ Præterea non minima difficultas „ est, quæ Moscos in Schismate detinet, quod (licet res „ plane fabulosa sit) corpora quorundam, qui Schismatici „ fuerunt, integra sese habere gloriantur, per quos miracula „ frequenter edi, cæcis visum restitui, ægrotos sanari, con- „ stanter affirmant. Ut plurimi periculi res esse videatur, si. „ quis illorum corporum elevet præceptam animis Sanctita- „ tem, aut quasi dubius quærat, num ii vere Sancti, Mar- „ tyresve fuerint. Inter alios autem numerantur Cleba & „ Boris, Petrus Metropolita, Alexius, quorum corpora „ extare ajunt Moscoviæ; Sergius item quidam Monachus, „ ante undeviginti annos mortuus, qui in Monasterio Trini- „ tatis asservatur, procul ab ea civitate milliaribus Italicis se- „ xaginta. Quo in Monasterio ducenti circiter Monachi esse „ feruntur, universæ Moscoviæ primario, ac satis opulento. „ Eo vero ad diem ipsius Sergii anniversarium celebrandum „ etiam Princeps ex arce Stariciæ, triduo post discessum no- „ strum (quum decimo octavo Kalendas Octobris versus Ple- „ scoviam in viam nos dedissemus) excurrit, inde in Slobodam „ Alexandri oppidum, mox ad suam Regiam profecturus „. Sed de his alii judicent.

XXVI.

DEPOSITIO JOHANNIS THEOLOGI.

Codices Vaticani, & Tabulæ Papebrochianæ, simpliciter: *Joan Bogoslob*, seu ut legit Culcinius, *Boboslow*: *Joannes Theologus*. Possevinus quoque (etsi uno ante die, sicuti

cuti supra monuimus) *Apostoli & Evangelistæ Joannis*. Græci in Menologio utroque : ἡ μετάστασις τοῦ ἁγίου Ἰωάννου τοῦ θεολόγου καὶ εὐαγγελιστοῦ, *Translatio Sancti Joannis Theologi & Evangelistæ*. Codex noster Slavicus : *Migratio Sancti Joannis Theologi & Evangelistæ*. At Latini agunt de eo ad diem 27. Decembris. Quamobrem Marmoreum Calendarium Ecclesiæ Neapolitanæ Græcizat, dum habet ad diem XXVI. Septembris : *Adsumpt.* S. IOH. *Eva.* idest, *Adsumptio Sancti Johannis Evangelistæ*. Depingitur in nostris Tabulis Capponianis, Joannis Apostoli corpus a quodam in Sepulcrum inferri, adstantibus duobus ejus discipulis quorum radiata sunt capita. In Menologio Basiliano pag. 70. Tabula exhibet, Joannem ipsum in fossam ingressum, adstantibus hinc & inde octo viris; e regione positis quæ ad fodiendum adhibita fuerant instrumentis : id quod ea Synaxarii verba declarant : „ Dominico „ igitur die quum fratres magna Dei opera docuisset, eisque, „ ut quæ edocti a se fuerant, observarent, præcepisset, im„ peravit discipulo, ut assumptis hominibus, & quæ ad fo„ diendum opus essent, paratis instrumentis, se conse„ queretur : abiitque in quendam locum, jussitque egesta alte „ terra fossam in Crucis figuram effodere. Mox oravit, & „ dixit : Pax vobis fratres : & in fovea sese composuit : quo „ operto, discipuli discessere. Verum paulo post regressi, „ visendi eum studio, nequaquam invenerunt „. Hinc nata quorundam opinio, ipsum Joannem aut mortuum non fuisse, aut alio translatum, instar Enoch, & Eliæ, vel saltem instar Moysis. Vide Baron. in not. ad diem 27. Decemb. Tabulæ Græco Moschæ Papebrochianæ repræsentant, S. Joannem stantem, capillis brevibus, barba oblonga, tunica & pallio indutum, sinistra manu librum clausum pectori admotum tenentem, dextera benedicentem.

XXVII.

CONDRATUS, ET QUI CUM EO.

Aut hac die 27. Septembris agitur de *SS. Codrato*, *Cypriano*, *Anecto*, *Paulo*, & *Crescente Corinthiis*, quorum meminit Martyrologium Romanum ad 10. Martii, & Acta Latine extant apud Surium ad eandem diem. Aut certe falsa est hæc Slavica Inscriptio; aut æri male incisa. Legendum omnino,

no, *Calliſtratus* & *Socii ejus*. Ita & Tabulæ Papebrochianæ, & Culcinius, *Kalliſtrat*, *Calliſtratus*: & Poſſevinus: *S. Martyris Calliſtratii*, imo Calliſtrati: & Menologium Græcum utrumque: ἄθλησις τοῦ ἁγίου μάρτυρος Καλλιστράτου, καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ, τὸν ἀριθμὸν ρπδ'. *Certamen Sancti Martyris Calliſtrati, & centum octoginta quatuor Sociorum*. Vaticani Codices, & Slavicus noſter omittunt. Baronius, Acta apud Lipomanum, quæ nos Græca habemus, ſecutus, ad ſequentem diem ipſum inſeruit Romano hodierno, inquit Papebrochius. Errat tamen, non ad ſequentem diem, ſed ad antecedentem, hoc eſt, ad diem 26. Septembris, Calliſtratus cum Sociis inſertus eſt in Romano Martyrologio, in quo hæc leguntur: *Romæ S. Calliſtrati Martyris, & aliorum quadraginta novem militum*. At in Græcis Menologiis, Socii dicuntur numero *centum octoginta quatuor*, in titulo Synaxarii, uti modo vidimus: in ipſo vero Synaxario numerus eorum ita diſtributus legitur: „ Calliſtratus pluribus inſignis certaminibus Martyr, „ Romæ floruit Diocletiano imperante. *Et poſt pauca*. Tum „ ſacco incluſus, in mare projicitur. Sed diſciſſo ſacco, è ma„ ri incolumis emerſit. Quo miraculo commoti milites qua„ draginta novem, in Chriſtum crediderunt. *Et paucis in„ terjectis*. Poſtea è carcere unacum militibus [*nimirum* „ XLIX.] eductus, fuſa ad Deum oratione, Idola deturba„ vit: quo prodigio alii milites (*a*) centum octoginta qua„ tuor crediderunt in Chriſtum, atque ita omnes capite ple„ xi ſunt „. Quadraginta novem additi ad centum octoginta quatuor conficiunt ſummam *biſcentum triginta trium militum Martyrum*. Baronius in notis. „ Habentur horum Acta a „ Metaphraſte edita, quæ recenſuit Lipomanus tom. 6. & Su„ rius tom. 5. Inſunt illis tamen nonnulla, quæ corrigantur „. An corrigendus numerus Martyrum? At Baronius ex Græcis Actis, Calliſtratum cum Sociis inſeruit Martyrologio Romano. Ac proinde videtur, habita priorum 49. Martyrum ratione dumtaxat, cæterorum 184. numerum neglexiſſe. In Tabulis Papebrochianis ſolus Calliſtratus pingitur. In noſtris *Calliſtratus* cum duobus Sociis, quorum unus fœmineum vultum exhibet, nimirum Pictoris aut Chalcographi oſcitantia: nam So-

a Baſilian. Menolog. *alii milites* 135.

Socios omnes Sancti Callistrati fuisse milites, Acta testantur. Extant Latine apud Lipom. & Surium ad 27. Septemb. Græce MSS. Lambec. Tom. 8. pag. 245. Initium: *τὴν τοῦ χριστοῦ ποίμνην ὁσημέραι πληθύνεσθαι*. Callistrati martyrium Græce legitur in Bib. Coislin. Cod. 296. p. 414. Init. Καλλίστρατος λέγει μάθετε.

XXVIII.

Sanctus Chariton.

Charitonis Monachi & Confessoris memoria colitur a Græcis in utroque Menologio: item in nostris Codicibus Vaticanis, & in Tabulis Papebrochianis; necnon apud Possevinum, hac die. Latini nihil de eo in Martyrologio, quod est mirum. Acta Latine habentur apud Lipom. & Sur. ad 28. Septembr. Græce MSS. apud Lambecium tom. 8. pag. 245. Init. *πολλοὶ τῆς διδασκαλίας τῶν ἐν τῷ ὡς θεῷ φίλων*. Codex noster Slavicus, diebus 27. 28. & 29. Septembris, vacat.

XXIX.

Sanctus Cyriacus Anachoreta.

Tabulæ Papebrochianæ: *Kyriak*, *Cyriacus*. Codex Vaticanus primus: *Cyriacus Abbas*. Secundus silet. Possevinus perperam: *S. Ciriani*. Menologium Græcorum utrumque: *μνήμη τοῦ ἁγίου πατρὸς ἡμῶν κυριακοῦ τοῦ ἀναχωρητοῦ*, *Commemoratio S.P.N. Cyriaci Anachoretæ*. Latini in Martyrol. ad hanc diem: *in Palæstina S. Cyriaci Anachoretæ*. Baronius in notis.
„ De eodem Græcorum Tabulæ, ac Menologium; ubi habetur,
„ hunc vixisse temporibus Theodosii minoris. Extant ejus
„ Acta, quæ & Metaphrastes descripsit, & Surius tom. 5.
„ Mentio de eodem habetur in Vita S. Euthymii Abbatis, cu-
„ jus fuit Discipulus, quam scripsit Cyrillus Monachus, qui
„ & de Euthymio multa didicit a Quiriaco. Quod autem spe-
„ ctat ad rectam rationem temporum; constat ex ejusdem
„ Actis, eum anno nono Leonis Imperatoris ingressum esse
„ Monasterium, annos natum decem & octo, vixisseque æta-
„ tem annorum centum & septem, sicque pervenisse usque
„ ad Justiniani Imper. tempora. Hic quum esset Diaconus in
„ Laura S. Sabæ, venit cum aliis ad Concilium Constantino-
„ politanum celebratum post Consulatum Belisarii, anno Do-
„ mini 536. subscriptusque reperitur Libello, quem Syno-
„ di Acta significant „. Ex hac Baronii supputatione colligo,
S. Cy-

S. Cyriacum in urbe Corintho natum (*a*) anno Chr. 448. Theodosii minoris 41. Annos natum decem & octo, Hierosolyma petiisse, in Lauram S. Euthymii se contulisse, & ab eo sacrum Monachorum habitum suscepisse anno Leonis Magni Imperatoris nono, Christi 465. Interfuisse Synodo Constantinopolitanæ anno Christi 536. Justiniani 10. demum obiisse annos natum 107. nimirum anno Christi 555. Justiniani vigesimo nono. Ac proinde mendum irrepsisse in Menologium Græcum, in quo dicitur: Ὁ ὅσιος πατὴρ ἡμῶν Κυριακὸς ὁ ἀναχωρητὴς, ὑπῆρχεν ἀπὸ τῆς πόλεως Κορίνθου, ἐπὶ τῆς Βασιλείας Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου: *Sanctus Pater noster Cyriacus Anachoreta, ex Urbe Corintho fuit, Theodosio Magno Imperatore*. Nam Theodosius Magnus obiit 17. Januarii anno Christi 395. adeoque ejus tempora Cyriacus attigisse non potuit. Quamobrem pro Theodosio Magno, substituendus *minor*, sic, Επὶ Θεοδοσίου τοῦ μικροῦ, Theodosio minore imperante. Obiit enim Theodosius minor die 28. Julii anno Christi 450., qui erat tertius ætatis Sancti Cyriaci. Fabricius tom. 9. Bibl. Græc. p.69. Cyriacum obiisse scribit anno Chr. 557. Ibidem laudat ejus Vitam, quæ Græcè MSS. extat apud Lambec. tom. 8. pag.245. Initium: τοὺς εὐλογοῦντάς σε. Latine prodiit apud Lipom. tom. 5., & Surium 29. Septemb. Alia ejusdem Cyriaci Vita incipit Græce: τοῦ ἀναχωρητοῦ, τοῦ πάντων ἀναχωρητῶν ἀρίστου Κυριακοῦ, apud eundem Fabric. loc. cit.

XXX.

GREGORIUS ARMENUS.

Codices Vaticani: *Gregorius Armeniæ Majoris Episcopus*. Noster Slavicus: *Sancti Hieromartyris Gregorii Archiepiscopi Magnæ Armeniæ*. Tabulæ Papebrochianæ: *Grygory*, seu, ut legunt Russi, *Hryhory*, *Gregorius*: ita & Possevinus: *S. Gregorii*. Menologium Græcorum utrumque: μνήμη τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Γρηγορίου ἐπισκόπου τῆς μεγάλης Ἀρμενίας. *Commemoratio Sacrosancti Martyris Gregorii Episcopi Magnæ Armeniæ*. Latini in Martyrologio ad hunc diem. *S. Gregorii Episcopi Armeniæ, qui sub Diocletiano multa passus, tan-*

a Falconius in not. ad 29. Septemb. ait Charitonem *natum an.* 441. eumque scribit *Corinthium fuisse sub Theodosio Magno Imperatore*. Quæ duo stare nequeunt: nam *Theodosius Magnus* ad annum 400. non pervenit.

dem in pace quievit. Sub Diocletiano passus dicitur, ideſt, quo tempore Diocletianus imperabat: nam Tiridates Armeniæ Rex illum tormentis ſubjecit, non Diocletianus, aut Diocletiani Satellites. Sacroſanctus autem *Martyr* appellatur, non quod martyrio vitam finierit, ſed quod multa propter Chriſtum ſupplicia ſubierit. „ Eductus enim è lacu, ſeu car„ cere, in quem a Tiridate conjectus fuerat, *Gregorius* [ut „ Synaxaria habent] Tiridatem ipſum cum omnibus ejus di„ tioni ſubjectis baptizavit; & Epiſcopus factus, multiſque „ Eccleſiis Chriſti Sanctorumque nomini erectis, vitam fi„ nivit „. Tabulæ Capponianæ & Papebrochianæ repræſentant eum habitu Pontificali juxta morem Græcorum. Papebrochius tamen hanc obſervationem addit. „ Ad ejuſdem „ S. Gregorii, Septembrem claudentis, pedem ſiniſtrum „ ſcriptæ erant literę Θ. M. quas defectu loci, noſtro in Ecty„ po permiſimus omitti. An iis ſignificetur *menſis nonus* anni „ Græci, ac Moſcovitici, qui nobis *Majus* diceretur; an no„ men Sculptoris, vel Propolæ, per literas initiales notetur; „ an aliud denique, non divino. Solum hic excuſo & finio „ menſem, quod figuras in Ectypo, quamvis rudi, oblon„ gas ac teretes, Delineator noſter craſſiculas omnes ac puſil„ las fecerit in hoc primo ſui operis tentamento: quod deinde „ monitus, curavit emendare in aliis, ſeque magis confor„ mare prototypo „. Utinam Capponianarum Tabularum Delineator tam feliciter figuras & inſcriptiones expreſſiſſet, ſicuti Papebrochianæ ſunt figuræ & literæ Ruthenicæ exhibitæ! Tentavit enim illas ita repræſentare minutas tenueſque, ſicuti ſunt in Prototypo; ſed multa peccavit. Quod vero ad literas illas ſpectat, quas ait Papebrochius ad pedem ſiniſtrum Sancti Gregorii inſcriptas, ajo primum eas *menſem nonum* Græcorum Moſcorumque ſignificare non poſſe, quum appoſitæ ſint Sancto Gregorio ad diem 30. Septembris, hoc eſt, menſis primi, effigiato. Ajo ſecundo, eas literas non eſſe Θ. M. ſed C. M. vel П. M. hoc eſt, *Swemno Muczenik*, *Sanctus Martyr*, aut *Prepodobny Muczenik*, *Sacromartyr*. Marmor Neapolitanum claudit menſem Septembrem his verbis: *S. Jeron. & S. Gregor. Epi de Armeni*: hoc eſt, S. Hieronymi, & S. Gregorii Epiſcopi de Armenia: nam ejus Reliquiæ coluntur Neapoli.

Vita

Vita extat Latine apud Lipom. & Sur. 30. Sept. Græce MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 246. incipit: τῆς τῶν περσῶν ἀρχῆς εἰς πάρθους διαλυθείσας.

MENSIS OCTOBER.

I.

Patrocinium Deiparæ.

Tabulæ Capponianæ. *Pocrow Bogorodyky*, *Protectio Deigenitricis*. Papebrochianæ: *Pokrow Preswiatya Boborodyky*, *Protectio Sanctissimæ Deiparæ*. Ita & Codex Ruthenicus Vaticanus 1. sed ad diem sequentem. Falconius perperam legit: *Bosru Bogondici*: nec minus male interpretatur Possevinus, *Coronatio B. Virginis*. Papebrochius haud recte, *Pokrod Virginis Mariæ*, quum dicere debuisset, *Pokrob*, seu *Pokrow*. Addit. „ Sive protectio a saxea pluvia. Ita Inter„ pres Belga: cui potius, quam interpreti Possevini, jam sæ„ pius errasse deprehenso, & hic *Coronationem B. Virginis* di„ ctanti, credere velim. Restat, ut originem & historiam fe„ sti, Moscis, ut apparet, proprii, aliquis distinctius nobis „ explicet„. Explicat Culcinius Par. 2. pag. 99. ad diem 1. Octobris, his verbis: „ Pocrov, idest, Protectio Dominæ „ nostræ Deiparæ, quod festum institutum fuit in diebus Leo„ nis Philosophi Imperatoris anno 911.„. Unde hoc hauserit Culcinius, non indicat. Existimo, id eum accepisse ex Ruthenico suo libro. Verum obstat quoad facti veritatem, primo, quod an. Christi 911. die XI. Maji obiit Leo Sapiens, Philosophus dictus, eumque excepit in Imperio Orientali Alexander frater, quo, die 6. Junii anni sequentis 912. extincto, Imperii gubernacula suscepit Constantinus Porphyrogenitus, Leonis filius, sub tutela Zoës matris. Secundo, si a Leone Sapiente sub vitæ exitum fuisset id festum institutum, Græci utique in Menologio communi ipsum inseruissent, & maxime in Menologio Basiliano, quod Basilius Porphyrogenitus, Romani junioris filius, Constantini Porphyrogeniti nepos, Leonis ipsius Sapientis abnepos, circa annum 980. describi, picturisque ornari jussit. Quum itaque Græcorum nemo hujus festi

festi mentionem faciat, argumento est, illud Moschorum proprium esse. Sed Culcinium audiamus. Pergit enim ejusdem Festi Synaxarium è Ruthenico sermone in Latinum convertere. „ Hac die celebramus Festum Sanctissimæ Dominæ no-
„ stræ Deiparæ & semper Virginis Mariæ, indicantes, quali-
„ ter Sancta Virgo orat sedulo, nec cessat orare pro genere
„ humano. Qua de re revelatum fuit in Urbe imperante Bea-
„ tis ac Sanctis Andreæ & Epiphanio, qui viderunt in aëre Di-
„ vam Deiparam in Ecclesia ad Blachernas cum Angelis, cum
„ Præcursore, cum Joanne Theologo, & aliis Sanctis mul-
„ tis, orantem enixe Filium suum pro toto Mundo. Porro
„ Sanctus Andreas dixit Sancto Epiphanio: Vides ne Regi-
„ nam & Dominam omnium orantem? At ipse reposuit: Vi-
„ deo Sancte Pater, & obstupesco. Purissima vero Virgo
„ venerando suo Omophorio splendenti magis quam electrum,
„ protexit populum in Templo existentem, ac placans be-
„ nignis, more Matris, precibus Creatorem suum, ac Fi-
„ lium, misericors, & clementissima, talia verba pronunciabat.
„ Rex cœlestis, suscipe omnem hominem te glorificantem,
„ & invocantem nomen tuum sanctum; omnem vero locum,
„ ubicumque fit commemoratio nominis mei, sanctifica, ac
„ glorifica, te & me tuam matrem glorificantes, ac cum
„ amore colentes; suscipiens eorum omnes preces ac vota,
„ & liberans eos a cunctis malis periculisque. Et nos igitur
„ fideles, benignissimæ nostræ Protectrici humiles nostras of-
„ ferentes preces, dicamus: Prout tu sola vis, sanctissima
„ domina, venerandum tuæ Protectionis festum exorna, ut
„ glorificantes te, gaudeant in te, & colant impensius multas
„ Tibi sacras solemnitates. Sicut vero olim clementer in Tem-
„ plo populum operuisti; ita & nunc nos peccatores, famu-
„ los tamen tuos, protege præsidio tuæ misericordiæ, depri-
„ mens impia contra nos improborum consilia. Ora quoque
„ Filium tuum & Dominum nostrum Jesum Christum, ut sal-
„ vet omnes ad ipsum & ad Te confugientes, in tuaque pro-
„ tectione firmam spem collocantes, quum tu sis Advoca-
„ ta, auxiliumque omnium Christianorum „. Hactenus Culcinius ex Synaxario: qui tamen non exponit, quinam fuerint Sancti Andreas & Epiphanius, & quo tempore viderint

San-

Sanctissimam Deiparam in Templo ad Blachernas cum Sanctis Joanne utroque, cum Angelis, & cum aliis sanctis, in aëre apparentem, & Filium suum pro populo orantem, & populum qui in Templo aderat, sancto pallio suo protegentem. Si conjecturis indulgendum est, quum hoc festum, ut dixi, Moschis sit proprium, neque a Græcis usurpatum, videtur sub Uladimiro, dicto Basilio, primo Russorum Christiano Duce institutum: idque tum, quum magnificentissimam Basilicam in honorem Deiparæ in urbe regia ædificavit: qua de Basilica hæc habet Synaxarium Ruthenicum ad diem xv. Julii apud Culcinium Par. 1. pag. 29. „ Convocavit posthæc magnates suos, „ omnemque plebem, ac jubens unumquemque paratum es„ se ad suscipiendum statuta die Baptismum, ad finem con„ cionis tale addidit edictum: siquis non interfuerit crastina „ die ad fluvium, is mihi hostis erit. Illucescente itaque fau„ sta die, convolavit omnis populus ad fluvium Pocaina, vi„ ri, matresque cum pueris, virginibusque: & baptizarunt „ Presbyteri ritu ac ordine debito universam multitudinem; „ vocatusque fuit locus ille sanctus, ubi etiamnum stat super„ stes Templum divis martyribus Boriso & Hlibo sacrum. *&* „ *post pauca*. Dimittens populum, præcepit omnibus, ut „ aras ac templa Christo Domino ubique erigerent: ipse „ etiam constructis plurimis sacris ædibus, insigniorem Basili„ cam honore Deiparæ dicatam, in urbe regia (*Kioviæ scil.*) „ excitavit. Vixit posthæc non multos annos; morboque „ correptus, migravit ad Dominum decimaquinta Julii. Cor„ pus ejus positum fuit cum magno, ut decebat, honore, in „ Templo Deiparæ quod ipse erexerat „. Et in sua Constitutione de potestate Metropolitæ, ipse Uladimirus, in Appendice apud eundem Culcinium pag. 29. sic ait: „ In no„ mine Patris & Filii, & Sancti Spiritus, Amen. Ecce ego „ Princeps Uladimirus, dictus in Sancto Baptismo Basilius, „ filius Svatoslai, nepos Igori & beatæ Olgæ, suscepta sancta „ fide Christi, obtinui ex urbe Constantinopoli primum Me„ tropolitam Kioviensem Michaëlem, qui baptizavit totam „ Russiam. Postmodum erexi Templum in honorem Sanctæ „ Deiparæ, & applicavi eidem Templo decimas ex universo „ meo Principatu „. Hujus itaque Templi, omnium Russiæ Tem-

Templorum celeberrimi, (quippe quod & a primo Christiano Duce fundatum est, & Cathedrale Metropolitani totius Russiæ constitutum :) videtur hac die dedicatio peracta sub titulo *Protectionis* seu *Patrocinii Deiparæ*. In Tabulis Capponianis, depicta cernitur Deipara in hoc Templo in aëre extendens pallium, totamque Russicam gentem protegens, Rege & Regina ad dexteram; Archiepiscopo autem, Clero, & populo ad sinistram adstantibus, quorum omnium capitibus nimbus circumductus. Papebrochiani Fasti repræsentant & ipsi Deiparam in eodem Templo in aëre stantem expansis manibus cum epigraphe ad capitis latera ΜΡ. ΘΥ, *Mater Dei*: Infra, in medio stat Diaconus, aliquid intonans; ad dexteram, sedet Archiepiscopus cum quodam Archimandrita, habens coram se positam mensam: ad sinistram, adstant laici Deiparam suspicientes: omnes capite radiato, præter Archimandritam. Quæ omnia aptissime ad Templi illius dedicationem in honorem Deiparæ videntur referri. Quam vero fuerint, sintque adhuc Russi omnes pio in Deiparam affectu, ex eo patet, quod primarium quidem in Russia Templum in ipsius honorem sit dedicatum; deinde Imago ejusdem non modo in universis Ecclesiis summa cum religione colitur; sed etiam in privatis ædibus. Pauca ex multis hic recitabo. Ad diem XXVI. in effigiato Papebrochiano Calendario: *Stritenie Icony*, idest, *occursus Imaginis Deiparæ*. Culcinius: „ quum non habeam hac de re „ notitiam, puto hoc festum proprium esse Metropolitanæ in „ urbe Moscua Ecclesiæ, cui forsan donata fuerat a Græcis „ sacra Imago, & excepta reverenter a Metropolita Moscoviæ. Quo vero tempore id factum fuerit, non divino. Sed „ addo, plurimas Deiparæ Iconas e Græcia advectas fuisse „ diversis temporibus in Russiam, e quibus nos Rutheni cum „ Sancta Romana Ecclesia uniti, hactenus retinemus anti„ quitate celeberrimas Vilnensem, Chelmensem, Uladimi„ riensem, & alias. Polocensem non ita pridem Mosci per „ vim accepere, & Smolenscum asportavere „. Recte de istis Deiparæ Imaginibus scribit Culcinius. Et de Smolenscensi quidem Imagine, ad diem 28. Julii „ Manifestatio Iconis Smo„ lenicæ Sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ Odigitriæ (*Ho„ degetriæ*) ponitur in Menologio Slavo Russico, e Slavo„ nica

„ nica lingua Latine reddito a prænobili ac generoso Domino „ Joanne Gabriele Barone de Sparwenfeld „ apud Bollandianos ad 28. Julii pag. 501. Quod vero Culcinius non audet divinare *de occursu Imaginis*, an Moscuensis sit, an alterius loci; id discere poterat ab Herbersteinio, qui in commentariis Rerum Moscoviticarum pag. 88. ad annum Christi 1395. de Tamerlanis Tartarorum Regis Ducum irruptione in Moscoviam loquens, hæc scribit. „ In Volodimeriam Principes Moschi „ pro Imagine quadam divæ Mariæ Virginis, quæ multis mi„ raculis editis ibi celebris erat, mittunt: quæ quum in Mo„ scoviam duceretur, Princeps omni cum multitudine hono„ rifice illi obviam procedit: eaque primum ut hostem aver„ teret implorata, maxima veneratione ac reverentia in civi„ tatem deducit: quo cultu se impetrasse dicunt, quod Tar„ tari ultra Retzan non fuerint progressi. In cujus rei perpe„ tuam memoriam eo loci, ubi Imago expectabatur, susce„ ptaque fuit, Templum exædificatum est, diesque is, quem „ Rutheni *Stretenne*, idest, obviationis diem vocant, XXVI. „ Augusti quotannis solenniter celebratur. Acta sunt an. 6903. idest, Christi 1395. Possevinus in tertio colloquio cum Joanne Basilide, magno Moscoviæ Duce, die 4. Martii anno 1582. in Regia urbe Moscua: „ Antoni (inquit Joannes Basilides) „ relatum est nobis a Senatoribus nostris, cupere te Ecclesias „ nostras obire: qua in re tibi gratiam nostram (ea phrasi sæpe „ utitur) ostendere volumus. Jussimus enim, ut te ad eas „ Proceres nostri deducerent, in quibus videbis, quanto cul„ tu Sanctissimam Trinitatem adorantes, Beatissimam item „ Virginem ac Sanctos veneramur & invocamus. Conspicies „ autem, qua pietate feramur erga pias Imagines, quum & „ Beatissimæ Virginis eam, quæ a S. Luca depicta est, cernes. Idem Possevinus in lib. de rebus Moscoviticis pag. 16. agens de ratione, legatos in Moscovia excipiendi: „ Quin & idem „ princeps (inquit) quinis hominum millibus in platea patenti „ convenientibus, ut splendidiore majestate rem illustraret, „ Moscuæ, suo e palatio cum Senatoribus & Proceribus (præ„ euntibus Sacerdotibus, prælataque B. Virginis Imagine) de„ scendit, ut nos in Templum adduceret: in quo locum pa„ rari honorificum jussit, unde sacrum, ceremoniasque illas

„ conspiceremus„ . Et in altero Commentario pag. 4. describens magni illius Russorum Ducis apud suos existimationem, & cum exteris agendi rationem . „ Is vero (inquit) hanc de „ se existimationem apud suos mira diligentia fovet, prorsus „ ut quasi Rex sacrorum, simulque Imperator videri velit; „ Pontificiam autem & plusquam Regiam majestatem ipsis in „ vestibus, consessu, ac reliquis præseferat. A Græcis Patriar„ chis,& Imperatoribus mutuatum esse omnia, aliquis dixerit, „ atque ad sui honorem,quæ ad Dei cultum referebantur, tra„ duxisse. Tiaram enim unionibus ac gemmis ornatissimam, „ eamque non unam tantum (quam ostentandæ amplitudini „ mutat identidem, quum & Byzantio sibi delatam dicat) aut „ apud se habet, quum sedet in throno, aut gestat in capite. „ Pedum, seu Pastorale in manu læva, cristalli sat magnis „ globis, tamquam nodis, interstinctum: Talarem vestem, „ quali fere Pontifices maximi uti solent, quum solenniter „ procedunt ad sacrum, & manus plenas anulorum gerit, cum „ prægrandibus gemmis. Imaginem item Salvatoris ad dexte„ ram, ac Beatissimæ Virginis supra Cathedram, in qua sedet: „ binosque albis sagis indutos, atque bipennibus ad humeros „ munitos habet utrinque stantes, quasi Regii corporis stipato„ res „. Hæc de Russorum Duce adnotare visum est, ut quo cultu Imaginem Christi ac Deiparæ veneretur,manifestum fiat.

Omissa Ruthenici hujus Festi commemoratione, uterque Codex Vaticanus ad 1. Octobris habet: *Ananiæ Apostoli*. Slavicus noster: *S. Apostoli Ananiæ Episcopi Damasceni: & Martyris Arethæ & Sociorum ejus: & Martyris Domnini: & memoria S. Romani, qui composuit Cantica voluminosa*. Fasti Papebrochiani, præter *Deiparæ*, ut supra, *Patrocinium*, addunt hac die: *Ananias*: qui habitu Episcopali depictus est. Hoc ipsum legere est apud Culcinium. In Menologio quoque Basiliano ad hanc diem, *Ananias Apostolus* dicitur, (ita enim Christi discipulos Græci vocant) idemque *discipulus magnorum Apostolorum Petri & Andreæ, ordinatus ab iisdem urbis Damasci Episcopus: ibidem vero, extra urbem lapidibus obrutus, & in eadem urbe Damasco sepultus*. At in Menologio Græcorum, „ Unus ex LXX. discipulis, Damasco oriundus, „ quum Paulum Apostolum baptizasset, & Damasci atque

„ Eleu-

„ Eleutheropoli Evangelium prædicasset, sub Licinio præ„ side nervis cæsus, lateribus depexus, & lampadibus adu„ stus, postremo extra urbem ejectus, lapidibusque op„ pressus, martyrium consummasse „. Eadem de S. Anania Latini in Martyrol. Rom., sed ad diem 25. Januarii, quo *Conversio S. Pauli Apostoli* recolitur. Tabulæ nostræ Capponianæ omittunt. De Actis ejus, Fabricius Tom. IX. Biblioth. Græc. pag. 53. hæc habet: „ Ananiæ Apostoli & Mar„ tyris Ἀνέτειλε μετὰ τὴν ἀνάληψιν τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ „ πρὸς τὸν ἴδιον πατέρα. Auctor se appellat Bar Saphtam. „ Ita enim in extremo legitur: ἐγὼ δὲ Βαρσαφθᾶς ἔγραψα „ τὰ ὑπομνήματα αὐτοῦ. Vide Allat. de Simeonibus pag. 82: „ exstat MSS. in Bibl. Coislin. pag. 195. De eodem Anania: „ Λυκιανοῦ δυσσεβοῦς κατὰ τὰ τῆς ἑῴας μέρη ἐν Βηθαγαβρῇ τῆς „ ἱεραπόλεως. Latine apud Lipom. Tom. V. & Sur. 1. Octobr. „ Græce MSS. Lambec. Tom. VIII. pag. 246. 261. (ubi „ icon Sancti) & 380. & in Biblioth. Coislin. pag. 210. in„ cipit: Λυκιανὸς ὁ δυσσεβὴς τὰ τῆς ἑῴ „. Hæc Fabricius. Sed pro, Βηθαγαβρῇ τῆς ἱεραπόλεως, legendum omnino, Βηθαγαβρῇ τῆς ἐλευθερόλεως, *Bethagabre Eleutheropolis*: vide Surium Tom. 5. pag. 472.

De Sancto Aretha Mart. & Sociis, agunt Tabulæ nostræ Capponianæ, nec non Papebrochianæ: Menologium quoque Græcorum, nec non Basilianum, ad diem XXIV. Octobris. At Romanum Martyrologium duos Arethas distinguit: nam ad hanc diem 1. Octobris de Aretha Romæ (ut videtur) passo, sic habet: *Romæ B. Arethæ Martyris & aliorum quingentorum quatuor*: de quibus (inquit Baronius) *Usuardus*, *Ado*, *& alii recentiores*. Ad diem vero XXIV. Octobris: „ Apud „ Homeritas in civitate Nagran *Passio Sanctorum Arethæ &* „ *Sociorum* trecentorum & quadraginta, tempore Justini Im„ peratoris, sub Dunaan Judæo tyranno: post quos Christia„ na mulier incendio tradita est; cujus filius annorum quin„ que, quum balbutiendo Christum confiteretur, nec blan„ ditiis nec minis retineri posset, in ignem ubi mater ardebat, „ se præcipitem dedit. *Ubi idem Baronius*: De his item hac „ die Græci in Menologio; quorum Acta Metaphrastes exacte „ describit: exstant apud Lipom Tom. 6. & Sur. Tom. 5. De

„ iisdem Niceph. hist. lib. 17. cap. 16. Zonar. in Justino Imp. „ & Cedrenus anno 5. ejusdem „ . Quid? si ex uno Aretha & Sociis, duo Arethæ cum Sociis existimati sint ex eo, quod in nonnullis quidem Calendariis, ad 1. diem; in aliis vero communius, ad 24. Octobris peracta legatur *Arethæ commemoratio*? Nam Slavicus noster Codex, qui de Aretha Kalendis Octobris agit, eundem ad 24. ejusdem mensis silet. Ceteri Græcorum Fasti, in quibus fit Arethæ die 24. commemoratio, eundem ad diem 1. Octobris omittunt. In solo Romano Martyrol. Arethæ utrobique memoria peragitur. Hac tamen de re judicium Patrum Bollandianorum expecto.

Domninum Martyrem, æque Græci ac Latini colunt hac die, ejusque Passionis Acta Græci referunt in utroque Menologio. Addit Baronius in not. *Adduntque Græci alium Domninum, qui in Perside martyrium subivit*: Hujus tamen secundi Domnini in Perside passi, ne vestigium quidem in utroque Græcorum Menologio ad hanc diem 1. Octob.

Romani Contaciorum auctoris, sive, ut vocant, *Melodi*, memoriam Græci peragunt hac die in utroque Menologio, eumque in Syriæ urbe Emesa ortum, & Ecclesiæ Beryti Diaconum fuisse perhibent, indeque Constantinopolim profectum, in templo Deiparæ, quæ Cyri dicitur, commoratum fuisse, & Contacia ad mille (temporibus Anastasii Imperatoris) scripsisse.

II.

SACROSANCTUS MARTYR CYPRIANUS.
MARTYR JUSTINA.

Tabulæ Papebrochianæ & Culcinius: *Cyprianus. Justina*. Possevinus, *S. Martyris Cypriani*: omittit Justinam. Codex Vaticanus I. utrumque. Vaticanus II. habet: *Romani Diaconi*: de quo Menologia Græcorum ad diem antecedentem. Latini in Martyrol. ad 26. Sept. *Cypriani*, & *Justinæ*. Ubi Baronius in notis. „ Communiter penes Græcos „ irrepsit error, dum hunc Cyprianum cum illo Episcopo „ Carthaginensi confundunt: qui tamen quampluribus differentiis distinguuntur ab invicem, nimirum patria, gradu, „ genere, tempore, actis, & loco martyrii. Fuit enim hic, „ de quo agitur, patria Antiochenus, ex mago Christianus, „ inde

„ inde Diaconus; & una cum Justina sub Eutholmio Præside, „ temporibus Diocletiani, in sartagine positus, Nicomediæ „ martyrium consummavit: adeo ut ex his pateat, nonnisi „ nomen, & martyrii titulum hunc habere communem cum „ Cypriano Episcopo Carthaginiensi „. Hæc Baronius. Verum inprimis observandum est, in Tabulis Papebrochianis, S. Cyprianum depingi non ut Episcopum, sed tamquam laicum. Secundo, Græcos non constare sibi in hujus Sancti rebus gestis narrandis. Nam in Menologio Basiliano, quod omnium Græcorum est antiquissimum, hæc de eo leguntur: „ Cyprianus Sapiens Pontifex, Decio Imperante, Antiochiæ „ Syriæ natus, primum Philosophus erat, & magicis artibus „ apprime eruditus: Sed postea Chistianus hac ratione factus „ est. Justinam Virginem in eadem urbe, quæ ab (*a*) Optato Episcopo baptizata fuerat, Græcus quidam, Idas (*b*) „ dictus, ardenter amabat. Sed quum voti sui compos fieri „ non posset, confugit ad Cyprianum, rogans eum, ut magicis artibus Justinam ad sibi consentiendum induceret. „ Quum vero Cyprianus fornicationis Dæmones ad sollicitandam Virginem tertio destinasset, ejus tamen animum „ expugnare nequivit, quæ fundendis ad Deum precibus „ semper intenta erat. Sed ipse potius a postremo, quem „ miserat, Dæmone correptus, intellexit, vanam ac futilem esse magicam artem. Quamobrem combustis libris, „ baptizatus est: eumque in virtute progressum fecit, ut „ (*c*) Episcopus ordinatus fuerit, multosque Christi fidem „ do-

---

a Eudocia Augusta lib. 2. de SS. Cypr. & Justina apud Photium in Bibliotheca Cod. 184. *Eusebium Sacerdotii dignitate exornatum* vocat, a quo Cyprianus baptizatus.

b In Menolog. Græcor. pro *Ida* legitur *Aglaidas*. Ita & apud Eudociam Augustam: lib. 2. „ Accedit, quomodo Aglaidas, gravis ille Justinæ procus, quum voti „ compos factus non esset, bona quoque fortunæ pauperibus omnia erogaverit, & Dæ„ monibus tamquam deceptoribus nuncio remisso, Christianis sese Sacris addixerit.

c Eudocia Augusta lib. 3. Tertius denique Martyrium complectitur B. Cypriani & claræ Virginis Justinæ: qui Diocleriano & Maximiano Romæ Imperantibus, morte testimonium dixerunt fidei: una enim ad Martyrii lauream abrepti sunt: Cyprianus quidem ex patria, urbe Antiochia, cujus etiam Archiepiscopatum post Anthimum administrarat: Justina vero Damasco: ibi enim illa, postquam Antiochia migrarat (quæ & ipsa Virginis patria erat) palam Christum professa est. His ita captis &c. Hæsitans Judex, decrevit Martyres ad Diocletianum mittere. &c. Quæ quum Imp. Diocletianus Nicomediæ intellexisset, præcepit Martyres ad vicinum urbi flumen

„ docuerit. Tandem unacum Justina comprehensus a Damasci præfecto, pro Christo decollatus est „. En Cyprianum non sub Diocletiano, neque Nicomediæ, sed sub Decio, & Damasci decollatum: Episcopum proinde creatum, non Carthagine in Africa, sed incertæ urbis in (*a*) Syria: quamobrem in Tabulis Capponianis Episcopali habitu indutus depingitur. Græci recentiores vitam hujus Episcopi mirum in modum ampliarunt, seu potius corruperunt. Nam primo Synaxarium, postquam eadem, quæ in Menologio Basiliano de Cypriano recitasset, usque ad ea verba: *γίνεται δὲ καὶ πλευταῖον ἐπίσκοπος, καὶ πολλοὺς ὁδηγήσας πρὸς τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν ἐκρατήθη παρὰ τοῦ τῆς Δαμασκοῦ κόμητος σὺν τῇ Ἰουστίνῃ*: „ Fit demum Episcopus: quumque multos Christi fidem docuisset, una cum Justina comprehensus est a Damasci Comite „: post hæc, inquam, verba, loco eorum quæ in Basiliano leguntur, *ὑπὲρ Χριστοῦ ἀπεκεφαλίσθη*, *pro Christo decollatus est*, alia addit, producens ipsius vitam, eumque Nicomediam usque a Damasco abducens, sic. *καὶ τὰς πλευρὰς ξέονται, καὶ σιδηρῷ τηγάνῳ ἐμβάλλονται, καὶ ἐπὶ Νικομήδειαν ἀπαχθέντες, τὰς κεφαλὰς ἀφαιροῦνται*. „ Et lateribus depexi, „ & in ferrea Sartagine sunt injecti: Nicomediam demum abducti, decollati sunt „. Quæ omnia in Basiliano desunt. Addit Metaphrastes in ejus Actis, ipsum Cyprianum initiatum sacro Baptismate atque Ordine Diaconatus ab Anthimo Episcopo Nicomediæ, quem constat temporibus Diocletiani Imperatoris illi Ecclesiæ præfuisse, ut testatur Eusebius hist. lib. 8. cap. 6. id quod tamen Synaxario haud repugnat; quamquam enim sub Decio claruerit & Antiochiæ sit baptizatus, at vero, quum postea Nicomediam perrexerit, ibique ab Anthimo Episcopo Diaconus ordinatus fuerit, ibidem Anthimo in Episcopatu suffectus, Nicomediæ demum martyrium subiit. Atque hæc juxta mentem Metaphrastæ, & Synaxarii. Ceterum verosimilius videtur, non Synaxario Græco, neque Vitæ per Metaphrastem editæ standum esse, sed Menologio Basiliano, in quo

men, cui Gallo nomen, capite truncari. &c Demum Nautæ quidam ex urbe Roma illuc navigantes, eorum Reliquias Romam advexerunt &c.

a Antiochenum Episcopum facit Eudocia: sed quum post Anthimum dicatur factus Episcopus, pro Antiochia videtur *Nicomediæ* nomen esse reponendum, ubi & passi perhibentur.

in quo hic Cyprianus unacum S. Justina a Præfecto Damasci comprehensus dicitur, ibique Episcopus ordinatus post Anthimum, non quidem Nicomediensem, sed Damascenum Episcopum. Photius enim aut ipsius exscriptor, videtur, Antiochiam Cypriani patriam cum ejus Episcopatu perperam conjunxisse. Baronius (*a*) de Actis Græcis per Metaphrasten editis hæc subjungit: „ Extant horum res gestæ Latine conscriptæ, fideliores que mea quidem sententia, quam Acta „ illa quæ edidit Metaphrastes „. Adderem ego, a Damasci præfecto illos Nicomediam ad Diocletianum fuisse missos; ibique pro Christo martyrium consummasse: id quod in Menol. Basiliano desideratur. Sic enim Acta cum iis conveniunt quæ Eudocia Augusta circa ann. Chr. 425. descripsit. Porro Acta Cypriani & Justinæ a Metaphraste edita, habentur Lat. apud Surium tom.5. ad 26. Sept. Græce MSS. Lambec. tom.8. pag. 247. 257. 262. & in Bibl. Coislin. pag. 210. Init. *πολλὰ καὶ μεγάλα μετὰ τὴν Ἀντιόχου θαυμάζειν παρακαλοῦσιν*. Alia de iisdem incerto auctore. *ὅσοι τοῖς τοῦ Χριστοῦ μυστηρίοις προκόπτετε, τοῖς ἐμοῖς δάκρυσιν ἐπιβλέψατε*.

III.

DIONYSIUS AREOPAGITA.

Ita & Codices Vaticani Ruthenici. Slavicus noster S.P.N. *Martyris Dionysii Areopagitæ*. Tabulæ Papebrochianæ: *Dionysius*. Possevinus: *S. Martyris Dionysii*. De eodem Græci in utroque Menologio, ubi *Areopagita* diserte dicitur, & *Athenarum Episcopus*, & *Athenis* martyrium consummasse. His tamen repugnant non modo Latinorum, sed & Græcorum antiquorum testimonia, qui tempore Ludovici Pii affirmarunt, ipsum Athenis Episcopum ordinatum, in Gallias postea profectum, Parisiorum Ecclesiam curasse. Vide Baronium in not. ad IX. Octobris, qua die a Latinis colitur. Duos Dionysios Episcopos distinguit vetustissimum Calendarium Marmoreum Ecclesiæ Neapolitanæ, quorum unus colitur die 2. alter

---

a Vide Falconium in not. ad diem 2. Octob. pag. 15. ubi Acta SS. Cypr. & Justinæ, Heroico carmine, libris tribus, medio v. seculo, ab Eudocia Augusta uxore Theodosii junioris scripta, & a Photio in suo Myrobiblo Cod. 184. in Epitomen redacta, observat. Caveus hist. liter. de Eudocia Aug. pag. 260 edit. 1720 „ Alius „ a Cypriano Carthaginiensi fuit iste Cyprianus, ac Romæ sub Diocletiano simul „ cum Justina passus dicitur „. Hoc postremum est falsum.

alter die 3. Octobris: hæc sunt ejus verba. „ II. Nat. Sancti Dionysii Episcopi. III. Nat. S. Dometi & S. Dionysii „ Episcopi„. Unde colligitur unum ex illis esse *Areopagitam*: nam Ecclesia Neapolitana, ut sæpius monui, olim Græco ritu maxime delectabatur. Quis vero eorum sit Areopagita, & quis alter, judicent alii, qui Calendarium illud doctis Commentariis illustrandum susceperunt. Si meam licet interponere sententiam, dixerim, primum Dionysium, etsi ad secundam diem positus sit, esse Areopagitam: nam & hunc Beda, Usuardus, Ado ad diem 3., Græca Menologia sequuti, ponunt: alterum vero Dionysium, qui tertia die commemoratur cum S. Dometio, esse Episcopum Alexandrinum: nam in Menologio Basiliano ad diem 4. Octobris tam Dionysii Episcopi Alexandrini, quam Dometii Persæ commemoratio peragitur. Itaque uterque Dionysius Episcopus in eo Calendario vel ob rationem nobis ignotam, vel quia quarta dies Festo Sancti Theotecni impedita esset, uno ante Menologium Græcum die ponitur. Scio, in Menologio Græco communi, & in Martyrologio Romano ad diem 3. Octobris, non Alexandrinum, sed alium Dionysium Martyrem cum Sociis Fausto, Cajo, Petro, Paulo, & aliis quatuor commemorari. Unde Baronius in notis, nulla habita ratione Bedæ, Usuardi, & Adonis, qui ea die Dionysium Areopagitam cum sociis ponebant, Græcorum Menologium sequi se ait, in quo de Dionysio quodam & Sociis octo hæc leguntur: „ Natalis S. Martyris Dionysii & Sociorum octo. Hic sub Valeriano & Gallieno Impp. adductus „ ad Præsidem Æmilianum, perseverans in Christi confessione, exilio primo damnatur atque proscribitur, ac lapidatur, plura tormenta quam olim in Libya passus. Conclusus igitur in loco squallido cum Fausto, Cajo, Petro, & „ Paulo, (*a*) qui cum illo annos duodecim easdem pœnas „ toleraverant, consummatus est in confessione Christi„. Scio etiam in eodem Græco Menologio, & in Martyrologio Romano ad diem 4. Octobris, Dionysii Alexandrini discipulos recenseri, Cajum, Faustum, Eusebium, Cheremonem, Lucium & Socios, ex quibus alii in persecutione Valeriani Martyres

a Additur in Græco, *καὶ ἑτέροις τέσσαρσι*, *& aliis quatuor*: quos nescio quare hic Baronius omiserit.

tyres facti, alii martyribus servientes, Martyrum mercedem receperint: de quibus idem Baronius in not. ,, De his item ,, Græci in Menologio, traduntque hos esse Discipulos San- ,, cti Dionysii Episcopi Alexandrini: ex quibus apparet, hos ,, illos esse, quorum idem S. Dionysius meminit in Epist. ad ,, Germanum apud Eusebium lib. 7. cap. 10. ,,. Scio denique, S. Dionysii Alexandrini memoriam a Latinis peragi in Martyrologio Romano ad 17. Novembris: ubi Baronius in notis: ,, De quo Beda, Usuardus, Ado, ac cæteri Latinorum: ,, Græci autem in Menologio quinto Nonas Octobris ,,: idest, die 3. Octobris. Quod, si verum est, uti est verissimum: [nam in Menol. Græco ad 3. Octobr. sic legitur: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ὀκτὼ μαρτύρων. οὗτος ἦν ἐπὶ τῶν χρόνων οὐαλλεριανοῦ καὶ γαληνίου τῶν βασιλέων: ,, Eadem die Sancti Sacromartyris Dionysii, & So- ,, ciorum ejus octo Martyrum. Hic erat sub Valeriano & Gal- ,, lieno Impp. ,,. Cætera, ut supra apud Baron.] Si, inquam, hoc verum est, a Græcis de Sancto Dionysio Alexandrino agi ad diem 3. Octobris unacum octo illis Sanctis, ejusdemque Dionysii Discipulos esse alios Sanctos, qui in Menologio Græco & Martyrologio Romano ad diem 4. Octobris commemorantur: igitur, unus idemque erit Dionysius, qui colitur apud Græcos & Latinos die 3. Octobris, & qui a Latinis commemoratur die 17. Novembris: isque non alius, quam Alexandrinus Episcopus. Quare Menologium Basilianum, ut mea fert opinio, multo rectius, quam Menologium Græcum, una eademque die 4. Octobris ponit Dionysium Episcopum Alexandrinum, ejusque Discipulos Cajum, Faustum, Eusebium, & Cheremonem. Nam duos fuisse Dionysii Episcopi Discipulos & Socios Cajos & Faustos, quemadmodum Græci in Synaxariis diei 3. & 4. Octobris asserunt, quis credat? Maxime quum illos Dionysius ipse in sua ad Germanum epistola non nominet. Ego vero pluris facio Basiliani Menologii, quod Imperiali & Patriarchali jussu circa annum 980. editum, ad nos autographum devenit, auctoritatem, quam Synaxarii Græci in Menæis editi, quod multis putidisque auctariis est respersum. Porro Acta S. Dionysii Areopagitæ habentur Latine apud Lipom. & Surium ad 3. Octobr. Græce apud Lambec. tom. 8.

pag. 222. 247. 257. 262., & in Biblioth. Coislin. pag. 210. Init. *πάλαι μὲν ἐν τόποις*, Græce & Latine cum Balthas. Corderii Versione pag. 190. Alia, Methodio seu Metrodoro Auctore, Græce, *μετὰ τὴν μακαρίαν ἢ λιθοξοπάτην*, in editione Corderii Dionysiana pag. 242. Latine apud Sur. ad 9. Octobris, initium: *Post beatum ac salutiferum D. N. Jesu Christi*: Tertia Michaëlis Syncelli, Græce & Latine in eadem editione Corderiana pag. 207., init. *οὐρανίαν ὄντως ἢ θείαν ἰδεῖ*. Quarta Gregorii sive Georgii Cyprii Patr. CP. in Biblioth. Vaticana & alibi, initium: *ἡ μὲν πρόθεσις τῷ λόγῳ δικαία*. Porro S. Dionysium *Athenarum Episcopum*, ex Sophronii Hierosolymitani epistola vocat Photius in Biblioth. Cod. ccxxxi. „ Sic & Dionysius quidem copiosus verbis, copiosior tamen „ speculatione, Discipulus S. Pauli Christi Martyr, Athenien- „ sium Episcopus.

I V.

Hierotheus Episcopus.

Tabulæ Papebrochianæ: *Hierotheus*. Possevinus perperam: *S. Martyris Erophi*. Rutheni pronunciant: *Jerofti*: unde Possevino excidit *Erophius*. Vaticani Codices, & noster Slavicus silent. Agunt de eodem hac die Græci in Menologio, non quidem brevibus iis verbis, quæ Baronius recitat: „ Natalis Sancti Patris nostri Hierothei, qui fuit unus è numero „ Areopagitarum, qui ab Apostolo Paulo est instructus una- „ cum magno illo Dionysio: quumque religiose vixisset, mi- „ gravit ad Dominum „: Sed bene longo Synaxario, quod juvat hic Latine exhibere. „ Hic fuit unus ex novem viro- „ rum numero, qui in Areopago Senatores erant. Primum „ autem ab Apostolo Paulo instructus, ordinatur Athenarum „ Episcopus. Ipse vero & Magnum Dionysium ad Christi Fi- „ dem adduxit, & in funere Sanctissimæ Deiparæ unus è pri- „ moribus aderat, unacum Sanctis Apostolis, qui simul con- „ venerant, peregrinationem suscipiens, simulque in exsta- „ sim raptus, quæ audiverat, & viderat, Hymnis celebrans. „ Quumque bene ac religiose vixisset, Deumque & rebus ge- „ stis, & virtutibus exhilarasset, ad Deum migravit „. Auctor Synaxarii alludit ad ea S. Joannis Damasceni verba in oration. 2. de Dormitione Deiparæ: „ Aderant tunc [quum Bea-

ta

„ ta Virgo ad Deum migravit] cum Apostolis Sanctissimus „ Timotheus, primus Episcopus Ephesiorum, & Dionysius „ Areopagita, sicut ipse testatur in iis, quæ de Beato Hiero„ theo, qui ipse quoque tunc aderat, scripsit ad prædictum „ Timotheum, sic dicens: Nam etiam apud ipsos a Deo af„ flatos sacrorum Antistites, quando nos quoque, ut nosti, „ & multi ex Sanctis nostris fratribus, ad contuendum Cor„ pus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit, con„ venissemus: [aderat autem & Domini frater Jacobus, & „ Petrus, suprema & antiquissima Theologorum summitas:] „ & viso sacro Corpore, placuit omnibus, prout quisque po„ terat, Hymnis celebrare infinitam bonitatem Divinæ Po„ tentiæ „. Hæc Damascenus ex (*a*) Areopagita. Rectius, ut videtur, Menologium Basilianum de Sancto Hierotheo, quem Episcopum quidem vocat, sed de Athenis silet. „ Hie„ rotheus Magnus Pontifex fuit unus ex novem virorum nu„ mero, qui Athenis Senatores erant, Magister Dionysii „ Areopagitæ: Christi autem fide a Sanctis Apostolis imbutus, „ eosque secutus, unacum ipsis res divinas celebrabat, Exo„ dios Hymnos componens, & concinens in Dormitione San„ ctæ & Gloriosissimæ Dominæ nostræ Deiparæ semperque Vir„ ginis Mariæ. Quumque in Apostolorum oculis honestissime „ versaretur, eo sapientiæ & cognitionis Divinæ processit, ut „ Sanctum Dionysium, quem Magnus Apostolus Paulus ad „ Christi fidem converterat, virtute, adjunctaque opera Spi„ ritus Sanctissimi, de cælestibus virtutibus atque Angelicis „ ordinibus, deque universo cælesti Orbe docuerit. Scripsit „ etiam plures alios libros, in quibus de magnis mysteriis dis„ seruit. Quumque totum vitæ suæ tempus in pietate, & vir„ tute consumsisset, multumque Deo serviisset, multaque „ idcirco dona promeruisset, in pace requievit „. In Menologio Græco Hierotheus perhibetur S. Dionysium ad Christianam fidem adduxisse, quod Actibus Apostolorum repugnat,

 ubi

a De Hierotheo, quem Græci Latinique, tamquam a S. Dionysio Areopagita diversum colunt; audacter, ut puto, Falconius sic scribit ad 4. Octob. „ Ita ex „ epistolis illis (*S. Dionysii*) natus sit, & invectus hic Sanctus; vera & antiqua hi„ storia refragante. Proinde putem, *Hierotheum* non alium esse, ac Epitheton ejus„ dem *S. Dionysii Areopagitæ*; ut qui fuerit *Deo Sacer*: multo minus primus, aut „ secundus Episcopus Athenarum.

ubi S. Paulo Apostolo tribuitur Dionysii ad Christum conversio. In Basiliano vero, non in fide Christi, sed in Areopago dicitur Hierotheus Magister Dionysii. Item in Menolog. Græco Hierotheus Athenarum Episcopus ordinatus a Paulo: at in Basiliano de Atheniensi ejus Episcopatu nulla fit mentio: & jure quidem meritoque: alioquin duo simul Athenarum Episcopi fuissent, Dionysius, & Hierotheus. Non est hic omittendum, circumferri apud Syros duo Hierothei hujus opuscula: alterum, ut putant, genuinum, quod Commentariis illustravit Gregorius Barhebræus Abulpharagius, de quo vide Tom. 2. Biblioth. nostræ Orient. pag. 269. & 272. Alterum supposititium, quod sub nomine ejus composuisse fertur Stephanus Barsudaili Edessenus, uti diximus Tom. citat. pagin. 120. & 302.

V.

Martyr Charitina.

Tabulæ Papebrochianæ: *Charitina.* Papebrochius: „ Charitina Virgo Martyr, sub Diocletiano passa, etiam hodierno Romano inscribitur; & Acta, quæ Latine extant, Græce quoque habemus „. Agunt de ea Græci in utroque Menologio. Codices Vaticani Ruthenici omittunt. Possevinus perperam de more: *S. Martyris Charitoni*, virum pro femina obtrudens. Extitit quidem S. Martyr *Chariton* cum Zenone & Basilissa Nicomediæ passus, de quo Græci & Latini die 3. Septemb. Extitit etiam Chariton alius, de quo Baronius ad hanc diem 5. Octob. in notis. „ Alia est Charitina, quæ Romæ cum Justino, Charitone, & Sociis passa est, quorum Acta extant apud Surium Tom. 3. 12. Junii „. Verum Græci, & Moschi non Charitonem hac die commemorant, sed *Charitinam*. Vide & Inscriptionem, & martyrium, & Imaginem ejus in Tabulis Capponianis, & Papebrochianis, & in Menologio Basiliano. Charitinæ martyrium Græce MSS. incipit, *ἐκράτει ποτὲ τὰ τῆς ἀσεβείας*, Lambec. tom. 8. pag. 223. 248. 257. 262. Bibl. Coislin. pag. 210. Latine apud Lipom. & Sur. ad 5. Octob.

VI.

Apostolus Thomas.

Agunt de eodem hac die Fasti Papebrochiani, Codices Ru-

Ruthenici Vaticani, noster Slavicus & Menologium Græcorum utrumque, & Possevinus in suo Calendario Ruthenico. Eum imberbem exhibet Pictura tam in Menologio Basiliano, quam in Tabulis Capponianis & Papebrochianis. Apud Latinos colitur die 21. Decembris. Thomæ Apostoli martyrium & prædicatio breviter enarratur in Menologio Basiliano Par. 1. pag. 97. „ Obtigit Sancto Thomæ Indorum regio, ubi Chri- „ stum prædicavit. Quum autem ad Christi fidem uxorem „ Regis Indorum ejusque filiam convertisset, defertur ad „ Regem, qui Thomam in carcerem cum aliis vinctis de- „ trudi jussit. Corruptis autem pecunia militibus, Regis fi- „ lius cum matre, atque aliis non paucis, carcerem ingressi, „ ab eo baptizati sunt; & post idoneum tempus ordinati fue- „ re ex his Presbyteri, & Diaconi, qui in nomine Christi „ docebant. Quod ubi Rex intellexit, iratus, eductum e car- „ cere Apostolum, & militibus traditum, jussit occidi. Ab- „ ductum itaque Sanctum in montem, lancea transverberan- „ tes, interfecerunt „. Ex hoc Menologio Græci sua hause- runt in Synaxario, ubi sic legitur: „ Hic Medis, & Parthis, „ Persis, & Indis quum verbum Dei prædicasset, in carce- „ rem detruditur (a) a Smidæo Rege, eo quod per ipsum „ credidissent, & ab ipso baptizati fuissent Azanes ejus filius, „ & Tertia conjux, & Migdonia & Narca. Quare militibus „ quinque traditus, ab his in montem abductus, lancea trans- „ verberatur „. Addit de more Synaxarii auctor fabulosa nomina *Smidæi* Regis, *Azanis* filii, *Tertiæ* uxoris, *Migdoniæ & Narcæ*: & numerum *quinque* militum. Sed neque his contentus, subjungit ἐκ τῶν αὐτοῦ περιόδων, bene longam narrationem. Atqui, ut advertit Baronius, de Actis S. Thomæ, „ Gelasius meminit, & rejicit inter Apocrypha. Eadem ha- „ bet Augustinus lib. contra Adimant. Manich. cap. 17. contra „ Faust. lib. 22. cap. 9. & de Serm. Domini in monte lib. 1. „ cap. 20. extant ea inter Passiones Apostolorum ex Anony- „ mo. Reliqua vero scripta ejus nomine, ut Circuitus, Actus, „ Evangelium, & Apocalypsis Thomæ dicta, damnata pror- „ sus

a Observat Falconius ad hanc diem de S. Thomæ Apostoli passione: „ Valvæ „ Æneæ Basilicæ S. Pauli extra Romam, fusæ Constantinopoli anno Chr. 1070. ære „ Hidebrandi (qui postea fuit Greg. PP. VII.) eandem referunt in Anaglyphicis Passionem.

„ ſus atque rejecta reperiuntur, in primis ab Athanaſio in Sy„ nopſi, Epiphan. in Panario hæreſ. 47. Innocentio Papa epiſt. „ ad Exuperium Epiſcopum Tholoſanum, Cyrillo in Cate„ cheſi 6. ac denique a Gelaſio Rom. Pont. in cap. *Sancta Ro*„ *mana*, *diſt.* 15. Thomam enim quemdam Manetis diſcipu„ lum earundem ſcriptionum auctorem fuiſſe, ſcribit idem „ Cyrillus in eadem Catech. 6. prope finem, & Epiphan. „ hæreſ. 66.

Acta S. Thomæ auctore incerto, incipiunt: *ἐγένετο μετὰ τὸ ἀναςῆναι τὸν κύριον ἡμῶν ἰησῦν Χριςὸν ἐκ νεκρῶν*: auctore vero Metaphraſte, *πάλαι μὲν τὰς κατὰ γῆν διατριβὰς ἀκέοντες οἱ ἀπόςολοι*. Latine apud Sur. tom. 6. ad XXI. Dec.

VII.

MARTYRES SERGIUS ET BACCHUS.

De his Græci in utroque Menologio, codices Vaticani Ruthenici, noſter Slavicus, Faſti Papebrochiani, & Latini hac die. Poſſevinus ſolius Sergii meminit, ſic: *S. Martyris Sergii*. Pictura repræſentat Sergium barbatum provectæ ætatis, Bacchum juvenem imberbem. Sed in Menologio Baſiliano Par. 1. pag. 99. Uterque juvenis pingitur. Acta Græce, *Μαξιμιανῦ Βασιλεύοντος τῦ τυράννυ*: apud Lamb. tom. 8. pag. 248. 258. 262. Bibl. coislin. pag. 210. Latine apud Lipom. & Sur. ad 7. Octob.

VIII.

SANCTA PELAGIA.

Tam in Tabulis noſtris Capponianis, quam in Papebrochianis, hæc Pelagia habitu monaſtico repræſentatur. Hinc Papebrochius: *S. Pelagia Pœnitens*. In Menologio Græcorum tres Pelagiæ hac die commemorantur: Prima, Antiochena, ſub Numeriano Imperatore, a Nonno Epiſcopo, ex meretrice, baptizata: quæ relictis omnibus, Hieroſolymam profecta, in monte Oliveti vitam monaſticam egit, ibique ad Deum migravit. Altera, item Antiochena, ſed virgo ſummo loco nata, quam quum Præfectus ob Chriſti fidem a militibus comprehendi juſsiſſet, illa Deum precata, ne in manus militum traderetur, honeſte ſe componens, ſpiritum reddidit: Hanc laudavit S. Jo. Chryſoſtomus in ſerm. qui incipit, *εὐλογητὸς ὁ θεὸς, καὶ γυναῖκες θανάτυ λοιπὸν καταπαίζυσι*, Latine apud Sur. ad 9. Junii: ubi etiam alter Chryſoſtomi ſermo

„ majo-

„ Majore quidem theatro Sancta Virgo „ . Tom. 2. edit. Montfaucon. pag. 591. & prior Græc. Lat. pag. 585. Martyrium Græce, *γυναικαίαν ἀρετὴν τῆς τῶν ἀνδρῶν*, Græce Lamb. tom 8: pag.223. 249. 258. 262. Latine apud Sur. tom. 5. ad 8. Octob. Tertia, Tarsensis, martyr sub Diocletiano, a Lino Episcopo baptizata, jussu ejusdem Diocletiani, bovi æneo subjecto igne inclusa & cremata propter Christi fidem, tum etiam quia, quum filio ipsius Diocletiani desponsa esset, is audiens illam ad christianorum sacra transiisse, dolore perculsus, sibi manum intulerat. Tarsensis Pelagiæ vita auctore incerto *τοῦ φρικτοῦ διωγμοῦ ἀνανεωθέντος παρὰ τοῦ Διοκλητιανοῦ*, Græce e MSS. Palat. in Actis Sanctor. ad 4. Maij Tom. 1. pag. 747. & Latine pag. 747. Tres item Pelagiæ in Menologio Basiliano coluntur, sed non omnes una eademque die. Nam die 7. Octob. narratur certamen S. Pelagiæ martyris Tarsensis, ubi pro Lino, legitur *Clini* Episcopi nomen. Die autem 8. ejusdem mensis, primo occurrit Pelagia Virgo Antiochena, quæ *Numeriano imperante*, quum Præfecti jussu a militibus esset comprehendenda, spiritum Deo tradidit: secundo *Pelagia quondam* meretrix, a Nonno Episcopo ad Christum conversa, Hierosolymam profecta, & monastico habitu induta. Itaque errat Synaxarii Græci auctor, dum hanc Pelagiam Pœnitentem sub Numeriano Imperatore asserit a Nonno Episcopo ad Christi fidem fuisse adductam. Quod enim de Numeriano dicitur, id Antiochenæ Virgini Pelagiæ convenit. Allucinatur quoque cl. Fabricius, dum Tom. 9. Bibl. Græc. pag. 132. de Pelagia Virgine Antiochena sub Diocletiano passa loquens, subjungit. „ Jacobum Diaco-
„ num in vita MSS. S. Pelagiæ laudat Meursius in Glossario
„ Græco barbaro. Ex illo Latine quædam affert Surius ad 8.
„ Octob. Diaconum Heliopoleos appellans „ . Nam Jacobus Diaconus non martyris Pelagiæ, sed Pœnitentis vitam scripsit. Tabulæ nostræ unacum Papebrochianis, Pelagiam Pœnitentem (*a*) designant, non Tarsensem, non virginem Antiochenam. Hinc monastico habitu depicta est, non quidem virili, uti asserit Synaxarii Græci auctor, sed femineo: & in Menologio Basiliano pag. 102. eadem bis repræsentatur; in latere

a Falconius de Antiochena Pelagia agi hac die contendit. Sed fallitur. Non enim *martyr* dicitur; sed habitu monastico induta repræsentatur.

tere quidem dextero, habitu meretricio, audiens Nonnum Episcopum sedentem ac docentem; in sinistro vero, habitu Monialium stans, & orans ante Templum Hierosolymitanum. Vitam ejus ex Basiliano fonte accipe. „ Sanctissimus „ Antiochiæ magnæ Patriarcha coëgit aliquando Subditorum „ sibi Episcoporum Concilium ob quoddam Ecclesiasticum negotium. In eorum numero fuit & Nonnus Sanctus Episcopus, qui quum populum doceret, & Pelagia meretrix cum „ toto suo ornatu præteriret, lapidibus pretiosis, margaritis, „ atque auro onusta, luxuriosoque totius corporis cultu: adhæc „ tanta unguentorum copia persusa, ut aër odoris fragrantia „ inficeretur; cæteris Episcopis oculos ab ea avertentibus, „ ipse solus intentos in eam oculos defixit: mox in lacrymas „ erupit, inquiens: Hanc etiam Deus, qua est in homines „ clementia, suscipiet. Quare quum Nonnus docere, uti instituerat, pergeret, audivit & Pelagia una cum populo, „ sicque compuncta est, ut & baptizaretur, & omnes divitias „ suas in pauperes erogaret. Deinde Hierosolyma profecta, „ *ἡ γενομένη μοναχὴ*, & monasticum institutum amplexa, tantam apud Deum fiduciam nacta est, ut & multa miracula „ fecerit. Atque ita migravit ad Dominum „. Vides, Pelagiam *γενομένην μοναχὴν*, *factam monacham*, non *monachum*. Nicephorus lib. 14. cap. 30. narrat Nonnum Edessenæ „ Ecclesiæ Episcopum primariam in urbe Antiochena luxu „ perditam Mænadem, sponsam purissimam Deo repræsentasse, & pro Margarita Pelagiam eam appellasse „. Theophanes ad annum 25. Theodosii junioris: „ His temporibus, inquit, Nonnus Deo plenus Pontifex Edessenorum pascebat „ Ecclesiam, qui mimarum Antiochensium insignissimam Deo „ consecravit, & Margaritus (idest, Margaritæ) scorti vice, Pelagiam Sanctam Pœnitentem Christo exhbuit „. Vide quæ de Nonno Edesseno & Pelagia observavi Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 257. Eandem Pelagiam commemorat Martyrologium Romanum ad hanc diem: ubi Baronius: „ Errant, inquit, qui eam referunt ad tempora Numeriani, dicuntque „ hanc ad Christum conversam a Nonno, qui & Hippolytus „ dictus habetur, Episcopo Portuensi: hæc enim superius re„ fellimus: Nonnus enim, qui eam convertit ad Christum,
„ fuit

„ fuit Episcopus Edessenus substitutus in locum Ibæ, ut scri-
„ bit Liberatus Diaconus in Breviario cap. 12. Quumque ille
„ sedem recepisset in concilio Chalcedonensi, Nonnus reman-
„ sit Antiochiæ, commendatus a Synodo Maximiano Epi-
„ scopo Antiocheno, ut constat ex eodem concilio Act. 10.
Codex Vaticanus Ruthenicus 1. *Pelagiam* habet; secundus omittit. Marmor Neapolitanum ad diem v. Octob. *Nat. S. Pelagia*; lege, Pelagiæ. Joannes Phocas de Locis sanctis, in Symmictis Allatii pag. 25. de Monte Oliveto loquens: „ In
„ capite montis locus est, in quo post resurrectionem frequen-
„ ter Salvator discipulos est allocutus, postremoque admiran-
„ dum Ascensionis mysterium perfecit. Prope eum spelunca
„ infra spectatur, in qua Sancta Pelagia certamina, quibus
„ se exercebat, absolvit, & sanctum illius corpus in urna sa-
„ xea quiescit.

IX.

APOSTOLUS JACOBUS.
SANCTUS ANDRONICUS.

Fasti Papebrochiani: *Jacobus*: *Andronicus*. Codex Vaticanus Ruthenicus I. *Jacobus Apostolus*. Ita & Possevinus: *S. Apostoli Jacobi*; omisso Andronico. Vaticanus Secundus de utroque silet. item noster Slavicus. Porro Jacobus iste Apostolus, Alphæi filius, colitur in utroque Græcorum Menologio hac die; idemque a Græcis existimatur Matthæi Evangelistæ frater, diversus a Jacobo fratre Domini Hierosolymorum Episcopo, & a Jacobo Zebedæi, fratre Joannis Evangelistæ. A Latinis vero unus idemque putatur cum fratre Domini, coliturque una cum S. Philippo Kalendis Maji: ubi Baronius in notis: „ Illam vero quorundam sententiam de tribus Jacobis,
„ qua Jacobus Alphæi a Jacobo Justo distinguitur, in Annali-
„ bus Ecclesiasticis pluribus confutavimus „. Verum argumenta, quibus Alphæi filius ab Jacobo Hierosolymitano distinguendus esse demonstratur, vide apud Henschenium ad diem 1. Maji pag. 24. & apud cl. Mazocchium commentar. in vetus marmoreum S. Neapolitanæ Ecclesiæ Kalendarium Tom. 2. ad diem 1. Maji pag. 281.

De Andronico, ejusque conjuge Athanasia, agunt Græci in Menologio, & Latini in Martyrologio hac die. At Ba-

ſilianum Menologium, de utroque ad diem 2. Martii.

In Tabulis Capponianis, Jacobus pingitur habitu Apoſtolico, Andronicus monaſtico. Faſti Papebrochiani utrumque repræſentant habitu Apoſtolico, & barbatum. Papebrochius: „ Andronicus monachus. Idem qui ſupra VI. Maji cum Athanaſia conjuge. Erraverat Sculptor Moſcus, & Jacobo monaſticum, Andronico Apoſtolicum habitum dederat: quod juſſus corrigens pictor noſter, [illegible]em veſtis genus utrique dedit, neque id jam vacat mutare, utpote ſerius animadverſum „. Andronici & conjugis Athanaſiæ Acta, ἐν ταῖς ἡμέραις Θεοδοσίου τοῦ μεγάλου, MSS. Græce apud Lambec. tom. 8. pag. 93. & T. 4. p. 184. & 268. Latine apud Sur. ad 27. Febr.

X.

EULAMPIUS.

EULAMPIA.

Græci in utroque Menologio: Latini in Martyrol. nec non Faſti Papebrochiani. Poſſevinus perperam: *S. Martyris Eulatipii*: pro, Eulampii, omiſſa Eulampia ſorore. Vaticani Ruthenici Codices unacum noſtro Slavico de utroque ſilent. Marmor Neapolitanum ad diem x. *P. S. Eulampii & Eulampia*, ideſt, Paſſio S. Eulampii & Eulampiæ. Martyrologium Romanum de iiſdem hac die. Horum Acta auctore Metaphraſte Græce Ἄρτι τῆς θεογνωσίας, Lambec. tom. 8. pag. 224. 249. 258. 262. Latine apud Lipom. tom. 5. & Surium ad x. Octob. Alia auctore incerto, Græce, ἔτους ἑβδόμου τῆς βασιλείας Μαξιμιανοῦ ἡγεμονεύοντος Μαξίμου.

XI.

PHILIPPUS.

THEODORUS GRAPTUS.

Codex Vaticanus Ruthenicus 1. *Philippus Diaconus*, tantum. Codex ſecundus: *Philippus Diaconus. Theophanes Graptus Epiſcopus Nicææ*. Tabulæ Papebrochianæ: *Philippus. Theophanes. Septima Synodus univerſalis Nicææ*. Poſſevinus: *S. Martyris Philippi* dumtaxat. Codex noſter Slavicus, *Sanctorum Patrum noſtrorum* Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, Nectarii, Arſacii, Attici, Siſinii. Et SS. Patrum noſtrorum 367. ſeptimæ Synodi, quæ habita fuit Nicææ ſecundo.

De

De Philippo, uno ex septem Diaconis, Græci & Rutheni hac die; Latini die 6. Junii. Tum in Capponianis, tum in Papebrochianis Tabulis, Philippus habitu Diaconali depingitur. In utroque tamen Menologio, Thrallis in Asia Episcopus postea fuisse dicitur; & in Basiliano quidem pag. 111. idem Philippus bis repræsentatur: In latere dextero, adhuc Diaconus in curru cum Candace Eunucho, Reginæ Æthiopum præfecto: In sinistro, habitu Pontificali indutus, in Templo ad altare orans.

De Theodoro vero Grapto, Monacho, & Hymnographo, quem Tabulæ nostræ hac die exhibent habitu Monastico indutum, agit Menologium Basilianum die 28. Decembris; Græci autem in suo Menologio, & Latini in Martyrologio ad diem proxime antecedentem, idest, 27. Decembris: ubi simul cum fratre Theophane a Græcis & Latinis commemoratur. *Grapti* autem ambo dicuntur, idest, literis fronti inustis notati sub Iconomachis. Theodori Grapti, & Theophanis ejus fratris Acta Græce, *τῶν ὑπὲρ Χριστοῦ τὴν ἄθλησιν ἑλομένων*, Latine apud Lipom. & Sur. ad 26. Dec.

Fasti Papebrochiani pro Theodoro habent hac die *Theophanem* ipsius fratrem. Ita & Codex secundus Vaticanus Ruthenicus. Depingitur autem habitu Monastico, stola sub eodem habitu ex humeris ad talos pendente, tamquam Monachus & Presbyter, quamquam is, reddita Ecclesiæ pace, ad Episcopatum Nicææ promotus fuerit. Hinc Papebrochius: „ Cæterum (*inquit*) melius fuisset hic Theophanes, quamvis „ Monachus etiam fuerit, expressus in habitu Episcopali, ut„ pote Metropolita Nicænus „. Menologium Græcum res gestas Theophanis enarrat in Synaxario ad hanc diem XI. Octob. In Menologio Græcorum agitur hac die de Patriarchis Constantinopoleos *Nectario*, *Arsacio*, & *Sisinio*. De *Attico* vero ad diem 8. Januarii; vide Acta Sanctorum Bolland. Tom. 1. pag. 473.

Papebrochiani Fasti exhibent hac eadem die septimam Synodum, Nicææ adversus Iconomachos celebratam, cujus memoria in Menologio quidem Basiliano colitur die 12. Octobris; in communi vero Græcorum, Dominica post diem undecimam ejusdem mensis. Tabulæ Papebrochianæ hanc Pi-

ćturam repræſentant. In latere ſiniſtro, Conſtantinus Imperator, & Irene Mater, coronati, & habitu Imperiali induti, ſedent in Throno, aliquot gradibus ſupra pavimentum elevato, adſtantibus ad ſiniſtram in angulo nonnullis Epiſcopis. In latere dextero, alii adſtant Epiſcopi, & unus præſertim Imaginem Chriſti ad Abgarum miſſam proferens, quam Taraſius Patriarcha, ad Imperatorem converſus, in teſtimonium cultus Imaginum adducit. Omnes tam Epiſcopi, quam Imperator & mater Irene, nimbum habent capiti circumductum. Eadem Synodus in Menologio Baſiliano aliter depicta eſt ad diem 12. Octobris, pag. 112. Crux gemina in medio poſita eſt ſuper elevatum pluteum. Ad ſiniſtram in Sede ornatiori ſedet Imperator paludatus & coronatus, pedibus tabulato inſiſtentibus; barbam habens rotundam, & oblongos capillos. Alii tres Antiſtites, habitu Pontificali cum Pallio a ſiniſtris Imperatoris ſedent in Sede paulo humiliori. Ad dexteram Crucis, tres alii ſimiliter Antiſtites. Omnes librum Evangeliorum pectori admotum tenent, & caput habent radiatum. Poſt hos hinc inde adſtat turba Cleri & populi, nudis capitibus, & nimbo carentibus. Sub pedibus jacet procumbens ad terram hæreticus Imaginum impugnator, volumen ſuum clauſum, digito commonſtrans. Erravit Pictor, dum Imperatorem barbatum depinxit: Conſtantinus enim, qui una cum Irene matre aderat, adhuc imberbis erat, & ſub matris tutela. Papebrochius de eadem Synodo Nicæna ſecunda in Tabulis Græco-Moſchis effigiatis: „ Exhibetur autem hic Imago Chriſti ad „ Abgarum miſſa, utpote quæ prima in teſtimonium irrefra„ gabile adducta eſt ad ſtabiliendum Sacrarum Imaginum cul„ tum. Cur autem nullius deinceps Synodi memoria fiat a „ Græcis, ex Poſſevino noſtro diſce, ad magnum Moſco„ viæ Ducem, in eandem deceptionem protractum, ſic ſcri„ bente. Quum Græci viderent ſine uno Paſtore viſibili.... „ ſeſe nulla unquam poſſe legitima concilia cogere.... Ro„ manæ autem Eccleſiæ cernerent auctoritatem ſuam in co„ gendis ac confirmandis Conciliis generalibus integram re„ ſtare... propterea mendacio uſi, veritatem tegere vo„ luerunt, quaſi ſeptima Synodus aliorum Conciliorum dein„ ceps cogendorum ſuſtulerit, aut tollere potuerit faculta„ tem.

„ tem. Ubi nam Christus hoc dixit? ecquis alligavit verbum „ Dei? Quis Spiritum Sanctum obmutescere fecit, quin „ emergentibus erroribus & hæresibus, Ecclesiæ, usque ad „ extremum mundi diem, Christianæ concordiæ consuleret, „ ac per Concilia generalia generalibus morbis remedium „ adhiberet? Ita ille „. Et recte quidem, de recentioribus Schismaticis loquendo: nam Græci Catholici, etiam post octavam Synodum, quartam Constantinopolitanam, pro S. Ignatio adversus Photium coactam, perrexerunt septem priorum Synodorum commemorationem facere, octava prætermissa, non quod hanc respuerent, sed quia nihil in ipsa definitum fuit, quod ad fidem orthodoxam spectaret. Ita in Menologio Basiliano, quod circa annum 980. scriptum depictumque est, quum Romanam communionem Græci colerent, de octava Synodo ne verbum quidem, quamvis centum & amplius anni jam præteriissent, ex quo hæc Synodus Constantinopoli celebrata fuerat. Sic etiam quinquaginta fere anni a coacta Quinta Synodo effluxerant, quum S. Gregorius magnus Papa, quatuor prioribus Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi, tamquam quatuor Evangeliis, honorem haberi voluit; de ea vero Synodo œcumenica, quæ anno Chr. 553. celebrata fuerat, ne verbum quidem facit; quantumvis eandem & ipse pro œcumenica haberet.

XII.

PROBUS.
TARACHUS.
ANDRONICUS.
SANCTUS COSMAS.

Tabulæ Græco-Moschæ Papebrochianæ: *Probus*, *Tarachus*, *Andronicus*, dumtaxat. Ita & Codex Vaticanus Ruthenicus primus. Secundus cum nostro Slavico vacat. Possevinus mirabili contractione, *Protonarchii* nomen unicum, pro tribus Martyribus habet, sic: *S. Mart. Protonarchii*. De tribus hisce Martyribus, utrumque Græcum Menologium hac die: Romanum vero Martyrologium ad diem proxime antecedentem. Acta descripta, Græce *ἐν ὑπατείᾳ διοκλητιανῦ σεβασῦ τὸ πρῶτον*, cum veteri Latina versione Rosweidus primum

An-

Antuerpiæ 1607. ediderat; vulgavit postea Emericus Bigotius ad calcem Palladii de Vita Chrysostomi, Paris. 1680. pagin. 245., & post eum Ruinartus pag. 423. A Simeone Metaphraste concinnata, Græce, Διοκλητιανὸς ὁ Ῥωμαίων αὐτοκράτωρ ἀναξίως, apud Lambec. tom. 8. pag. 249. 258. 262. Latine apud Lipom. & Sur. ad 12. Octob.

Cosmas, quamquam Majumæ fuerit Episcopus, a Pictore in nostris Tabulis repræsentatur habitu monastico: Is autem fuit S. Joanni Damasceno Synchronus, & a Græcis inter sacros Hymnographos adnumeratus. Agunt de eo Græci in Menologio ad diem XIV. Octobris. Silent autem Latini, & Menologium Basilianum. Vita auctore incerto τιμᾶν ἐστὶν ἄξιον τὰς ἐφευρηκότας τὰ κάλλιστα, apud Fabric. Tom. 9. Bibl. Græc. pag. 68.

XIII.

CARPUS.
PAPYLUS.

De iisdem Martyribus Tabulæ Papebrochianæ, & Græci in utroque Menologio hac die. Latini vero die 13. Aprilis. Possevinus perperam: *SS. Martyrum Carpi & Palilii*. Ita in Apparatu. At Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moschis: *Possevino Pabiliæ nomen suus Interpres obtrusit*: imo id nominis suus Typographus Papebrochio obtrusit. Vaticani Codices Ruthenici vacant hac die. Pictura Carpum refert habitu Episcopali, Papylum Diaconali: Fuit enim hic Diaconus; Carpus vero Tyatiræ Episcopus. In Menologiis, & in nostro Slavico adjuncti sunt *Agathodorus* Sanctorum servus, & *Agathonica* Papyli soror: & passi dicuntur sub Decio Imperatore. At in Martyrol. Rom. ad 13. April. „ In persecutione Marci „ Antonini Veri, & Lucii Aurelii Commodi„. Acta a Metaphraste descripta recitant Lipom. tom. 2. & Surius ad 13. Sept. Acta Græce, Μεμνῆσθαι τῶν ὑπὲρ Χριστοῦ παθόντων, Latine & Græce in Actis Sanctorum Tom. 2. Apr. 13. pag. 120. & 962. Auctore incerto alia incipiunt ἐπὶ Βασιλείας Δεκίου Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 130. Marmor Neapolitanum solius Carpi ad hanc diem 13. Octobris meminit. Scribit de his Eusebius histor. lib. 4. cap. 14., & Nicephorus lib. 3. cap. 36.

Fasti

Fasti Papebrochiani addunt hac eadem die: *Paraskebia*, Parasceuia: quæ Virginis habitu depicta est, Crucem geminam dextra tenens. Papebrochius longam de ea scribit adnotationem, quam referre juvat, ut magis magisque res Ruthenicæ illustrentur. Hæc autem sunt ejus verba. „ Parasceuia Virgo
„ Martyr. Hæc est illa, quam Græci XXVI. Julii colunt, quamque Latino nomine *Veneram* appellari superius (*a*) dixi.
„ Addo hic, respondere nomini utrique vulgare apud Russos
„ nomen *Piatanka*, idest, *Sexta post Dominicam*, videlicet
„ *Feria*: Sic enim Ruthenici Ferias hebdomadæ numerant ac
„ nominant. Hac autem die videtur celebrari translatio corporis *Jassum*, urbem in finibus Walachiæ versus Moldaviam, ubi insigne Monasterium Basilianorum constructum
„ fuit, a quibus ipsum sacrum Corpus etiamnunc servatur,
„ & hac die solemni populorum, ipsorumque Walachiæ Principum accessu colitur. Ibi illud se vidisse, speciosissimis indutum vestibus, & adhuc integrum, anno 1644., quando
„ pro Rege Poloniæ Legatus ibat ad Magnum Cham Tartarorum, asserit nobis Joannes Znini, nunc Sacerdos, & procul a patria vitam tantum non solitariam in hac nostræ Antuerpiensis urbis frequentia degens. Noveram, istic aut
„ esse, aut fuisse aliquam nostræ Societatis residentiam. Itaque in spem adductus plura discendi de historia vitæ, passionis, translationis atque miraculorum, quæ istic frequentia fieri dicebantur, scripsi in Lithuaniam, indeque a R. P.
„ Adamo Warelkowicz, in eadem Missione aliquot annis versato, responsum accepi, vera esse quæ jam dixi omnia: Constantinopoli advectam credi; servari in tumba, panno rubro obducta, corpus procerum, (cujus facies colore fusca,
„ collumque & pedes ac manus videantur) pretiosis indumentis more gentis indutum, annulisque pretiosis & margaritis, ac vario opere phrygionico ornatum: miracula multa
„ jactari, nulla in particulari referri; festum agi mense Octobri [diei non meminerat] & tunc lingua Græca Vitam legi.
„ De vita interrogatus, qui cum suo Principe & Proceribus
„ Walachis festivitati interfuerat, D. Joannes Baptista Antonius Tinones, Medicus Venetus, Vir prudens ac bene Ca-
„ tho-

a Ad diem 26. Julii metrici Græcorum.

„ tholicus, dixit, multa se audivisse ibi talia quæ Sanctorum
„ gesta & vitam dedeceant, multa etiam inconvenientia &
„ absurda animadvertisse: nullos denique è nostris ibi amplius
„ esse, propterea quod locus pene desolatus per pestilentiam,
„ Turcico insuper jugo prematur: quo fit, ut minor
„ spes sit inde accipiendi vitæ istius qualiscumque exemplar,
„ uti optabam. Optabam id autem, uti cætera ejus
„ generis alia, ad certius de re tota judicandum, deque iis,
„ quæ Græce & Latine scripta habere nos dixi fabulositatis multæ
„ plena. Quare etiamnunc pergo ista Walachorum scripta
„ optare. Cæterum quia rursum infra die XXVIII. recurrit
„ *Parasceviæ* figura ac nomen, dubium manet, utrum tali
„ die, an hac XIII., colatur Jassensium Patrona jam dicta „.
Hæc Papebrochius, Parasceviam istam Martyrem vocans, cum Parascevia quæ colitur 26. Julii, & 28. Octobris, eamdem faciens, & dubitans tantummodo, utrum die 13., an 28. Octobris, hæc Jassensium Patrona colatur. De Parascevia autem, quam Græci 26. Julii venerantur, hic versus Græcus legitur.

Τὴν παρασκεύην ἔκτανεν Εἰκάδι χαλκὸς ἐν ἕκτῃ.
Ense Parasceven vigesima sexta trucidat.

Subjungit Papebrochius hanc notam. „ Colitur eadem
„ in utraque Sicilia sub nomine *Veneræ* ac *Venerandæ* [nam Feria
„ VI., ut Græcis *Parasceve*, sic Latinis dies *Veneris* nuncupatur]
„ sed quæ de ejus vita Græce Latineque habentur,
„ prorsus sunt fabulosa, sic, ut difficillimum futurum sit, aliquid
„ solidæ verosimilitudinis ex tanta caligine prudenter ratiocinando
„ elicere „. En igitur Parascevia Ruthenorum, quæ die 13. Octobris colitur, quæque juxta Papebrochium eadem est ac illa, quam Græci 26. Julii venerantur, Sancta quidem Virgo est & Martyr; sed ejus Acta quæ Græce & Latine habentur, prorsus sunt fabulosa.

De Parascevia vero, quæ in Ephemeridibus Græco-Moschis ad 28. Octobris ponitur, idem Papebrochius hæc habet.
„ Parascevia. Sit ne diversa ab Jassensium Patrona, hic ad
„ diem XIII. laudata; &, si diversa, utro die potius attribuenda
„ sit famosior, non scio. Kojalowicz inter Lithuaniæ Patronos
„ nominat *S. Praxedem*, vulgo *Poroskaviam*, Græce
„ *Para-*

„ *Parasceven*, Polocensium Ducis filiam, quæ fundato juxta
„ Polociam S. Salvatoris Monasterio, Romam profecta, post
„ septem peregrinationis sacræ annos ibidem XII. Novembris
„ obiit anno MCCXXXIX., & a Gregorio X. post rigidum miracu-
„ lorum examen, anno MCCLXXIII. Sanctorum Catalogo est
„ adscripta. Quum ergo sub eodem Metropolita olim Li-
„ thuani ac Russi fuerint, quid prohibet opinari Lithuanam
„ hanc, corpore in patriam relato, obtinuisse cultum alteru-
„ tro dierum, quem *Jassensis Parascevia* vacuum relinquit.
„ Interim optandum est, ut plena vitæ & examinis pro Ca-
„ nonizatione instituti Acta alicunde ad nos perveniant.

Verum ex Ruthenorum libris duo tamquam certa statuenda sunt. Primum Parasceven & Praxedem apud illos pro una eademque re haberi. Alterum, Parasceven, quæ colitur die 13. Octobris, aliam esse ab illa, cujus commemoratio fit die 28. ejusdem mensis, & ab alia, quam Græci venerantur die 26. Julii. Testem advoco Culcinium, qui in Specimine Par. 1. pag. 56. quatuor Parascevias distinguit in hæc verba. „ Qua-
„ tuor Sanctas Parascevias, seu Praxedes, colunt Rutheni.
„ Primam Siculam, alio nomine Veneram, Monialem, &
„ Martyrem, die 26. Julii, de qua videndus Oct. Cajetanus
„ in Vitis Sanctorum Siculorum Tom. 2. Secundam Terno-
„ viensem olim, hodie vero Jassensem Patronam, Monialem
„ tantum, & non Martyrem, die 14. præsentis mensis, de
„ qua jam (*a*) dixi. Tertiam Iconiensem, Virginem ac
„ Martyrem, natam videlicet, & passam martyrium sub Dio-
„ cletiano, in urbe Iconio, de qua præsenti die [28. *Octob.*]
„ adest in meo Anthologio Officium proprium cum Vesperis,
„ Canone, & Synaxario, quod brevitatis (*b*) gratia omitto.
„ Quartam demum Polocensium Ducis filiam, Monialem
„ Abbatissam, pariter die præsenti [28. *Octobris*] ut innue-
„ re videtur in Tabulis figuratis apud Papebrochium Imago,
„ quæ potius Polocensem Mitra Ducali insignitam, quam Ico-
„ niensem Parasceven, repræsentare dignoscitur. Porro bene
„ adducit laudatus Collector [*Papebrochius*] testem Kojal-

 „ lovicz,

a Supra, pag. 49. ad diem 14. Octobris.
b Hoc ipsum Synaxarium de S. Parascevia Iconiensi editum est postea a Culcinio in Appendice pag. 97.

„ lovicz, qui refert hanc Praxedem Euphrosynæ [de qua dictum die 23. Maji] sororem, numerari inter Patronos Lithuaniæ, eamque fuisse [unacum sorore] Fundatricem Monasterii S. Salvatoris, & ob incursionem Tartarorum, sacram suscepisse peregrinationem, qua intra septem annos absoluta, Romæ tandem sancte quievisse, die 12. Novembris 1239. Posthæc a Gregorio X. anno 1273. Sanctorum Catalogo adscriptam fuisse, præmisso rigido miraculorum examine. Utrum hujus Sanctæ Corpus maneat Romæ, vel in patriam relatum fuerit, non habeo notitiam. Quod scio, hoc refero: nempe quum fuerim Lector Philosophiæ in nostro Polocensi Cœnobio, observavi magnopere coli hujus Sanctæ memoriam, tam a Monialibus Instituti nostri Basiliani, quam ab integra Polocia cum toto suo sat amplo Palatinatu. Extat etiamnunc in Templo Cathedrali Polocensi Crux aurea eleganter elaborata, & variis reliquiis ornata, cum hac epigraphe: *Hanc Crucem ego famula Christi Parasceuia Templo S. Salvatoris in perpetuum donavi*„. Hæc Culcinius de quatuor Parasceviis. Ad Parasceviam autem, quæ in Tabulis Papebrochianis ad diem XIII. Octobris, in Anthologio autem Ruthenico ad XIV. ejusdem colitur, quod spectat, idem Culcinius pag. 49. hæc habet: „ Sancta nostra Mater Parasceuia, seu Praxedes, Sanctimonialis Ternoviensis, habet in meo Anthologio proprium Officium cum parvis & magnis Vesperis, cum Canone, & Synaxario, quod est tale. „ Hæc Sancta Parasceuia nata est in Serbia, in oppido Epivatum nuncupato, quod est prope urbem Callicratiam. Quum vero ejus parentes ad Deum migrassent, ipsa Angelicam vitam amplecti cupiens, relictis consanguineis, cognatis, ac amicis, omnibusque mundi pompis conculcatis, petiit Eremum, in qua solitariam vitam ducens, in corpore agens, incorporeos [quantum fas est homini] Angelos egregie imitabatur: nam jejuniis, vigiliisque corpusculum mortificabat, herbis tantummodo vires restaurabat, quum tamen & hac esca valde modice, idque ad vesperam, adhibito potu aquæ uteretur. Cibus enim ejus potusque erant lacrymæ, assiduæque orationes. Quum vero rigidum gelu frigusque eam molestaret, forti animo hanc ipsa molestiam

„ tole-

„ tolerabat; & suspiciens in Deum, qui solus potest infirmos „ corroborare, perseverantiam in arduo vitæ instituto ab eo „ humili corde implorabat. Sic illustribus ornata virtutibus, „ quum haberet animam ab illecebris mundanis mundissimam, „ fruebatur dulci cum Deo conversatione. Præscia interea „ sui obitus, relinquens Eremum, petiit Constantinopolim, „ ubi visitatis sacris Templis, redditisque Deo suis votis, re- „ gressa est in patriam Callicratiam: & paulo post infirmitate „ extrema correpta, tradidit beatam animam in manus Dei „ viventis, a quo consecuta est immarcescibilem Coronam. „ Porro & sacra ejus Lipsana Deus miraculis magnificavit: „ nam quicumque Energumeni, variisque morbis detenti ad „ ejus loculum accedebant, omnes liberationum curatio- „ numque gratias consequebantur. Hine post longum tem- „ poris spatium translatum est solemniter sacrum Thauma- „ turgæ Monialis corpus, Callicratia seu Epivato sua patria, „ ad celebrem Bulgariæ urbem Ternoviam, ibidemque ho- „ norificentissime collocatum in Regio Templo anno Mundi „ conditi 6701. a Nativitate (a) vero Domini 1175. Jacet „ incorruptum sacrum pignus usque in hodiernum diem, mul- „ tisque claret curationibus, quas recipiunt ii, qui cum fide „ ac devotione ad loculum accedunt. Hujus Sanctæ preci- „ bus Domine miserere nobis, Amen „. Hactenus meum „ Synaxarium: ex quo colligo hanc nostram Parasceviam vo- „ cari a Ruthenis, Bulgaris, Valachis, cæterisque Slavis, „ Ritu Græco utentibus, Ternoviensem ab urbe Ternovia, „ ubi ejus Corpus multo tempore miraculis claruit. Quum „ vero Bulgaria occupata fuisset a Turcis, tunc credimus fa- „ ctam Corporis translationem ex urbe Ternovia in Vala- „ chiam, ibidemque collocatum in urbe Jassensi. His stan- „ tibus, bene dicit Papebrochius, in laudata urbe Jassen- „ sium extare insigne Monasterium Basilianorum, ab iisque „ sacrum Corpus etiamnunc servari, & hac die, solemni po- „ pulorum, ipsorumque Valachiæ Principum accessu coli. „ Recte etiam testatur Joannes Znini Sacerdos, se vidisse

 „ spe-

a Aut mendum est in anno Mundi, aut in anno Christi. Nam an. Mundi 6701. respondet anno Christi 1193. non 1175. Annus vero Christi 1175. respondet anno Mundi 6693, non 6701.

„ speciosissimis Parasceviæ Corpus indutum vestibus,& adhuc „ integrum, annulis pretiosis ac margaritis, & vario opere „ phrygio ornatum „. Nescio, utrum auctor Synaxarii, an Culcinius ipse, annum *Mundi conditi* 6701. cum *anno a Nativitate Domini* 1175. composuerit. Quisquis tandem is fuerit, insigniter erravit: nam annus ille orbis conditi respondet anno Christi non 1175. sed 1193. juxta communem Græcorum Moschorumque supputandi rationem, qui Christum natum volunt anno Mundi 5508.

Iam vero, ut quidquid ad Sanctas Parasceevias pertinet, uno tenore dicamus; præter quatuor illas a Culcinio memoratas, est & quinta *Parasceve* Martyr, quæ unacum S. Photina & aliis colitur in Martyrol. Rom. ad 20. Martii, his verbis: „ Eodem die Sanctorum Photinæ Samaritanæ, Joseph & „ Victoris filiorum,itemque Sebastiani Ducis,Anatolii, Photii, „ Photidis, Parasceves, & Cyriacæ germanarum; qui omnes „ Christum confessi, Martyrium sunt assecuti „. Agunt de eadem cum Sociis Græci in Menologio hac die: At Basilianum Menologium ad eandem diem 20. Martii, illius nomen reticet; omittit etiam commemorationem alterius *Parasceves* Martyris, quæ in Menologio communi colitur die 26. Julii. Baronius in not. ad Martyrol. Rom. die 20. Martii, quo S. Parasceve unacum Photina Samaritana & Sociis colitur, addit hanc notam,quæ non ad septem mulieres Amisi in Paphlagonia passas pertinet. „ Septem mulierum. De his etiam Græci in „ Menolog. hac die: ibique earundem nomina recitantur, „ inter quas & Parasceve recensetur „. Hoc falsum de septem mulieribus Amisi: Sed verum de Photina & Sociis. Pergit idem. „ Agunt Græci de Parasceve seorsum itidem „ in Menologio ad VI. Kal. Augusti, passamque tradunt tem„ poribus Antonini Imp. Romanamque genere fuisse scribunt: „ quam diversam esse ab hac, de qua hic cum ceteris agitur, „ facile existimo „ Theodorus Balsamon in VI. Synodo Constantinop. can. 63. hęc ait: „ Nicolaus Muzalon Patriarcha, „ quum vitam Sanctæ Parasceves, quæ in quodam Callicratiæ „ vico colebatur, a quodam Vicario inepte & indocte ac San„ cta Angelica vivendi ratione indigne compositam invenisset, „ eam igni mandari jussit, & Diacono Basilico mandavit, Deo „ gra-

„ gratam & acceptam ejus vitam conscribere „. Hæc Theodorus: qui & de Metaphraste, quem constat in eo genere plurimum laboris insumpsisse, hæc ait: „ Magna itaque beato Metaphra-„ sti agenda est gratia, qui Martyricas pro veritate fossas non „ sine multis laboribus & sudoribus repurgavit, & exornavit, „ ad Dei laudem, & SS. Martyrum perennem gloriam „. Hæc ille. Subjungit idem Baronius ad diem 14. Novembris, ubi quam Græci Parasceven, Latini *Venerandam* vocant, his verbis: „ Item in Gallia, Sanctæ Venerandæ Virginis, quæ „ sub Antonino Imp. & Asclepiade Præside, Martyrii co-„ ronam accepit „: adnotationem hujusmodi: *Recenset ejus res gestas idem Petrus in Catalogo lib.* 10. *cap.* 61. & merito solius Petri testimonio utitur: nam antiquiora Martyrologia de ea silent. Bollandiani Patres *Parascevias*, seu *Veneras*, aut *Venerandas*, omnes recensent ad 26. & 28. Julii *inter Sanctos prætermissos & in alios dies rejectos*. Et primo quidem ad 26. Julii recensetur ab iis pag. 231. *S. Venera* Virgo *& Martyr Aletina* cum *S. Herine* passa sub Licinio, quæ notatur apud Ferrarium in utroque Catalogo. „ Vitam S. Herinæ, (in-„ quiunt) edidit Illustrissimus Paulus Regius, Episcopus „ Æquensium inter vitas Sanctorum Par. 1. a pag. 854. ubi & „ de S. Venera agitur: quæ & occurrit in Recognitione San-„ ctuarii Capuani, collectore Michaële Monacho edita p. 80. „ Si S. Veneram hanc diversam velis a Sancta Synonyma, „ una an pluribus, quæ & *Veneranda*, & *Parasceve* dicitur, „ consule, quæ obiter de illa *Venera* diximus occasione S. Ire-„ nes ad diem 5. Maji pag. 5. Sin vero ad illam aut illas spe-„ ctet, vide quæ hoc die XXVI. inter Prætermissos de S. Pa-„ rasceve, nec non de S. Venera Locrensi ibidem dicuntur „ XXVIII. Julii „. Secundo ibidem ab iisdem recensetur *Sancta Hosiomartyr Parasceve*: de qua hæc habent. „ San-„ ctæ Hosiomartyris Parasceves memoria hoc die (26. *Jul.*) „ notatur in Menæis magnis Græcorum excusis cum elogio, in „ quo *Antonio* (*Antonino*) Imperante ex vico quodam haud „ procul vetere Roma, Agathone & Politia Christianis pa-„ rentibus, iisque piis & præcepta Domini impigre sequenti-„ bus, nata refertur. Reliquæ autem historiæ summa ibidem „ exposita, eo redit. A sterilibus parentibus impetrata a „ Deo,

„ Deo fuit, ac nata *feria* VI., in baptiſmo *Paraſceve* appel-
„ lata. Mortuis parentibus, in Sacram Virginem attonſa,
„ monaſticam vitam amplectitur; fidemque Chriſti deinde
„ prædicans, multos paganos ad Dei cognitionem convertit:
„ unde a quibuſdam Judæis apud Antonium Imperatorem ac-
„ cuſata fuerit, ac pluribus tormentis excarnificata. Tum
„ Imperator liquore vaſis, pice & oleo pleni, in quod San-
„ cta immiſſa fuerat, ab ipſa aſperſus, excæcatur, ſed ite-
„ rum illuminatur: quo prodigio ingens tum ipſius tum alio-
„ rum ſubſecuta traditur converſio. Paraſceve autem alia
„ peragrat loca. Deinde ad Aſclepium deducta, condemna-
„ tur, ut pabulum ſit formidabili cuidam Draconi, qui, fa-
„ cto ab ipſa ſigno Crucis, medius crepuerit. Quo viſo ille
„ ſe cum ſuis ad fidem Chriſti receperit. Sancta denique in
„ alia urbe ad Taraſium perducta, poſt plurima tormenta,
„ abſciſſo capite Martyrium conſummat. Atque hæc eſt hiſto-
„ ria, ſeu ut verius dicam, pii dramatis ſumma. Cur autem
„ Sanctam, tum ibi, tum in aliis Græcorum Faſtis hoc die
„ notiſſimam, atque in hunc item diem a die XXIV. hujus men-
„ ſis rejectam, alio iterum remittamus, & quo; docebit
„ *Venera*, *Veneranda*, ſeu *Paraſceve*, quæ ponitur inter
„ Prætermiſſos XXVIII. Julii „. Tertio ibidem recenſetur
S. Venera Virgo Martyr Sicula. „ S. Venera (inquiunt)
„ Virgo Martyr, apud Caſtrum regale in Sicilia, a die 26.
„ Junii ad hanc (26. *Julii*) remiſſa, mirum, ſi ab Syno-
„ nimis pluribus diſtingueretur, de quibus tum inter Præter-
„ miſſos hic ſub eodem nomine, ac ſub nomine *Paraſceves*,
„ & *Venerandæ*; tum inter Prætermiſſos ad 28. hujus: ubi
„ intricatiſſimam hanc unius, an plurium Synonymiam remit-
„ timus ad diem, quo *S. Veneranda* inſcribitur Martyrolo-
„ gio Romano XIV. Novembris „. Quarto demum, ad
diem 28. Julii pag. 502. recenſetur *S. Venera Virgo & Martyr
Locrenſis in Calabria*. „ S. Venera (inquiunt) Virgo & Mar-
„ tyr Locrenſis, Sacris literis erudita, quæ Evangelium per
„ loca finitima prædicavit, ac ſub duobus præfectis cruciata,
„ demum ſub Aſclepio præfecto gladio percuſſa Martyrium
„ conſummavit V. Kal. Auguſti, hoc die notatur apud Ferra-
„ rium in Catalogo Sanctorum Italiæ ex Lect. Eccleſiæ Hiera-
„ cenſis.

,, censis. Vita (*a*) an. 1643. edita est Neapoli sub nomine *S. Ve-*
,, *nerandæ*, *quæ vulgo dicta Venera*, & a Græcis *ἁγία παρα-*
,, *σκευὴ*, *S. Parasceve nata Hieracii in Calabria in Regno Nea-*
,, *politano*, *Virgo & Martyr*, *ac prædicatrix Evangelica*,
,, *contemporanea SS. Apostolorum*: auctore R. P. Fratre Si-
,, mone a Spiritu Sancto Carmelita excalceato. Vitam quoque
,, sub iisdem nominibus Sanctæ propriis Italice anno 1645.
,, Panormi in lucem dedit D. Franciscus Gravina de Cruyllas,
,, ex Breviario quodam antiquissimo, ut dicit pag. 221., *Si-*
,, *culo* amplificatam. Sed utraque ista vita rapsodiam potius
,, nugatoriam & fabulosam, quam historiam ullo modo tolera-
,, bilem exhibet. Vita insuper libello Italo-Græco Venetiis
,, anno eodem 1645. excusa prodiit, auctore Pantaleone Casano
,, Chiensi. Habemus item duplex Martyrium MSS., alterum
,, quidem ex Codice Ambrosiano f. n. 112.; alterum vero ex
,, Cod. Vaticano 1190. Sancta *Veneranda* etiam signatur XXVI.
,, hujus mensis in Sanctuario Capuano typis edito pag. 524.
,, tamquam apud *Galliam passa sub Asclepio præside*, quæ
,, fuerit *filia Agathonis* & *Politiæ* cum Martyrio, quod coin-
,, cidit cum eo, quod habet Petrus de Natalibus lib. 10.
,, cap. 61. qui citatur in notationibus ad Martyrologium Ro-
,, manum die 14. Novembris, quo S. *Veneranda* ibi refer-
,, tur. Interim longe intricatissima ac fabulosissima sunt, quæ
,, isti Sanctæ attribuuntur, suo præbitura tempore amplissi-
,, mam exercendæ criseos, qua summopere indigent, mate-
,, riem; sive Sanctam ipsam (unicam ne, an plures?) sive
,, vitæ institutum; sive peragrata loca; sive tempus ac mo-
,, dum, & reliqua Martyrii adjuncta; sive Acta Græca, La-
,, tina, & Italica consideres. Nos proprium ad hoc locum
,, esse arbitramur, quo *S. Veneranda* inscribitur Martyrolo-
,, gio Romano XIV. Novembris ,,. Hactenus Bollandiani.
Parasceves Virginis Martyrium 14. Octob. *ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις τοῦ ἑλληνισμοῦ*, Græce apud Lambec. tom. 8. pag. 363.
& Nes-

---

a In Acie bene Ordinata Philippi Visitantini citatur hæc vita his verbis.,, S. Ve-
,, neranda Sanctimonialium Eliadum institutum professa in Gallia, deinde in Italia igni-
,, bus aliisque pro Christo toleratis, tandem sub Aslcepio decollata, cœlum su-
,, biit, applaudente S. Telesphoro Papa anno 144. De illa agunt plures, præ-
,, sertim P. Simon de S. Spiritu Carmel Neapol.

& Neſſel tom. 5. pag. 128. Aliud, *ἡ ἀρχὴ τῶν ἰαμάτων* Χριςῦ, MSS. Græce in Biblioth. Coisliniana pag. 169. Quum autem in fine horum Actorum (teſte Lambecio tom. 8. pag. 363.) dicatur S. Paraſceve decollata die 14. Octobris, *ἐχρώθη τῷ ξίφει ὑπὸ τῦ σπεκυλάτωρος καὶ ἀπετμήθη τὴν ἁγίαν αὐτῆς κάραν μηνὶ ὀκτωβρίῳ ἐν τεσσαρεσκαιδεκάτῃ*, colligitur, Ruſſos quoque hac die de S. Martyre & Virgine Paraſceve, Romæ ſub Antonino paſſa, agere, de qua Græci ad diem 26. Julii.

XIV.

NAZARIUS.

PROTASIUS.

GERVASIUS.

CELSUS.

S. COSMAS.

Codices Vaticani Ruthenici cum noſtro Slavico hac die vacant. Græci in Menologio horum omnium mentionem faciunt. Menologium Baſilianum eoſdem etiam recenſet, præter *Coſmam*. Tabulæ Papebrochianæ, loco *Coſmæ*, ponunt *Nicolaum Sviatoſſa*. Poſſevinus hunc ſolum habet: *S. Martyris Oſatii*. Quid vero hoc nomine intelligat, ipſe viderit: Tabulæ Capponianæ depictos repræſentant Sanctos Martyres, *Gervaſium*, *Protaſium*, *Nazarium & Celſum*; hunc quidem puerum, Gervaſium autem adoleſcentem, Nazarium vero & Protaſium barbatos. Ita & Tabulæ Papebrochianæ, omnes militari habitu crucemque manu geſtantes, præter Celſum Senatorio habitu indutum. Quare merito Papebrochius pictoris inſcitiam redarguit his verbis. „ Male procul dubio Celſus, „ qui puer fuit, exprimitur a Moſcis in hac tabula in habitu „ Senatorio, ut vir bene barbatus. Sculptor noſter Prototy- „ pon ſuum ſecutus eſt, ut juſſus fuit „. In Prototypo nomina, figuræ, & Inſcriptiones ita ſe habent. Superne, AI. *Nazary*. *Protaſy*. *Keleſy*. *Swatoſſa*: infra, Imagines & nomina: Nazarii barbati, Protaſii, & Gervaſii, imberbium: *Celſi*, habitu Senatorio: *Nicolai Svatoſſæ*, habitu Monaſtico, Cuculla in capite Cruce ſignata, ſtola e collo ad pectus ſub Planeta clauſa pendente. Porro de Gervaſio, Protaſio, Nazario, & Celſo, utrumque Menologium Græcum agit hac die; At Martyrologium Romanum, de Gervaſio quidem & Protaſio,

tasio, die 19. Junii; de Nazario autem & Celso, die 28. Julii Marmor Neapolitanum ad hanc ipsam diem 14 Oct. P. *Gervasi & Protasi*, idest, Passio SS. Gervasii & Protasii. Acta SS. Gervasii, Protasii, Nazarii, & Celsi Græce, *Νέρωνος ἄρτι τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα διέποντος*, Lambec. tom. 8. pag. 250. 258. 262., Latine apud Lipom. & Sur. ad 19. Junii.

Cosmas, qui in Tabulis Capponianis additur, is est quem Græci quoque in Menologio colunt hac die, cum hoc elogio: *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν, Κοσμᾶ τοῦ ποιητοῦ, ἐπισκόπου μαϊουμᾶ τοῦ ἁγιοπολίτου. Eadem die Sancti Patris nostri Cosmæ Poetæ, Episcopi Majumæ, Hagiopolitæ*, idest, Hierosolymitani. Subjungitur Synaxarium de ipsius vita rebusque gestis. Miror, quod Pictor Moscus Cosmam hunc, quem die XII. ejusdem mensis apposuerat, iterum ad hanc diem reponit, & quod eundem utrobique habitu Monastico, non Episcopali, indutum repræsentat.

Ad Nicolaum Sviatoffam, in Tabulis Papebrochianis depictum, quod spectat; Papebrochius hæc de ipso scribit. *Sanctus Nicolaus monachus*„. Ita pro voce *Sbiatopsa*, aut simili, quod superne legitur, Belga noster legit vocem *Sanctus*: an recte, judicabunt Rutheni, quorum proprius omnino mihi videtur hic esse: ac proinde ab iis expectanda notitia, quæ porro desideratur„. Papebrochii desiderium explet Culcinius in Specimine Par. I. pag. 51. ubi ad diem XIV. Octobris, quis sit S. Nicolaus *Svatosza* exponit in hæc verba. „Hic fuit nepos Svatoslai, filius vero Davidis, Ducum seu „Principum Czernihoviensium. Habuit etiam duos fratres „germanos, Izaslaum & Uladimirum, quibus relinquens „portionem suam Principatus hæreditarii, ingressus est ad monasterium Pieczarense, factusque monachus, sanctam vitam ducere cœpit. Cupiens enim Deo placere, ad vilia in „coquina obsequia sese demisit, in quibus toto triennio exacto, magis ac magis diligens efficiebatur, in laboribus assiduus, orationem non prætermittebat. Nemini unquam „dixit verbum molestum; ipse vero unicuique obedientissimus, acres nonnunquam reprehensiones hilari vultu excipiebat. Non puduit hunc sanctum ex Principe monachum „ligna securi quandoque secare, eademque instar bajuli ab-

„ jecti in coquinam comportare. Imo quum aliquando de ripa
„ Boristhenis transportaret humeris ligna ad monasterium,
„ certiores redditi hac de re fratres Izaslaus ac Uladimirus
„ Principes, rogarunt Hegumenum, ne Nicolaus tam duris
„ laboribus oneraretur. Voluit Hegumenus, ut sanctus quiete
„ in cella viveret. At ipse cum lacrymis hanc gratiam ab eo im-
„ petravit, ut adhuc quartum annum in obsequiis coquinæ
„ perageret. Finito hoc tempore, factus est Nicolaus cœno-
„ bii janitor: quod officium quum laudabiliter gessisset, da-
„ ta est tandem ei cella, penes quam ipse plantavit exiguum
„ hortum, quem coluit assiduo labore. Certe nemo unquam
„ ipsum vidit otio deditum: nam semper præ manibus labo-
„ rem aliquem habebat, repetens frequenter solitam illam
„ monachis Jaculatoriam: Domine Jesu Christe miserere
„ mei. Jejuniis vigiliisque nimis erat addictus: veste pulla
„ induebatur: libros sacros, cæteraque ornamenta continuo con-
„ quirebat, iisque Templum ac monasterium ditabat: pecu-
„ niam aliaque subsidia, quæ ipsi a fratribus submittebantur,
„ in pauperes ac peregrinos erogabat: pupillos ac viduas tum
„ eleemosynis, tum patrocinio juvabat. Manebat eo tempo-
„ re Kioviæ Petrus, professione medicus, patria Syrus, qui
„ olim ministraverat Nicolao. Hunc deinde videns mona-
„ chum factum, austeram vitam agere, adibat ipsum frequen-
„ ter, variisque eundem oppugnabat rationibus, ut consule-
„ ret sanitati, neve corpus rigore insolito affligeret. At Nico-
„ laus strenue dicta retorquebat, respondens, non esse con-
„ dignas hujusmodi passiones ad promerendam futuram glo-
„ riam; se vero totum Deo dicatum omnino satagere, ut
„ adimpleat onus suæ vocationis. Sic Nicolaus haud præbuit
„ aurem Petro medico; quinimo eum semel morbo gravi
„ pressum, prius oratione sanavit; deinde vocatum ad se,
„ nervosa concione ad Institutum monasticum traxit. Hinc
„ Petrus obtemperans Nicolao, quum in Pieczarensi monaste-
„ rio sacrum induisset habitum, & brevi tempore vixisset, inci-
„ dit in morbum extremum, & post triduum Nicolao prædicen-
„ te, munitus Sacramentis, obiit in Domino. Porro post obitum
„ Medici, supervixit Nicolaus annis triginta, toto hoc tempore
„ transacto cum tanta sanctitate, ac tam stricta regularis discipli-

„ næ

„ næ obſervantia, ut numquam e clauſtro pedem foras extulerit. Numerans tandem quinque ſupra triginta annos vitæ „ monaſticæ Nicolaus, morbo corripitur, migratque ad Dominum lætus & exultans, hac die 14. Octob. 1136. Animam „ vero ejus beatam Angeli ſuaviter canentes ſuſcipiunt venerabundi, tolluntque in cœlum. Effudit ſe univerſa Kiovia ad „ funus Nicolai, Principes quoque fratres illico advolavere, & „ exuvias ſancti germani repetitis cum ploratu amplexibus honoravere. Abſolutis juſtis, Izaslaus Princeps quum rediviſſet „ domum, paulo poſt incidit in morbum graviſſimum, ac „ tandem a medicis relictus, jam fere in agone verſabatur. „ Lugens conjux cum liberis, totaque familia, miſit ad monaſterium Pieczarenſe, rogans aliquod efficax remedium. „ Hegumenus dedit emiſſario vaſculum aquæ, qua ablutum „ fuit unum ex oſſibus S. Theodoſii, & cilicium Nicolai Svatoszæ. Hæc pharmaca ferens ſecum famulus, advolavit „ Czernihoviam, & quum appropinquaret palatio, Princeps „ moribundus tamquam ſomno excitus, exclamavit: cito, „ cito, aperite januam, ecce enim veniunt magni hoſpites, „ Theodoſius Abbas, & frater meus Nicolaus. Ingreſſus interea „ famulus, obtulit pretioſa munera, quibus acceptis, quum „ Princeps infirmus aquam illam bibiſſet, & cilicium induiſſet, repente convaluit. Tam inſignem conſecutus gratiam, „ quoties in poſterum infirmabatur, toties cilicium induebat, „ priſtinamque ſanitatem recuperabat. Imo quum contra hoſtes bellaturus procederet, eodem fratris ſancti cilicio, loco thoracis, pectus armabat, ſemperque ovans domum „ redibat „. Hæc Culcinius *ex Vitis Patrum Cryptenſium*: mox ſubjungit. „ Laudant & mei libri hunc Nicolaum, ob eximiam ſanctitatem vulgo nuncupatum *Svatoſzam*, ideſt, Sanctum.

X V.

Lucianus Presbyter.

Omittunt codices duo Vaticani Ruthenici unacum noſtro Slavico. Poſſevinus perperam: *S. Martyris Lucrini*, pro Luciani. Agunt de S. Luciano Presbytero & martyre Antiocheno Græci in utroque Menologio; ſed in Baſiliano dicitur ſub Diocletiano paſſus: „ Relicta autem Antiochia, Nico-

„ mediam petiit, ubi Diocletiano per cædes in Christianos debacchante, plurimos, quos metu tormentorum adactos defectionem a Christiana fide moliri deprehendit, confirmavit, persuasitque eis, ut martyrium subirent. *& post pauca.* „ Qua re comperta, Diocletianus veritus, ne, si illum ad se acciret, ab eo objurgaretur, sumpto velo convenit Lucianum: cujus animum quum nullis artibus a sententia dimovere potuisset, inedia eum confici jussit. Igitur quum nullum per multos dies cibum degustasset, in carcere decessit, ac in mare projectus fuit „. At vero in Menologio Græcorum, sub Maximiano id factum narratur. Martyrologium autem Romanum, Maximinum pro Maximiano habet, in hæc verba ad 7. Januarii. „ Natalis B. Luciani Antiochenæ Ecclesiæ Presbyteri & martyris, qui satis clarus doctrina & eloquentia, passus est Nicomediæ ob Christi confessionem in persecutione Maximini, sepultusque est Helenopoli in Bithynia „. Ita & Eusebius tunc vivens. lib. 9. cap. 5. eum sub Maximino passum testatur. Idipsum affirmat Hieronymus de Script. Eccl. in Luciano. Hinc Baronius ait „ errore factum videtur, ut tam Metaphrastes, quam Svidas eum sub Maximiano martyrio occubuisse dicant „. Fabulam sapit, quod in utroque Menologio narratur de S. Luciano, deque Diocletiano sive Maximiano, in hæc verba. „ Adeo autem ob virtutes suas Deo similis effectus est, ut quum urbem obiret, a quibus vellet, conspiceretur; a quibus vero nollet, nequaquam videretur. Qua re comperta, Diocletianus (in Menol. Græc. Maximianus) veritus, ne si illum ad se acciret ab eo objurgaretur (Men. Græc. veritus, ne facies ipsius videretur:) sumpto velo, convenit, Lucianum „. (Menol. Græc. ὑπὸ παραπετάσματος, αὐτῷ διαλέγεται, obducto sipario, cum eo congreditur.) In Basiliano depictus est pag. 119. in latere dextro, veluti sedens in carcere: ut nimirum ibi inedia conficeretur: in sinistro, sublatum a milite ipsius corpus, ut projiciatur in mare. Sic enim vita S. Luciani terminatur in Menologio Basiliano. At in Græco communi additur: δελφὶς δὲ τοῦτο, προστάξει Θεοῦ, ἐπὶ τῶν ὤμων φέρων τῇ χέρσῳ παρέπεμψεν, Delphinus autem, „ Deo jubente, in humeros sublatum, ad continentem detulit „. Baronius in not. ad 7. Jan. „ Ejus venerandum corpus

„ pus post martyrium, Delphinorum obsequio, Drepanum „ in Bithynia delatum, egregia Basilica ab Helena Constanti- „ ni matre fuit ornatum, qui & locum illum Imperialibus mu- „ nificentiis auctum, Helenopolim appellavit, ut scribit So- „ crates lib. 1. cap. 13. „ Pictura Basiliana, quæ Lucianum repræsentat in carcere sedentem, inedia confectum, non videtur cohærere cum eo mortis genere, quo is decessisse fertur apud Anonymum, qui Origenis nomen sibi falso imposuit, in hæc verba apud Baronium loc. cit. „ Ita consummatus est bea- „ tus atque gloriosus Lucianus, lucidus vita, lucidus & fide, lu- „ cidus etiam tolerantiæ consummatione. Ob hoc enim Lucia- „ nus cognominatus est, tamquam lucidus, aut proprio lumine „ sibi fulgens, aut aliis lucens. Hic namque beatus duodecim „ diebus supra testas multas extensus, tertiadecima est con- „ summatus; aliique innumeri sancti martyres eodem modo „ mortem transeuntes consummati sunt „. Menologium Græcum de Scripturæ versione ab eo elaborata: εἰς κάλλος δὲ γράφειν ἐπιστάμενος, Βιβλίον κατέλιπε τῇ Νικομηδέων ἐκκλησίᾳ, γεγραμμένον σέλισι τρισσαῖς, περιέχουσαν (a) πᾶσαν τὴν παλαιάν τε καὶ τὴν νέαν διαθήκην. „ Quum autem eleganter scribere „ nosset, librum reliquit Nicomediensium Ecclesiæ, tribus „ paginis scriptum, complectentem universum vetus ac no- „ vum Testamentum „. Baronius loc. cit. „ Præclarissima „ hic sui ingenii reliquit monumenta, quæ a majoribus Lucia- „ nea sunt appellata: cujus etiam nomine dicta est divinæ „ Scripturæ versio ab ipso elaborata, quam Græci commu- „ nem, seu vulgatam dixere, eaque (ut sæpius testatur S. Hie- „ ronymus ad Chromatium epist. 107. & ad Suniam 131.) „ Orientales omnes qui interjacent a Constantinopoli Antio- „ chiam usque, sunt usi „. Tabulæ Papebrochianæ *Lucianum* repræsentant habitu sacro Presbyterali, idest indutum Stichario, & Phenolio multis crucibus ornato, undequaque clauso, manibus expansis, stola e collo subtus Phenolium pendente: barba oblonga capite nudo radiato. Luciani vita Græcè, σαμόσατα πόλις τῆς Συρίας ἐστίν, apud Lambec. tom. 8. pag. 225. 251. 258. 262. prodiit Latine apud Lipom. & Sur. ad 7. Jan. & cum notis apud Bollandum ad eand. diem.

Eadem

(a) Περιέχον.

Eædem Papebrochianæ tabulæ Luciano addunt *Euthymium* monachum, Presbyteri habitu indutum: de quo hæc Papebrochius. „ Quis, aut cujas, incompertum mihi esse „ fateor, & aliunde doceri peto. Menæa hic recitant hi„ storiam Anonymi monachi ex Sceti, qui sub excommunica„ tione existens propter apostasiam a monachatu, martyr „ obierat Alexandriæ, ac postea sub altari positus ut talis, con„ spectus est cum Neophytis exire tempore sacrificii, usque „ dum ab eo vinculo solveretur per ipsum, a cujus obedien„ tia recesserat. Quod an huc referri possit, considerent alii. Culcinius Par. 2. pag. 101. ad hanc diem „ Luciano Presbytero „ ac martyri addunt & mei libri hac die S. Euthymium novum „ seu juniorem. Sed cujusnam sit, nil indicant. Quærendus „ ergo in Græcorum fastis, & considerandum, an non sit ille „ Patriarcha CP. qui claruit sub Leone Philosopho, & qui „ sede abdicata, passus multas ærumnas, in exilio obiit in „ habitu monachi „. Dixerim potius hunc Euthymium esse juniorem, de quo Papebrochius ad Januarii metrici diem xx. ubi de S. Euthymio magno agitur, hæc subjungit. „ Præ„ ter hunc recolitur a Græcis *memoria S. P. N. Euthymii* „ *Junioris*, IV. Januarii „: vel Euthymium Thaumaturgum, de quo ibidem. „ Et II. ac XVIII. Aprilis, me„ moria S. P. N. Euthymj Thaumaturgi „ quamquam in Menæis excusis, nullam utriusque hujus Euthymii mentionem factam video. Addit Papebrochius & alium Euthymium Episcopum: „ Accedit (inquit) ex Allatio, qui Encomium au„ ctore Gregorio Cyprio Patriarcha Constantinopolitano vidit, „ *S. Euthymius Episcopus* (*a*) *Madytarum* „. Et concludit: „ Quæ unum ne, an tres diversos spectent, non definimus; „ sed expectamus ut aliunde accipiamus ipsum istud Enco„ mium, lucem haud dubie aliquam allaturum, simul cum „ diei notitia, qua postremo nominatus obiit coliturque „. Debuisset & quartum *Euthymium*, Sardium Episcopum & Confessorem, qui Synodo Septimæ interfuit, cujusque memoria cum Synaxario colitur in Menæis ad diem 26. Decembris. Accedit & quintus Euthymius Suzdalensis, monachus Ruthenus,

a Euthymii Episcopi Madytensis in Thracia, Thaumaturgi, vita auctore Gregorio Cyprio, *ἐπιτιμῶν δικαίως ἄρτι οἶμαι*. Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 78.

thenus, de quo Culcinius ad diem I. Aprilis : „ Asserit meum „ Ustavum, hunc sanctum Euthymium Suzdalensem, flo- „ ruisse circa annum 1404. Et fuisse aliquando monachum „ professum Pieczarensem : cujus tamen Acta inter vitas Pa- „ trum Cryptensium non reperio „. Quid ? si iste quintus Euthymius, idem sit cum secundo Papebrochiano *Euthymio*, Thaumaturgo dicto, quem coli ait die II. & XVIII. Aprilis ?

XVI.

LONGINUS CENTURIO.

Codices Vaticani Ruthenici : *Longinus Martyr*. Possevinus : *S. Martyris Longini*. Tabulæ Papebrochianæ : *Longinus* : quem barbatum, pallio & tunica indutum, manus expansas tenentem repræsentant. At Capponianæ Tabulæ eumdem depingunt habitu militari, lanceam manu tenentem. Ita & depictus cernitur proprio Longini nomine Græce adjuncto, in Codice Syriaco Evangeliorum, Bibliothecæ Laurentianæ Mediceæ, scripto & picto anno Christi 586. Porro S. Longini commemoratio peragitur a Græcis in utroque Menologio hac die, a Latinis autem die 15. Martii, ubi ἑκατοντάρχης, *Centurio* appellatur, ex regione Cappadociæ oriundus, militans sub Pilato Judææ Præfecto, cujus jussu, pretiosæ Christi Passioni & Cruci, unacum centuria sua ministravit. Quumque ea, quæ Christo in Crucem sublato fiebant, miracula vidisset, terræ scil. motum, Solis deliquium, sepulcra aperta, mortuos excitatos, petras scissas, exclamavit : vere Dei filius erat iste : abdicatoque militiæ sibi subjectæ munere, in patriam rediit, Christum prædicans. Quo comperto Judæi, pecunia Pilatum subornarunt, qui ad Tiberium Cæsarem adversus Longinum scripsit. At ille decollari eum unacum duobus sociis militibus mandavit, ejusque caput Hierosolymam deferri : quod in sterquilinium dejectum, tandiu delituit, donec mulier quædam Cappadox cæca, divino admonita visu, Hierosolymam profecta, caput invenit, visumque recepit. In Menologio Basiliano pag. 121. repræsentatur, in latere quidem dextro, miles gladio percutiens S. Longinum, & duos milites ejus socios : in sinistro autem, mulier Cappadox inveniens ejusdem Longini Caput. Baronius in not. ad 15. Mart. *S. Longini venerandum Corpus Romæ asservari percepi in Ecclesia San-*

cti

Eti Augustini. In SS. Basilica Vaticana, in qua indignus sum Canonicus, *Brachium S. Longini* colimus. Marmor Neapolitanum ad XVI. Octobris: *P. S. Longini*, idest, *Passio Sancti Longini*. Acta Græce, Τῦ θεῖυ λόγυ διὰ τὴν ἐκ παρακοῆς, MSS. apud Lambec. Tom. 8. pag. 224. 251. 259. 262. Latine apud Lipom. & Sur. ad 15. Martii. Alia, οἱ τῆς ἀθλήσεως νικηταὶ, ὐράνιοι καὶ πολῖται, οἱ τῦ Χριςῦ ςρατιῶται, Auctor præsentem se & videntem martyrio Longini interfuisse profitetur. Sed illa ut fabulosa Bollandus describere noluit: qui de aliis Longini actis ab Hesychio compositis videndus Tom. 2. Mart. pag. 382.

XVII.

PROPHETA OSEAS.

ANDREAS CRETENSIS.

Codices Vaticani Ruthenici cum nostro Slavico vacant. Papebrochianæ Tabulæ ad hunc diem: *Oseas*, *Andreas*. Possevinus: *S. Prophetæ Osiæ*, nimirum, Osee: nam Ruthenis dicitur, *Osia*. De utroque Menologium Græcum hac eadem die. Τῦ ἁγίυ προφήτυ ὡσηὲ, καὶ τῦ ἁγίυ ὁσιομάρτορος Ἀνδρέυ τῦ ἐν τῇ κρίσει: *Sancti Prophetæ Osee, & S. Hosiomartyris* [idest, Monachi & Martyris] *Andreæ in Crisi*: qui in Synaxario dicitur ex una Cretæ urbium oriundus, sub Constantino Copronymo pro sacrarum Imaginum cultu passus. Hinc Inscriptio Ruthenica, in Tabulis Capponianis: *Andrey Critski*, *Andreas Cretensis*. At Menologium Basilianum, de Hosee quidem agit hac die; de Andrea vero unacum sociis Stephano ac Petro ad diem 28. Novembris. Latini Oseam commemorant 4. Julii: Andream Cretensem Monachum, 17. Octobris. Baronius in not. „ Hic Andreas licet Cretensis dictus sit, longe tamen diversus ab illo est, qui celebris est inter Græcos Scriptores Ecclesiasticos, cujus celebritas agitur in Menologio IV. Non. Julii „. Is enim patria Hierosolymitanus erat, Episcopatu *Cretensis*: hic vero patria *Cretensis*, professione Monachus. In Tabulis nostris, Osee depingitur cum volumine explicato, in quo hæc verba: *Dominus dabit Evangelizantibus*: Andreas habitu Monachi. Fasti Papebrochiani imaginem Osee exhibent, tunica cingulo præcincta, & pallio usque ad medias tibias, barba rotunda, attonsis ad aures capillis.

lis. Andream vero repræsentant eodem corporis habitu ac Euthymium ad diem antecedentem: hoc uno excepto, quod is dextera benedicit, sinistra manu sub pallio latente; hic vero sinistram elevat expanditque, dextra benedicens, cæterum stolam habet è collo sub pallio pendentem, tamquam Presbyter & Monachus. Andreæ in Crisi, Cretensis, sub Constantino Copronymo Iconomacho passi, vita, πολλὰ κατὰ τῶν τῦ Χριστῦ Μαρτύρων, Græce MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 251. 259. 262. Latine apud Lipom. tom. 6. ad 19. Octobr. & Sur. ad 17. Octobr.

XVIII.

LUCAS EVANGELISTA.

Codices Vaticani, noster Slavicus, Menologium utrumque, Fasti Papebrochiani, & Latini, hac die. In Capponianis Tabulis, S. Lucas barbatus dextra benedicit, sinistra librum clausum tenet. Papebrochianæ eundem exhibent, cum longa barba, & capillis brevibus, tunica & pallio indutum, dextra limbos pallii tenentem, sinistra expansa. In Menologio Basiliano pag. 125. repræsentatur cadaver ipsius a duobus in arcam imponi, tertio quodam Sacerdote ad caput adstante, ipsumque thuribulo suffumigante; idque in Basilica Sanctorum Apostolorum Constantinopoli: nam ibidem legitur de S. Luca hoc Synaxarium. „ Lucas Evangelista in Antiochia magna ortus, „ professione Medicus & Pictor, ἰατρὸς τὴν τέχνην, καὶ ζωγράφος, quum Thebas Macedoniæ, Tiberio Imperatore, ob „ persecutionem venisset, congressus collocutusque cum Sancto Paulo, ut qui ex septuaginta (a) Apostolorum numero erat, eidem Apostolo se socium adjunxit, & una cum „ ipso Christum prædicavit; promtoque animo in prædicationem & Evangelii ministerium, eidem cooperatus est. „ Conscripsit autem primo Sanctum, quod ejus nomen præfert, Evangelium, ad Theophilum quemdam Præfectum, „ qui in Christum crediderat, dictante sibi Sancto Petro Apostolo, ὑπαγορεύσαντος αὐτῷ τῦ ἁγίυ Πέτρυ τῦ Ἀποςόλυ. „ Deinde Apostolorum Acta ad eundem Theophilum. Post „ hæc

a S. Epiphanius hæref. 51. auctor est fuisse Lucam unum ex LXXII. Discipulis, prædicasseque Evangelium in Gallia, Italia, Dalmatia, ac Macedonia, ubi Galliam, ut puto, pro Galatia accipit.

„ hæc in pace animam Deo tradidit. Sacræ vero & pretiosæ „ ejus reliquiæ, Thebis primum sepultæ, postmodum inde „ Constantinopolim translatæ, in Sanctorum Apostolorum „ Templo conditæ fuerunt „. Synaxarium Græcum in Menæis, duo habet Basiliano Menologio repugnantia: primum, quod asserit ipsum Lucam Thebis sub Trajano Imperat. (pro ἐπὶ Τραϊανοῦ, legendum puto ἐπὶ κλαυδίου, sub (a) Claudio:) agentem, ibi cum S. Paulo congressum, & ab eodem ad Christi fidem conversum: ὄντος ἐν Θήβαις τῆς Βοιωτίας διάγων, καὶ ἰατρεύων ἐπὶ Τραϊανοῦ Βασιλέως, ἐνέτυχε τῷ ἁγίῳ παύλῳ τῷ ἀποστόλῳ, καὶ πιστεύσας τῷ Χριστῷ, ἀπώσατο τὴν πατρῴαν πλάνην, καὶ τὴν περὶ τὰ σώματα θεραπείαν ἀφεὶς, τῶν ψυχῶν προσελάβετο. Alterum, quod idem Lucas Evangelium scripsit, non Petro, uti habet Basilianum, sed Paulo Apostolo dictante: ὑπαγορεύσαντος αὐτῷ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου παύλου; quod est verosimilius. De translatione Corporis, idem Synaxarium hæc subjungit. Constantius autem, Constantini Magni filius, reliquias ejus è Thebis transtulit per Artemium Magnum Ducem Ægypti, & Martyrem, & deposuit eas in Templo Sanctorum Apostolorum sub Sancta Mensa, unacum Andrea & Timotheo. Demum de Imaginibus a S. Luca depictis: ἰατρὸς τὴν τέχνην, καὶ ἄκρως τὴν ζωγραφικὴν ἐπιστάμενος ἐπιστήμην, arte Medicus, & pictoriam scientiam apprime callens. Et infra: φασὶ δὲ αὐτὸν πρῶτον τὴν εἰκόνα τῆς ἁγίας θεοτόκου ἐν ἀγκάλαις φέρουσαν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, διὰ ζωγραφικῆς τέχνης ἐκ κηροῦ, καὶ ἑτέρας δύο ζωγραφῆσαι. Προσφέρειν τε αὐτὰς τὸν ἀπόστολον τῇ μητρὶ τοῦ κυρίου, εἰ ἀρεστόν ἐστιν αὐτῇ. καὶ αὐτὴν φάναι καὶ εἰπεῖν, τὸ, ἡ χάρις τοῦ ἐξ ἐμοῦ τεχθέντος, δι' ἐμοῦ, μετ' αὐτῶν. ὡσαύτως καὶ τῶν ἁγίων ἀποστόλων καὶ κορυφαίων τὰς ἁγίας εἰκόνας. καὶ ἐξ ἐκείνου, εἰς πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐξενεχθῆναι τὸ τοιοῦτον καλὸν καὶ εὐσεβὲς καὶ πάντιμον ἔργον. „ Ajunt autem, ipsum primum Imaginem Sanctæ Dei „ Genitricis in ulnis ferentem Dominum nostrum Jesum Chri„ stum, pictoria arte de cera depinxisse, & alias item duas.

„ Quum-

a Anno æræ vulgaris 51. Claudii XI. dissensione facta inter Paulum & Barnabam occasione Marci, Paulus allecto Sila, peragrat Syriam, Ciliciam, venitque Lystram, ubi Timotheum sibi assumit: Phrygia deinde peragrata, veniunt Troadem, ubi Lucas se Paulo adjunxisse videtur, quippe qui hinc in prima persona semper loquatur: „ Statim, inquit, quæsivimus proficisci in Macedoniam &c. Act. 16.

„ Quumque eas Apostolus Matri Domini obtulisset, nam gratum hoc ei esset: ipsam dixisse: gratia ejus qui ex me genitus est, per me sit cum illis. Similiter & Sanctorum Apostolorum Principumque eorum Sanctas Imagines. Exinde vero in universum terrarum orbem fuisse invectum bonum, pium, ac pretiosum istud opus „. Hæc videntur partim ex Theodoro Lectore, partim ex Nicephoro desumta, quemadmodum fusius sermo erit, ubi de Sacris Deiparæ Imaginibus. Interim notanda est Basiliani Menologii auctoritas, in quo Sanctus Lucas & Medicus & Pictor dicitur: id enim circa an. 980. quo Menologium ipsum est depictum, communiter ab omnibus pro certo habitum fuisse, constat. Circa Sancti Lucæ ætatem, non convenit inter Scriptores: nam in Synaxario Græco dicitur, quum a Paulo Apostolo recessisset, totamque Græciam docuisset, Thebis Bœotiæ, octoginta ut ajunt annos natus, in pace quievisse. μετὰ δὲ τὸ ἐγκαταλιπεῖν τὸν παῦλον, πᾶσαν τὴν ἑλλάδα διδάξας, ἐν Θήβαις τῆς Βοιωτίας, ὡς φασὶν ὀγδοήκοντα ἐτῶν γενόμενος, ἐν εἰρήνῃ ἀνεπαύσατο. S. Hieronymus in lib. de Script. Eccl. *Vixit octoginta & quatuor annos, uxorem non habens*. Idipsum in multis MSS. Cod. Vaticanis legitur in Præf. ad ipsius S. Lucæ Evangelium; etsi in aliis pro LXXXIV. disertim habeatur, *septuaginta & quatuor annos*. Discrepant etiam inter se auctores circa locum sepulturæ. Synaxarium enim asserit eum sepultum fuisse Thebis in Bœotia: alii vero, Patris in Achaja. Sic Hieronymus: „ Sepultus est Constantinopoli, ad quam urbem vigesimo Constantii anno ossa ejus, cum reliquiis Andreæ Apostoli, translata sunt de Achaja „. Et S. Gaudentius Episcopus Brixianus in serm. habito in Dedicat. Ecclesiæ: „ Horum quatuor [inquit] habemus in præsenti reliquias; qui Regnum Dei, & justitiam prædicantes, ab incredulis & iniquis occisi, Deo semper vivere operationum suarum virtutibus demonstrantur. Joannes in Sebastæ Provinciæ Palæstinæ, Thomas apud Indos, Andreas & Lucas apud Patras Achajæ civitatem consummati referuntur „. Et in Martyrol. Rom. ad XII. Maji: *Constantinopoli Translatio Sanctorum Andreæ Apostoli, & Lucæ Evangelistæ de Achaja*. Sed de hujus Sancti translatione ex Græcia Constantinopolim, & ex urbe Constantinopolitana Romam, &

Patavium; fusius sermo redibit, ubi de Sacris Deiparæ Imaginibus. Lucæ Evangelistæ Acta complura extant Græce. Primo, *εἰ καὶ δικαίου μνήμην*, Lambec. tom. 8. pag. 224. 252. 259. 262. Græce & Latine in Combefis. Auctar. noviss. Tom. 1. pag. 513. Latine apud Lipom. Tom. 1. & Sur. 18. Oct. Secundo, *μεγάλη τῆς Ἀποστολικῆς ἐκκλησίας ἡ δύναμις*, MSS. Bibl. Coislinian. pag. 185. Tertio, *ὦ λαμπρότης, ὦ αἴπεις, ὦ σήμερον*, MSS. ibid. Quarto, *οἱ ἅγιοι τοῦ θεοῦ ἀπόστολοι καὶ εὐαγγελισταί*, auctore incerto, Combefis. Tom. 8. Bibl. Concionat. pag. 276. Quinto, *οἱ μὲν ἅγιοι τοῦ θεοῦ μάρτυρες*, Bibl. Coislin. pag. 195. Sexto, *πράξεων καὶ λόγων ἅμιλλαν ὁρῶ*. Ibid.

XIX.

PROPHETA JOEL.
MARTYR VARUS.

Vaticani Ruthenici Codices cum nostro Slavico vacant. Possevinus: *S. Prophetæ Joelis*, dumtaxat, Varo omisso. Fasti Græco-Moschi Papebrochiani. *Varus, Joel. Sadoth*: ubi in Inscriptione Ruthenica error obrepsit in nomine Joelis, sic, ІОНА, Joja, pro, ІОНА, *Joel*. Alius item error in Imagine Sancti Sadoth, qui quum Episcopus esset, hic tamquam Presbyter depingitur. Unde recte Papebrochius: „ potuisset „ ei supra planetam seu casulam Sacerdotalem, pallium Epi„ scopale hic dari, ut Episcopis aliis, si ita in prototypo fuisset „ inventum „. In Menologio Græco agitur hac die de Joele Propheta, de Varo Martyre, & de Sadoth Episcopo & Martyre unacum sociis 120. At Menologium Basilianum, de Joele tantum, & de Sadoth: Varum autem cum septem sociis commemorat ad diem XXV. Octobris. Romanum Martyrologium, Joelem laudat die 13. Julii, Varum hac die 19. Octobris; Sadoth cum sociis, non 120. uti habet ad 19. Octob. Synaxarium Græcum, & Basilianum Menologium; sed 128. uti habent Acta Syriaca, die 20. Februarii: qua item die iterum memoriam Sadoth Episcopi cum sociis 128. agunt Græci tam in Menologio communi, quam in Basiliano. Duos enim videntur agnovisse Sadothos, unum cum 120. alterum cum 128. sociis. Verum repugnant Acta Syriaca genuina, quæ ex S. Marutha laudavimus Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 188. quæque Græce edidit Metaphrastes, & ex ipso Lipomanus tom. 5. & Surius tom. 1.

tom. 1. Eadem Acta nuper Syriace & Latine evulgavit meus ex ſorore nepos Stephanus Evodius Archiepiſcopus Apamenus Tom. 1. pag. 88. in Typographia S. Congregationis de Propag. Fide, typis Joſephi Collini, Romæ 1748. Tabulæ noſtræ Capponianæ exhibent Joelem cum volumine explicato, in quo hæc verba: *effundam de ſpiritu meo*. Varum autem habitu militari. Miles enim fuerat in Ægypto. Ita & Varum referunt Tabulæ Papebrochianæ. At Menologium Baſilianum ad 25. Octobris pag. 142. repræſentat Varum nudum cum ſex ſociis ſuſpenſum, in lateribus dilaniari & fuſtibus cædi. Tum in eodem Baſiliano, tum in Græco Menologio, Varus ſub Maximiano paſſus perhibetur: at in Rom. Martyrol. ſub *Maximino*. Quos autem Baronius ibi *Monachos* Vari ſocios appellat, Baſilianum ſic deſcribit. „ Quum Sancti quidam viri ex mon- „ tium ſpecubus, in quibus diu latuerant, in vincula ob Chri- „ ſti fidem eſſent conjecti „. Cætera. Licet enim nomen ipſum *Monachorum* non adeo vetus fuerit, in montium tamen ſpecubus qui latebant, ii veri Monachi dici poſſunt. Unde Auguſtinus in Joan. tract. 97. „ Monaſteria & Xenodochia „ poſtea ſunt appellata novis nominibus; res autem ipſæ ante „ ſua nomina erant „. Et Baronius notat ad 19. Octobris: „ Complures Monachos ſub Maximino Martyrio coronatos „ eſſe, non tantum ex Martyrologiis & Menologiis expreſſum „ haberi, ſed etiam apud Euſebium hiſt. lib. 8. Ipſum autem „ Monachorum Inſtitutum non adeo recens, ſed ab initio na- „ ſcentis Eccleſiæ viguiſſe, ex iis quæ ſcribit Philo de Eſſeis, „ & quæ habet Dionyſ. Areopag. & alii, facile colligi „. Acta Vari & Socior. Martyrum Græce, *Μαξιμιανῦ τῦ τυράννυ τὸ δυσσεβὲς ἀνὰ πᾶσαν σχεδὸν τὴν οἰκυμένην ἐκδόντος διάταγμα*, Lambec. tom. 8. pag. 252. 259. 262. Latine apud Lipom. Tom. 6. & Sur. ad 19. Octob. *Sadoth* vero Epiſcopi & Socior. 128. Græce, *μετὰ τὸ τελειωθῆναι*, Lambec. tom. 8. pag. 87. Latine apud Sur. 20. Febr.

XX.

MARTYR ARTEMIUS.

Codex Vaticanus ſecundus: *Artemius Martyr*. Primus eum noſtro Slavico omittit. Poſſevinus: *S. P. Artemii*, male: non enim Monachus, aut Sacerdos fuit, ſed Dux, Auguſtalis Præ-

Præfectus Ægypti, & Patricius, ac demum μεγαλομάρτυρ, *Magnus Martyr* & *Thaumaturgus*: quamobrem in Menologio Basiliano ad hanc diem pag. 130. θαυματουργὸς dicitur: & post narratum Martyrium: „ ejus reliquiæ Constantinopolim „ translatæ, ibique depositæ sanitatem eis, qui cum fide ad „ ipsum accedunt, restituunt „. Et in Menæis, narrantur quædam miracula, Synaxario subjuncta. Syris vocatur ܡܪܝ ܫܠܝܛܐ *Mar Scialita*, idest, *Sanctus Præfectus*: Dux enim, ut modo dicebam, & Præfectus Augustalis erat Alexandriæ Ægypti, sub Constantio, & a Constantino Magno in Patriciorum numerum adscriptus: sub Juliano autem Apostata, martyrium subiit Antiochiæ. De eodem Latini in Martyrolog. Rom. hac eadem die. Tabulæ Capponianæ eum repræsentant habitu Ducis militari. Ita & Papebrochianæ, sed barba rotunda, & dextera Crucem tenentem, læva expansa. In Basiliano Menologio, item barbatus depingitur, & stans, collumque carnifici decollaturo porrigens. Acta Græce, μετὰ τὴν τοῦ κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν εἰς οὐρανὸν ἀνάληψιν, Lambec. tom. 8. pag. 252. 259. 262. Latine apud Lipom. Tom. 6. & Sur. 20. Octobr. Alia auctore Joanne Monacho, Græce, τὰ τοῦ μεγάλου καὶ ἐνδόξου Μάρτυρος, Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 58.

Fasti Papebrochiani hac die 20. Octobris, Sancto Artemio Martyri addunt *Cleopatram*, de qua hæc Papebrochius. „ Cleo- „ patra Sanctimonialis. Suum ante se filiolum nobiliter vesti- „ tum hic habet. Sed quæ sit, & cujus, necdum comperi, „ ac ne aliquam quidem ejus nominis Sanctam in hactenus vi- „ sis Græcorum Fastis. Quid autem si Martyrium fecerit cum „ prole sub Batyro Russiæ tyranno, & indigena sit „? Culcinius eam inter Sanctos Ruthenos recensens ad 20. Octobr. Par. 1. pag. 54. „ De hac Sancta [inquit] nil invenio in meis „ libris: sed laudo conjecturam Papebrochii, ipsam forsan „ passam martyrium cum prole, non sub Batyro, sed sub Bat- „ to Tartarorum Duce, qui deprædatus est Russiam ann. 1241. „ & sequent. „ Pictura repræsentat Cleopatram cum corona virginea in capite, habitu Sanctimonialium, crucem manu dextera tenentem, sinistra expansa; ante se habentem filiolum nobiliter indutum, cruciculam etiam manu tenentem. Eodem, ac Cleopatra, habitu depictæ cernuntur hoc eodem men-

mense, die 28. *Neonilla*, & *Parasceuia*: die 29. *Anastasia*: die 30. *Zenobia*: mense Julio, die XII. *Euphemia*, die XV. *Julitta* cum filiolo Cyrico: die XXII. *Maria*: die 25. *Anna*. e quibus nonnullæ moniales, uti Parasceuia: aliæ virgines & martyres, uti *Neonilla*, *Anastasia*, *Euphemia*, aliæ nec virgines nec martyres, nec sanctimoniales, uti *Anna* mater Deiparæ *Julitta*, *& Maria Magdalena*. Igitur ex habitu, quem Cleopatra gestat, nihil certi posse colligi videtur, utrum Monialis fuerit, an martyr.

XXI.

Hilarion Magnus.

De eodem uterque Codex Vaticanus: Possevinus: *Sancti Patris Hilarionis*: utrumque Menologium Græcum, & Martyrologium Romanum hac die. Baronius in not. ex S. Hieronymo colligit, eum obiisse anno Chr. 372. quum S. Antonius ex hac vita migraverit anno 21. Constantii Imp. hoc est anno inchoato Christi 358. & S. Hilarion post Antonii obitum superfuerit annos 15. adeoque perspicuum est, ipsum pervenisse ad annum Domini 372. jam fere absolutum. Patriam Tabatham habuit, qui erat Palæstinæ vicus, haud procul ab urbe Gaza: hinc in utroque Græco Menologio, in Gaza Palæstinæ urbe natus dicitur. Basilianum Menologium pag. 132. *μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἱλαρίωνος πρεσβυτέρου γενομένου, καὶ ἀναχωρητοῦ τῆς ἐρήμου*, *Commemoratio S. P. N. Hilarionis Presbyteri*, *& Anachoretæ*. Presbyterum fuisse Hilarionem, præter hanc Menologii Inscriptionem, colligitur etiam ex Imagine ejusdem in Tabulis Papebrochianis, ubi sub Monachi habitu, stola e collo pendens cernitur. In Basiliano depictus est admodum senex genibus flexis spiritum Deo reddens. Tabulæ Capponianæ eum repræsentant cum volumine explicato in manu sinistra, in quo scriptum aliquod: Id fortasse indicat, Monasticum institutum ab hoc S. Hilarione in Palæstina & Syria, inque Cypro insula, originem duxisse. Marmor Neapolitanum hac die: *Nat. S. Hilariu.* nimirum, Hilarionis: nam Græci quoque promiscue habent *Hilarium*, & *Hilarionem*. Sic in Basiliano Menologio ad 4. Maji *Hilarius* Thaumaturgus dicitur, qui in Menæis Græcis *Hilarion*. Præter Latinam S. Hilarionis vitam a S. Hieronymo conscriptam, exstant Acta Græca. Primo, τοῦ

Μακα-

Μακαριωτάτου καὶ φίλου Θεοῦ Ἱλαρίωνος, auctore incerto. Vide Tillemont. Tom. 7. pag. 562. Secundo, Ἱλαρίωνος τοῦ θαυμασίου ὁ βίος ὑπόθεσις, MSS. in Bibl. Coislin. pag. 185. Tertio, ἐν παλαιστίνῃ πόλις ἐστὶν οὐκ ἔλαττον ἢ πέντε καὶ τεσσαράκοντα σταδίους ἀπέχουσα Γάζης, Lambec. tom. 8. pag. 252. 259. 262. Latine apud Lipom. tom. 6. ad 21. Octob.

Fasti Papebrochiani præter Hilarionem Abbatem, qui *Veliki*, idest, Magnus, inscribitur, addunt alterum Hilarionem Episcopum, his verbis: *Illaryon Episkop*, Hilarion Episcopus. Papebrochius: „ Hilarion Episcopus Mehlensis. Ita nos do„ cuit R. P. Ohilewicz, & in Moscovia eum esse Episcopa„ tum scripsit. Restat, ut ejus ætatem, vitæque historiam „ nos doceat aliquis. Torquet etiam me, quod Mehlensis „ Episcopatus in Russia vestigium hactenus nullum inveniam, „ nec urbem, cujus nomen huc accedat „. Culcinius numerat quidem hunc Hilarionem inter Sanctos Ruthenorum proprios; de patria tamen, & Episcopali urbe incertum se esse fatetur Par. 1. pag. 55. ad diem 21. Octob. his verbis. „ De „ S. Hilarione Episcopo Mehlensi, Ruthenusne, an Serbus, „ vel Bulgarus fuerit hic Sanctus Episcopus, non habeo hic „ & nunc unde discam: nam meum Anthologium habet tan„ tummodo de ipso tale Troparium. „ Magnis virtutibus illu„ stris, Monachorum coetus rexisti, Pontificalem Sedem pur„ gasti, hæreticorum impetus repressisti, Christo dicatas do„ mos erexisti, o Sancte Hilarion: post obitum vero tuum, in„ tegrum & incorruptum mansit corpus, funditque curationes „ infirmis, ac dæmones propellit. Tu ergo impetra apud Deum „ salutem æternam animabus nostris. *Item Contacium*. Prout „ lucifera comparuit Pontificis commemoratio, illico tenebras „ somnolentiæ pepulit, lucemque attulit donorum cælestium, „ omnes convocans ad festum. Tu, o Hilarion, invenisti gra„ tiam apud Deum, quum extiteris Monachorum optimus Insti„ tutor „. In Græcorum Menæis Hilariones tres Monachi commemorantur, præter magnum illum Palæstinum: nimirum die 4. Maji *Hilarion* Monachus Thaumaturgus, qui in Basiliano Menolog. Par. 3. pag. 84. *Hilarius* dicitur; & die 6. Jun. *Hilarion* alter, qui appellatur νέος ἡγούμενος δαλμάτων, *novus Hegumenus Dalmatarum*, & die 28. Martii *Hilarion*, item νέος ἡγούμενος

μειος μονῆς τῆς πελεκήτης, *novus*, *Abbas Monasterii Pelecetes*, de quo & Basilianum Part. 3. pag. 33. sed horum nemo Episcopus fuisse legitur.

Codex noster Slavicus, præter S. P. N. Hilarionem, habet hac die 21. Octob. sic: *Sanctorum Martyrum Dasii, Caji, & Zotici:* de quibus in Menologio Græcorum: *Eadem die SS. Martyrum*, Γαΐου, Δασίου, καὶ Ζωτικοῦ, *Gaii, Dasii & Zotici*. De quibus & Martyrol. Rom. ad eandem diem: „ Nicomediæ natalis SS. Dasii, Zotici, Caji, & aliorum XII. „ militum, qui post diversa tormenta in mare demersi „ sunt.

XXII.

Abercius Hierapolitanus. Septem Pueri, qui Ephesi.

Codex uterque Vaticanus Ruthenicus, *Abercii Episcopi*, tantum. Ita & Possevinus, licet pro Abercio, perperam habet: *S. Martyris Arecbmi*. Tabulæ Papebrochianæ addunt *Joannem* sic. *Averkiy*. *Joan. Sedm Otrok*, *Ize Vo Efesi Spasfa*. *Albercius*. *Joannes*. *Septem pueri*, *qui in Epheso dormierunt*. Menologium Græcum hac die de Abercio Hierapolis Episcopo, deque septem pueris Ephesi. At in Basiliano Abercius hac die, septem pueri ad diem sequentem, hoc est 23. Octobris. Romanum vero Martyrologium, de Pueris, qui Dormientes dicuntur, die 27. Julii; de Abercio, hac eadem die 22. Octobris. Tabulæ Capponianæ repræsentant Abercium cum mitra Græca in capite, barbatum, pallio indutum, & læva librum tenentem, dextra benedicentem. Pueros autem stantes in spelunca juxta Ephesum urbem, & Imperatorem Theodosium ad eorum pedes provolutum. In Menologio Basiliano pag. 137. depinguntur, in spelunca dormientes. Papebrochiani Fasti, illos exhibent stantes, Theodosium Imperatorem admodum juvenem genua flectentem, Episcopum Ephesinum post Imperatoris terga stantem & obstupescentem. Ad latus speluncæ dextrum designatur numerus annorum sic: τοβ'. 372. Papebrochius. „ Resuscitatio VII. Puerorum in „ Epheso Dormientium CCCLXXII. annis. Ita Belgicus Inter„ pres, & hunc annorum numerum exhibent literæ τοβ'. con„ sonant autem huic numero Acta, eoque ipso quam sint fa„ bulo

„ bulosa deprehenditur. Decius enim, sub quo inclusi fue-
„ runt, anno vulgaris æræ 249. regnare cæpit; & Theodosius
„ junior, sub quo dicuntur evigilasse, ultra annum 450. non
„ pervenit. Imperatori in hac tabella Ephesinus Episcopus
„ adstat, *Maro*, vel *Marinus* (*a*) nuncupatus. Magis inter
„ se discrepnat nomina Sanctorum, in Græcis Latinisque MSS.
„ relata. Cur autem bis commemorentur a Græcis, hac sci-
„ licet die, & supra IV. Augusti, me latet: æque ac ratio ob
„ quam Latini diem 27. Julii iis sacrum habent „. Addere potuisset & Basilianum Menologium, in quo ad 23. Octobris dumtaxat coluntur, & Syrorum Ritum, qui diem 7. Martii iis sacrum habent. Vide quæ de his Sanctis Dormientibus ex S. Jacobo Sarugensi notavi Tom. I. Bibl. Orient. pag. 335. & seq. Acta Græce, Βασιλεύοντος Δεκίου, Lambec. tom. 7. pag. 375. Latine apud Sur. 27. Julii. Abercii vero, Græce, Μάρκου Ἀντωνίνου, καὶ Λουκίου Βήρου, Lambec. tom. 8. pag. 253. 259. 262. Latine apud Sur. ad 22. Octob. & Lipom. tom. 6. Alia ejusdem Abercii, Græce, οὐκ ἀγώνων ἐνστάσεις μόνον μαρτυρικῶν, Bibl. Coislin. pag. 185.

Quis vero sit *Joannes* Monachus, quem Fasti Græcomoschi inter Abercium & Septem Pueros ponunt, quærit Papebrochius, inquiens. „ Joannes Monachus. Si non est aliquis
„ indigenarum [quod verosimilius censeo] fortassis est *Cho-*
„ *zebita*, quem Græci commemorant ad 28. hujus. Vitam
„ ejus propriam, siqua scripta extat, optamus nancisci, feli-
„ citate simili, qua invenimus Vitam *S. Georgii Chozebitæ*
„ dandam VIII. Januarii in supplemento, quando etiam ali-
„ qua istius S. Joannis notitia ex ipsa forsan eruetur „. Ita Papebrochius. At certiora Culcinius de hoc Joanne: sic enim habet Par. 2. pag. 101. ad 22. Octobr. „ Joannes monachus,
„ qui hac die inseritur indiculo Sanctorum Ruthenorum a Pa-
„ pebrochio, non est alius, nisi Rylensis, quem die 19. men-
„ sis præsentis commemorant mei libri, ex quibus & ego jam
„ ipsum laudavi in prima Parte ad diem præfatam „. Et Par. I. pag. 54. ad XIX. Octobris de Sancto Joanne Rylensi Monacho:
„ Fuit is [inquit] Serbus aut Bulgarus, ut indicant mei Li-
„ bri,

a Non *Marinus*, sed *Memnon*, & post ipsum *Stephanus* ab anno 431. ad 451. fuere Episcopi Ephesini.

„ bri, quem Tabulæ figuratæ apud Papebrochium ponunt sub „ die 22. mensis præsentis, quem & ego indici Sanctorum „ Ruthenorum insero, utpote indigenam, quia Slavum: & „ quamvis de ipsius Actis non habeam nunc quidquam dicen- „ dum, appono tamen ex meo Anthologio Troparium tale. „ Pœnitentiæ basis, contritionis imago, religiosæ perfectionis „ speculum extitit tua Vita Angelica, o Sancte; orationibus „ enim, jejuniis, ac planctui, semper operam dedisti. Ora „ Pater Joannes Christum Deum pro animabus nostris. *Item* „ *Contacium*. Angelos vitæ puritate imitatus, o Sancte, cun- „ cta terrena calcasti, & ad Christum confugisti, cujus præce- „ ptis armatus, tamquam inconcussa columna, tartareas in- „ vasiones non horruisti. Inde dicimus tibi: Gaude, o pater „ Joannes, o lumen præclarum.

XXIII.

JACOBUS FRATER DEI.

Codex uterque Vaticanus & noster Slavicus: *Jacobus Apostolus frater Dei*. Possevinus: *S. Apostoli Jacobi*. Fasti Græcomoschi: *Jacobus*. Menologium Græcum utrumque: *τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος καὶ Ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου*: *Sacrosancti Martyris & Apostoli Jacobi, fratris Dei*. Nam Græci hunc Jacobum distinguunt a Jacobo Alphæi, & a Jacobo Zebedæi: neque in numero XII. Apostolorum collocant; sed asserunt ipsum „ primum Hierosolymorum Episcopum ab „ ipso Christo ordinatum, primumque ab eodem edoctum, „ Liturgiam divinam conscripsisse, quam postea Basilius Ma- „ gnus, & post hunc Chrysostomus, hominum infirmitati con- „ sulentes, conciliorem reddidere. Quum autem multos „ Judæorum Græcorumque docendo ad Dominum convertis- „ set, a Judæis fuisse comprehensum, atque e templi fastigio „ deturbatum, & fuste enecatum „. Cur autem *Frater Dei*, ἀδελφόθεος, dictus sit, hanc causam reddunt *ἐκ παραδόσεως*, ex libro Traditionum: nimirum. „ Quum Joseph Sponsus „ terras suas ex priore conjuge filiis divideret, velletque par- „ tem Sanctæ Virginis filio & Deo tradere; alii quidem mini- „ me assensere; Jacobus vero in suam illum partem cohære- „ dem accipiens, non modo Dei frater, verum etiam Justus „ est inde appellatus „. Antiqua fabula. Cæterum, hunc

S. Jacobum & unum ex XII. Apostolis fuisse, & a S. Petro ordinatum Hierosolymis Episcopum, ex Clemente Alexandrino refert Eusebius hist. lib. 2. cap. 26. Joannes Chrysostomus in Joann. homil. 84. & alii. Quod autem a Jacobo Alphæi non sit diversus, ostendit Baronius in Annalibus. Tabulæ Capponianæ repræsentant Jacobum habitu Pontificali, læva librum clausum tenentem, idest, *Epistolam*, & Divinam Liturgiam. Papebrochianæ, pallio & tunica indutum, dextera expansa, sinistra pallium elevantem. Menologium Basilianum pag. 135. e Templi pinnaculo deturbatum, fullonis fuste in capite percussum. De Sancto Jacobo Adelphotheo, Græce, *χθὲς καὶ τρώην ὁ μακαριώτατος*, Nicetas Paphlago: Latine & Græce in Auctar. noviss. Combefis. Tom. 1. pag. 372. Acta Græce, *οὐχ οὕτω ἡδύ τι τῷ φιλαρέτῳ*, apud Lambec. tom. 8. pag. 253. 259. 262. Græce & Latine in Actis Sanctor. Tom. 1. Maji pag. 735. & Latine apud Lipom. Tom. 6. & Sur. 1. Maji.

XXIV.

Martyr Arethas et Socii.

Ita & Codex Secundus Vaticanus. At primus cum nostro Slavico silet. Possevinus pro Aretha, perperam: *S. Patris Avertii*. Utrumque Menologium: *Τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Ἀρέθα, καὶ τῆς συνοδίας αὐτοῦ*, *S. Magni Martyris Arethæ, & Sociorum ejus*. De eodem Martyrologium Romanum hac die. Marmor Neapolitanum: *P. S. Aretha*: idest, passio Sancti Arethæ. Acta Græce, *ἔτος μὲν ἤδη πέμπτον ἐνειστήκει τοῦ εὐσεβοῦς Ἰουστίνου*, Lambec. tom. 5. pag. 130. 132. & tom. 8. pag. 254. 260. 262. Latine apud Lipom. tom. 6. & Sur. ad 24. Oct. Vide quæ a nobis sunt adnotata Tom. 1. Bibl. Orient. a pag. 358. ubi de SS. Martyribus Homeritis. Tabulæ Capponianæ Aretham exhibent cum quatuor Sociis. Basilianum Menologium, eundem a Carnifice decollatum; hinc vero unum, inde plurimos alios ligatis ad tergum manibus Martyrium expectantes. In Papebrochianis fastis solus Arethas senex barbatus, tunica & pallio indutus, capite nudo repræsentatur, capillis attonsis, crucem dextra gestans, læva expansa.

Additur in iisdem Papebrochianis Fastis *Athanasius*, habitu Patriarchali; idest cum mitra in capite, Dalmaticæ Pallio superimposito, & pendente e latere dextero supergenuali

cruce

cruce insignito, barba prolixa, læva librum tenens, dextera eundem commonstrans; de quo Papebrochius. „ Athanasius „ Metropolita. Hoc saltem vestis indicat; sed inter Kiovien„ ses, quos Kojalowicz nominat, nullus sic dictus inveni„ tur. Difficile est autem inter Patriarchas, alios ejus nominis, „ quam Alexandrinos invenire: quorum primus ac celeberri„ mus cur hic dicatur poni, nulla apparet ratio „. Accedit, quod S. Athanasius Alexandrinus in iisdem Fastis Græcomoschis ad diem 2. Maji, aliter depictus cernitur. Culcinius Par. 2. pag. 101. ad 24. Octobr. hanc adnotationem ponit. „ Martyri Arethæ subjungunt mei Libri hac die Athanasium Pa„ triarcham Constantinopolitanum, qui claruit circa an„ num *362*. Hinc ipse non spectat ad Sanctos Ruthenos, e „ quorum indice eradendus. Adest in Anthologio de eodem „ Sancto Troparium, & Contacium „. Verùm ad annum Chr. *362*. non Athanasius, sed Eudoxius Patriarcha CP. erat, idemque Arianus: nullus autem Athanasius Ecclesiæ Constantinopolitanæ Patriarcha præfuit, ante annum 1289. quo anno Athanasius cognomento Macedo die 14. Octobris in locum Georgii Cyprii abdicare se coacti substitutus, varia fortuna eam sedem tenuit usque ad annum 1310. uti fuse narrat Fabricius in Biblioth. Græc. Tom. *6*. a pag. *582*. ubi ejus scripta enumerat: & pag. 741. in conspectu Chronologico Historiæ Constantinopolitanæ. Ut omittam Athanasios juniores, qui post depictas Ephemerides Græcomoschas vixere, nimirum, Athanasius Patellarius, Cretensis, Metropolita Thessalonicæ anno *1633*. & *1653*. & Athanasius Rhaidesti post ann. *1671*. de quibus idem Fabricius Tom. cit. pag. 748. & seq. Quamobrem aut dicendum est, a Russis intelligi S. Athanasium Episcopum Tarsensem, qui in Menologio Basiliano colitur ad 22. Augusti, & S. Anthusam, servosque ejus Neophytum & Charesimum baptizasse dicitur, Valeriani Imp. temporibus, cujus Acta extant Græce in codice noni seculi, Bandurio teste pag. 648. & apud Lambecium tom. 8. pag. 209. Initium; *ἦν τις Ε'πίσκοπος ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις*: de quo & Martyrologium Romanum agit ad eand. diem 22. Augusti. Aut affirmandum, erraffe Moschum Pictorem in hujus Patriarchæ nomine inscribendo: ac pro Athanasio reponendum *Proclus*: nam

Græci

Græci in utroque Menologio hac die agunt de S. Proclo Patriarcha Constantinopolitano, cum hoc Elogio. „ Sanctus Pater „ noster Proclus, pietate, sapientia, & virtute insignis, a „ Sisinio Patriarcha CP. Episcopus Cyzici creatus, neque a „ clericis Cyzicenis, quippe qui hæretici erant, receptus, „ Constantinopolim rediit, ibique dies egit, sibi ipsi & lectioni „ vacans. Defuncto autem Maximiano Patriarcha, quum ejus „ reliquiæ adhuc in SSmæ & magnæ Dei Ecclesiæ sacrario ja„ cerent, in ejus locum Patriarcha Constantinopolitanus „ electus, in throno collocatur in majori hebdomada, fe„ ria v. salutaris passionis D. N. Jesu Christi. Quumque post „ ordinationem præclare se gessisset, multisque doctrina sua „ profuisset, exactis in Episcopatu annis duodecim ac tribus „ mensibus, in pace quievit „. De eodem agunt & Latini hac die 24. Octobr. Inter plurimas autem ejusdem S. Procli egregias lucubrationes, celeberrima est epistola ad Armenos de fide catholica, quam indicare videtur liber quem sinistra manu gestat. Sic vero depingitur in Menologio Basiliano pag. 140. Habitu Pontificali cum Pallio indutus, jacet in Ecclesia feretro superimpositus accensis ad caput hinc inde duabus candelis.

XXV.

MARCIANUS.
MARTYRIUS.

Vacant hac die Codices Vaticani. Vacat & Possevini Calendarium: unde habet: *deest*. Menologium utrumque Græcorum: *τῶν ἁγίων Μαρτύρων καὶ νοταρίων Μαρκιανοῦ καὶ Μαρτυρίου*, *SS. Martyrum & Notariorum Marciani & Martyrii*. Martyrologium Romanum ad eandem diem. Kalendar. Russo-Moscoviticum; *S. Mart. Marciani*. Tam in nostris, quam in Papebrochianis fastis, Marcianus depingitur ut senex barbatus, Martyrius ut juvenis, uterque tamen habitu laico; quamquam Martyrius Subdiaconus fuerit, & Marcianus cantor. Martyrium SS. Marciani & Martyrii Notariorum, sub Constantio, Græce *ἐπεχωρίαζε μὲν καὶ πρότερον ἤδη τὸ τῶν Ἀρειανῶν δόγμα τῇ Ῥωμαίων ἐπικρατείᾳ*, apud Lamb. tom. 8. pag. 254. 260. 262. & in Bibl. Coislin. pag. 211. Lat. apud Lip. Tom. 6. & Sur. 25. Oct. Alia Acta Græcè MSS. in Bibl. Coisl. p. 185. incipiunt, *Ἀγώνων ἱερῶν ἀθλητοὶ καὶ λαμπρὰς*.

Addunt Papebrochianæ Ephemerides *Abraham* monachum,

chum, cum cucullo ad humeros reducto, & habitu Presbyterali. De quo hæc Papebrochius. „ Dum quis, aut cujas sit, „ ignoratur, poterit usque ad distinctiorem notitiam inter „ indigenas collocari, & interim illa alicunde submittenda „ sperari „. Culcinius silet, quamquam in Inscriptionibus pag. 92. ad diem 25. Octob. disertum Abrahæ nomen apposuit: sic: ***Marcianus. Martyrius. Abramius***. Fortasse in Anthologio Ruthenico, nihil reperit hac die de Abramio. Et nulla quidem de Abramio mentio, hac die, in Menologiis Græcis: sed ad diem 29. hujus mensis expresse commemoratur *Sanctus Pater noster Abramius*, Presbyter ordinatus, dequo infra sermo erit. Itaque existimo Pictorem Moschum oscitanter hic obtrusisse Abramium illum, quem Græci ac Russi colunt die 29. Octobris. Quamquam enim idem Pictor ad eandem diem 29. Octobr. iterum Abramium depinxit, erravit tamen secundo, dum eum Episcopali habitu repræsentavit: uti postea dicam. Nec mirari debes, quod Moschus Pictor in fastis Papebrochianis sæpe allucinatus sit: nam & in Capponianis Tabulis, uti supra vidimus, idem Cosmas bis ponitur. Codex noster Slavicus, præter SS. Marcianum, & Martyrium, ponit ad hanc diem, *Paulum Confessorem*, *Nestorem Thessalonicen. Martyrem*, *Varum martyrem*, *& septem socios*: & *Vari* quidem memoria a Græcis colitur in Menol. ad 19. hujus; *Nestoris* autem ad 27. uti mox dicam. De Paulo vero confessore, dixi supra ad 2. Septembris.

XXVI.

DEMETRIUS.

Ita & Codex uterque Vaticanus, & noster Slavicus, & Possevinus, & Fasti Papebrochiani, & Menologium utrumque Græcorum. Latini vero ad diem 8. Octobris. Habitu Proconsulari ubique depictus est. Thessalonicæ enim Proconsul fuit. Marmor Neapolitanum ad hanc diem 26. Octobr. Nt. *S. Dimitri*, hoc est *Natalis S. Demetrii*. Martyrium S. Demetrii auctore Metaphraste Græce, *ἄρχει μὲν τὰ Ῥωμαίων σκῆπτρα Μαξιμιανὸς ὁ Ἑρκούλιος*, Lambec. tom. 8. pag. 225. 254. 260. 262. Latine apud Lipom. Tom. 6. & Sur. ad 26. Octobr. Auctore incerto, Græce, *ὅτε Μαξιμῖνος ὁ Βασιλεὺς ἐν τῇ Θεσσαλονικέων* in Bibl. Coisl. pag. 185. Latine Ana-

stasio

ſtaſio interprete in Mabillon. Analectis Tom. 1. pag. 66. De ejus miraculis Nicetas Archiep. Theſſalonicen. εἰς τὸ τῶν θαυμάτων πέλαγος καθεῖναι, Cod. Barocciano 131. Narratio miraculor. Μαριανός τις ἀνὴρ τῶν ἐν γένει. Bibl. Coisl. pag. 185. Vita, Μαξιμιανὸς ὁ καὶ ἑρκύλιος ὑποτάξας γένθυς. Ibid. pag. 185. 195. Miraculum S. Demetrii in liberata ab obſidione Barbaror. Theſſalonica, Καιρὸς δὴ λοιπὸν, Allat. de Simeonibus pag. 95. Encomia in S. Demetrium, vide apud Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 71. & ſeq.

XXVII.

NESTOR.

De eodem Codex primus Vaticanus, Poſſevinus, Faſti Papebrochiani, & Menologium Græcum hac die. Baſilianum die antecedenti una cum S. Demetrio. Latini die 8. Octobris cum eodem. Codex ſecundus Vaticanus cum noſtro Slavico de Neſtore; Papebrochius ,, Neſtor Megalomartyr, De- ,, metrii ſocius, nec aliunde forſitan, quam ex hujus Actis ,, notus; propria ſaltem Acta, quæ innotuerint, nulla habens. Habet tamen Synaxarium proprium in utroque Menologio.

XXVIII.

TERENTIUS.

NEONILLA.

STEPHANUS SABAITA.

De Terentio, ejuſque uxore Neonilla, ac ſeptem filiis, Menologium Græcum, & Faſti Græcomoſchi hac die. Poſſevinus ſolum Terentium nominat, ſic, *S. Martyris Terentii.* Codices Vaticani cum noſtro Slavico ſilent. Menologium quoque Baſilianum, & Martyrologium Romanum, illos omittit. Papebrochius :,, Terentius, Neonilla, conjuges martyres. Eſt ergo a ,, Terentio Africano Epiſcopo, quem hoc die Græci primo loco ,, colunt cum ſociis, ut vidimus in metrico; eſt, inquam, ,, ab eo diverſus, qui in Menæis poſt ipſum memoratur Neo- ,, nillæ maritus, & ſeptem martyrum ex ea pater: cujus Acta ,, ſi extitiſſent, extitiſſet etiam loci ac temporis notitia cer- ,, tior in epitome brevi, quam Menæa continent ,, . Bene ait Papebrochius, Terentium hunc Neonillæ conjugem, ſeptemque martyrum patrem, eſſe diverſum ab altero Terentio, quem Græci hac die colunt: quo de Terentio hoc metrum idem Papebrochius recitat, ad hanc diem 28. Δει-

Δουρὶ ὀγδοάτῃ γε Τερέντιος εἰκάδι τμήθη
Vicena octava dat colla Terentius ensi.

& addit. „ Cum sociis in Africa sub Decio passus, colitur a „ Latinis x. Aprilis: quando cupiebamus Acta etiam Græca „ dare; sed ex codice MSS. Venetæ Bibliothecæ, in quo ipsa „ inveneramus, nunquam potui obtinere, quantumcumque in„ stiterim „. Bene, inquam, hoc dicit de Terentio: verum graviter allucinatur vir doctus, dum Terentium vocat Africanum *Episcopum*. Neque in Menologio Græco, neque in Martyrologio Romano, is Terentius Episcopus dicitur. Verba Menologii hac die sunt: *τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀφρικανοῦ, Τερεντίου, Μαξίμου, πομπηΐου, καὶ ἑτέρων τριάκοντα ἕξ.* „ Sanctorum martyrum Africani, Terentii, Maximi, Pompeii, & „ aliorum triginta sex „. Eorundem martyrum occurrit iterum memoria in Menæis Græcis ad diem x. Aprilis, cum eodem Synaxario, & hac epigraphe: *τῶν ἁγίων μαρτύρων Τερεντίου, Ἀφρικανοῦ, Μαξίμου, Πομπηΐου, καὶ ἑτέρων τριάκοντα ἕξ, τῶν περὶ τὸν μακάριον Ζήνωνα καὶ Ἀλέξανδρον καὶ Θεόδωρον:* „ Sanctorum „ Martyrum Terentii, Africani, Maximi, Pompeii, & alio„ rum triginta sex, sociorum beati Zenonis, & Alexandri, & „ Theodori „. Utrobique Terentius cum sociis, titulo Episcopi caret; utrobique passus dicitur in Africa sub Decio Imp. & Fortuniano seu Fortunato Præfecto. Eorumdem Africanorum martyrum commemoratio peragitur in Menologio Basiliano ad diem 10. Aprilis, nec non in Martyrol. Rom. ad eandem diem, his verbis: „ In Africa Sanctorum Martyrum Terentii, „ Africani, Pompeii, & sociorum, qui sub Decio Imperatore & „ Fortuniano Præfecto virgis cæsi, equuleis torti, aliisque sup„ pliciis cruciati, demum capitis obtruncatione martyrium „ compleverunt. Hinc metrum Græcum apud Papebrochium

Φασγάνῳ δεκάτῃ ὁ Τερέντιος εὕρατο τέρμα.
Per gladium decima finem sortire, Terenti.

Et nota ipsius Papebrochii: „ Passus est in Africa sub „ Decio cum pluribus sociis. Acta dedimus ex Lipomano: „ contextum Græcum, unde Latine reddita sunt, Venetiis „ invenimus, sed frustra petiimus nobis describi: quod adhuc „ ibi aut alibi fieri opto „. Et Baronius ad x. Aprilis: „ Græ„ ci etiam de his agunt hac die in Menologio; quorum Acta

„ recitat Metaphrastes, ex quo Lipomanus tom. 7. & Surius „ tom. 2. Scribit Theodorus Lector in Collectaneis lib. 2. „ horum Sanctorum Martyrum reliquias translatas esse Con- „ stantinopolim x. Kalend. Octobris, Theodosio juniore im- „ perante „. Quæ translatio in causa esse potuit, ut bis a Græcis colerentur; scilicet die x. Aprilis, qua passi sunt; & die 28. Octobris, qua sunt translati: fortasse enim pro v. Kalend. Novembr. obrepsit in Theodori Collectaneis, x. *Kalend. Octobris*, aut potius Græci in hanc diem ob aliam rationem ignotam festum transtulere. At Papebrochius nulla habita vel Menologii Græci, vel Martyrologii Romani ratione, Terentium Episcopum Africanum facit; nimirum ex duobus, qui erant Terentius & Africanus, sociis Martyribus, unum faciens Terentium Africanum, & de suo Episcopum adjungens. In Tabulis Capponianis, Terentius habitu Laici depingitur, & S. Neonilla tamquam Sancta Mulier. Tabulæ Papebrochianæ Terentium quoque ut Laicum repræsentant; sed Neonillam ejus Conjugem, septemque puerorum Matrem, habitu virgineo cum corona in capite: quæ est frequentissima Pictoris Moschi oscitantia.

In iisdem Papebrochianis Tabulis post Terentium & Neonillam additur hac die *S. Parasceva*, habitu virgineo & ipsa induta, cum corona seu mitra in capite, & Cruce gemina in manu dextra. Hæc est vel Parasceve, seu Praxedes, Polocensium Ducis filia, Monialis & Abbatissa, unacum sorore Euphrosyna Fundatrix Monasterii S. Salvatoris, quæ Romæ obiisse dicitur anno Christi 1239., & a Gregorio X. an. 1273. inter Sanctas relata: de qua supra diximus ad diem XIII. Octobris ex Culcinio Par. 1. pag. 56. & ex Papebrochio ad hanc diem 28. Octobris. Vel Parasceve altera, Iconiensis Virgo & Martyr, de qua legitur Synaxarium ab eodem Culcinio ad hanc diem 28. Octobris editum in Appendice pag. 97. Utram istarum intellexerit Pictor Moschus, qui unam certe, non duas Parascevias hoc loco depinxit; viderit Culcinius. Ego arbitror de Iconiensi potius picturam intelligi. Nam de hac, non de Polocensi, legitur hac die apud Ruthenos Synaxarium.

Ad S. Stephanum Sabaitam quod spectat, hujus Hymnogra-

graphi in Menæis Græcorum tantum commemo rationem coli videmus his verbis, in titulo: Τῷ αὐτῷ μηνὶ κή. τῶν ἁγίων Μαρτύρων Τερεντίου, καὶ Νεονίλλας, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Στεφάνου τοῦ σαβαΐτου. *Eodem mense, die 28. SS. Martyrum Terentii & Neonillæ, & S.P.N. Stephani Sabaitæ*. Et in titulo Synaxarii, post Martyres Africanos, post Terentium & Neonillam, post Firmilianum Episcopum Cæsareæ, & Joannem Chozebitam, his verbis. Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας φεβρωνίας, θυγατρὸς ἡρακλείου βασιλέως, καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Στεφάνου τοῦ σαβαΐτου, μαθητοῦ τοῦ ἁγίου σάββα. καὶ τοῦ ἁγίου Γερομάρτυρος Κυριακοῦ, τοῦ φανερώσαντος τὸν τίμιον σαυρὸν ἐπὶ τῆς Βασιλείας Κωνςαντίνου τοῦ μεγάλου, καὶ ἑλένης τῆς αὐτοῦ μητρός. „ Eodem die, Sanctæ Febroniæ, filiæ Heraclii Imperatoris, & „ S. P. N. Stephani Sabaitæ, Discipuli Sancti Sabbæ, & Sancti Sacromartyris Cyriaci, qui pretiosam Crucem manifestavit sub imperio Constantini Magni, & Helenæ Matris „ ejus „: Ubi solius Cyriaci Synaxarium legitur. Ejusdem Stephani Sabaitæ, recurrit memoria in Menæis Græcorum ad diem XIII. Julii, ubi & Discipulus Sancti Sabæ vocatur, his verbis: ἡ σύναξις τοῦ Ἀρχαγγέλου Γαβριὴλ. καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Στεφάνου τοῦ σαβαΐτου. „ Synaxis Archangeli Gabrielis, „ & memoria Sancti Patris nostri Stephani Sabaitæ: *ubi Papebrochius*: de utroque nihil habent Menæa, præter Canones. Nos ipsius Stephani Acta Græca prolixissima nacti, „ dolemus ea esse acephala, & libenter intelligemus alibi esse „ exemplum, unde noster defectus suppleri possit „. Tam vero ad diem 13. Julii, quam ad 28. Octobris, unius ejusdemque Stephani Sabaitæ Canones Græci canuntur. Tabulæ Papebrochianæ ad diem XIII. Julii, habent Stephanum hunc, Sabaitam, & Synaxim Gabrielis Archangeli. Nostræ Capponianæ pro Stephano ibi exhibent *Josephum*: Stephanum autem ad hanc diem 28. Octobris unacum Menæis Græcorum laudant. Cur autem Menæa bis de eodem Stephano agant, causam non reperio. Diversus est hic Stephanus Sabaita ab altero, quem Græci *Stephanum Juniorem* vocant, coluntque ad 28. Novembris in utroque Menologio: nam hic Junior propter sacras Imagines passus est sub Iconomachis: at vero Sabaita fuit Sancti Sabæ Discipulus, adeoque juniore Stephano longe antiquior.

tiquior. De juniore Stephano hæc Papebrochius ad 28. Novembris metrici.

Excussit Stephano vicina octava cerebrum.

„ Constantinopoli sub Copronymo id factum. Præter „ Acta exornata a Metaphraste, quorum merito locum accepit in hodierno Romano, habemus antiquiora ac proinde „ & meliora alia.

XXIX.

ANASTASIA.

SANCTUS ABRAMIUS.

Ita & Fasti Græco-Moschi. Possevinus, *S. Martyris Anastasiæ*, dumtaxat. Codices Vaticani cum nostro Slavico utrumque omittunt. De Sancta Anastasia Romana Virgine & Martyre, hac die Græci in Menologio: At Basilianum ad diem 12. hujus, & Martyrologium Romanum ad 28. Octobris, ubi Senior dicitur, ad distinctionem alterius Anastasiæ, quæ colitur ad 25. Decembris a Latinis; a Græcis vero ad XXII. ejusdem, ut infra dicemus. De Abramio vero Eremita, ejusque nepte Maria, Menologium utrumque hac die; Latini vero die 16. Martii.

Papebrochius ad hanc diem: „ Abrahamius Eremita, „ cum Maria nepte hoc die relatus a Græcis est. Latini co- „ lunt illos XVI. Martii, quando Acta Græco-Latine dedi- „ mus, alia ab iis quæ concinnavit Metaphrastes, quæque „ etiam Græce dari merentur in supplemento. Ostendimus „ enim ex his, eos non in Syria tempore S. Ephræm Diaconi „ Edesseni vixisse. Sed diu postea prope Hellespontum, vi- „ tamque ab Ephræmo aliquo, non Syro, sed Græco scriptam „ fuisse. Error autem Sculptoris Mosci fuit, quod huic Ana- „ choretæ circumposuerit Pallium Episcopale „. Capponiana & Basiliana pictura, Abramium exhibent habitu Monastico, cujusmodi revera fuit. Ad argumenta Bollandi, Pagii, & Papebrochii, qui contendunt, Abramium istum non in Syria tempore S. Ephræmi vixisse, sed diu postea prope Hellespontum, jam respondi Tom. I. Bibl. Orient. pag. 38. & 396. ubi demonstravi ex Chronico Edesseno anno Græcor. 667. Christi 356. claruisse, & ex Chiduna Mesopotamiæ vico haud procul ab Edessa ortum duxisse. Syrorum testimonio quoad hanc Ephræ-

Ephræmi Syri de Abramio ejusque nepte Maria narrationem, addi potest & Moschorum consensus: hi enim non alium agnoscunt, quam Abramium Syrum, & vitæ ipsius Scriptorem Ephræmum Syrum. „ Vide Codicem Ephræmianum Slavo„ nicum, impressum jussu Magni Domini Tzar, & Magni „ Principis Petri Alexiovicza, in Imperatoria Sede, magna „ urbe Moscua, an. (a) ab orbe condito 6210., a Nativitate „ Christi 1701. Indictione decima, mense Decembri „: cujus Codicis excerpta Latine & Slavonice exhibet Johannes Petrus Kohlius in libro, cui titulus: *Introductio in historiam & rem literariam Slavorum*, Altonaviæ anno 1729., ubi inter opera Sancti Ephræmi Syri, pag. 316. recensetur *Sermo* XLIX. hoc titulo inscriptus. Powiest o Swatiem Avramou. pag. 104. *Historia de Sancto Abramio*. Initium. „ Bratie moja cho„ schtschu vom powiedati Schitie dobro i Sowerschenno Mu„ scha diwna. Fratres mei, cupio vobis exponere vitam boni „ & perfecti viri admirabilem „. Quæ est ipsissima Græca Ephræmi Syri narratio de Beato Abramio ejusque nepte Maria in editione Oxoniensi pagin. 220., quam nuper Græce & Latine edidi Romæ in Typographia Vaticana. Græce incipit: Ἀδελφοί μου βούλομαι, edit. Oxon. pagin. 220. Græce & Latine apud Henschenium ad 16. Mart. Tom. 2. pag. 141. 436. Acta alia Abramii Confess. & Mariæ neptis ejus Græce Ἀνδρῶν φιλαρέτων Βίος, Lambec. tom. 8. pag. 255. 260. 266. & Bibl. Coislin. pag. 211. Latine apud Lipom. tom. 6. ad 29. Octob. & Sur. ad 16. Mart. Alia, ὁ περιβόητος ἐν ἁγίοις πατὴρ, MSS. Bibl. Coislin. pag. 185. Item alia, ὅπως ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Ἀβράμιος, Ibid.

XXX.

ZENOBIUS.

ZENOBIA.

Ita & Fasti Papebrochiani hac die; necnon Menologium Græcorum, & Martyrologium Romanum. At Menologium Basilianum, ad diem sequentem. Possevinus pro Zenobio & Zenobia, perperam habet: *S. Martyris Zenonis*. Codices Vaticani

a Mendum typographicum. Lege anno Mundi 7210. a quo anno si demantur anni 5508. (nam hoc Mundi annò natum volunt Christum Græci & Moschi:) supererit annus Christi 1701. Indictione x. mense Decembri.

ticani vacant. Tabulæ Capponianæ *Zenobium* exhibent habitu Episcopali; Zenobiam ejus sororem, habitu virgineo, nudo capite. Papebrochiana pictura capiti Zenobiæ mitram virgineam imponit. Acta Græce Αἰγαὶ πόλις ἐπὶ κόλπῳ μὲν τῷ Ἰσσικῷ κειμένη, Lamb. tom. 8. pag. 256. 260. 262. Bibl. Coislin. pag. 211. Latine apud Lipom. Tom. 6. & Sur. 30. Octobris. Alia in Bibl. Coislin. pag. 185. πόλις διάκειται ἐν τῷ κόλπῳ τῆς Κιλίκων. Codex noster Slavicus Zenobio & Zenobiæ addit: *Et memoria Cyriaci Patriarchæ, & S. Patris Pauli, Magni Jejunatoris*. Paulum intellige, primum, ut vocant, Eremitam, cujus vitam S. Hieronymus scripsit, de quo & Latini & Græci ad xv. Jan. De Cyriaco autem Patriarcha Constantinopolitano agunt Græci in Menolog. ad 27. hujus mensis.

XXXI.

STACHYS, ET RELIQUI.

AMPLIAS.

EPIMACHUS.

Tabulæ Papebrochianæ, *Epimachus*, *Stachys*, *Amplias*. Slavice, *Epimach. Stachiy. Ampliy*: quod postremum nomen putat Papebrochius a Moscho Pictore depravatum: *posterior nihilo melius in Tabula nostra Ammusplias scribitur*: fallitur tamen: nam *Ampliy* & scribitur & legitur. Vaticani Codices hac etiam die vacant. Possevinus in suo Calendario solum Stachym habet, quem perperam *Eustachium* vocat, sic. *Sancti Apostoli Eustachii*. Menologium Basilianum ad hanc quidem diem 31. Octob. ponit Sanctos Apostolos *Stachym*, *Ampliam*, *Urbanum*, & socios: ita enim a Græcis Apostoli vocantur non modo XII. sed etiam LXXII. eorumque discipuli; ad diem vero XXX. ejusdem mensis, *Epimachum*. At Menologium Græcum hac ipsa die 31. *Sanctos Apostolos Stachym*, *Ampliam*, *Urbanum*, *Aristobulum*, & *Narcissum*: necnon *Epimachum Martyrem*. Martyrologium Romanum hac eadem die: *Sanctorum Ampliati*, *Urbani*, & *Narcissi*, *quorum meminit Sanctus Paulus ad Romanos scribens*. Et addit de Stachy. „ Constantinopoli Sancti Stachys Episcopi, qui a B. Andrea Apostolo primus ejusdem Civitatis Episcopus ordinatus est „: *Aristobuli*, ad diem 15. Martii; *Epimachi* vero, unacum *Alexandro*, Martyrum Alexandriæ sub Decio, ad diem XII. Decem-

cembris. Nullus dubito, quin *Aristobuli* nomen in Menologium Græcum obrepserit loco non suo: nam in Basiliano quidem, & in Romano hac die non legitur; habetur autem expressa *Aristobuli* commemoratio in Basiliano ad 16. Martii; in Menologio Græco & Romano Martyrol. ad diem 15. ejusdem mensis. Tabulæ nostræ Capponianæ repræsentant *Stachym* & *Ampliam*, & alios duos, quorum nomen non est inscriptum; sed procul dubio ii sunt *Urbanus*, & *Narcissus*, quos Græci & Latini nominatim commemorant. Porro *Epimachus* iste, qui hodie a Græcis, & die 12. Decembris a Latinis colitur, diversus est ab Epimacho & Gordiamo, quorum memoria a Latinis peragitur 10. Maji; a Græcis die antecedenti; hi enim duo, Romæ passi sunt; at illi Alexandriæ in Ægypto, quemadmodum in utroque Græcorum Synaxario narratur. De Epimacho hujus diei 31. Octobris, hoc metrum Græce exstat in Menæis.

Πρώτῃ ἐν ξιακοςῇ Ἐπιμάχου αὐχένα κέρσαν.
Epimachi collum trigesima prima recidit.

Papebrochius: „ Martyr Pelusii in Ægypto, cujus habemus Græce scripta Acta, sicut hactenus Latine solum extant „. Baronius in not. ad XII. Decembris. „ De quibus [hoc est, de Epimacho & Alexandro sub Decio Alexandriæ passis:] hac die Beda, Usuardus, Ado, & alii; Græci autem de Epimacho agunt natalem diem pridie Kalend. Novembris; ejus vero translationem Constantinopolim factam recolunt v. Idus Martii. De utriusque certamine scribit Dionysius Episcopus Alexandrinus apud Eusebium hist. lib. 6. cap. 34. & alii ex prædicto auctore accipientes „. Marmor Neapolitanum ad 31. Octobris: *S. Martyr. Eraclii*, *Epimachi*; idest, Natalis S. Martyris Heraclii, & Epimachi. A Latinis colitur Heraclius cum Alexandro ad 22. Octob. Epimachus autem & Alexander [ut modo dicebam] ad 12. Decembris. Acta Epimachi Græce, *ἄρτι μὲν ἡ τῆς ἀσεβείας ἀχλύς*, Lambec. tom. 8. pag. 256. 260. 262. Bibl. Coisl. pag. 211. Latine apud Sur. ad 31. Octobr.

Ad calcem hujus mensis, nomen Pictoris sic exprimitur, *Pinxit Sergius Basilii filius.*

MEN-

MENSIS NOVEMBER.

I.

MARTYR DAMIANUS. COSMAS, EX ASIA.

CODEX Vaticanus uterque, Menologium Græcum & Basilianum, Fasti Græco-Moschi, & Possevinus in Calendario hac die: *Cosmas & Damianus*. Codex noster Slavicus: *Sanctorum Thaumaturgorum Anargyrorum Cosmę & Damiani*. Martyrol. Romanum ad XXVII. Septembris: „ Ægææ Na„ talis Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani fratrum, qui „ in persecutione Diocletiani post multa tormenta, vincula, „ & carceres, post mare, & ignes, cruces, lapidationem & „ sagittas divinitus superatas, capite plectuntur: cum quibus „ etiam referuntur passi tres eorum fratres germani, Anthi„ mus, Leontius, & Euprepius „. Baronius in notis ad diem 27. Septembris, unum par fratrum, Cosmam & Damianum, agnoscit, qui passi sint Ægææ in Cilicia sub Diocletiano unacum fratribus Anthimo, Leontio, & Euprepio: ac proinde Sanctos Medicos Arabes intelligit, ad quos referenda existimat quæcumque a Græcis & Latinis dicuntur de Sanctis, hoc nomine Cosmæ & Damiani insignitis. Tabulæ nostræ hac die post Damiani & Cosmæ nomina, addunt, ex *Asia*. Nam Græci tam in Menologio communi, quam in Basiliano ad diem 17. Octobris, 1. Novembris, & 1. Julii tria horum Martyrum paria colunt: *Arabes* scilicet, *Romanos*, & *Asiaticos*. Et Arabes quidem dicuntur sub Diocletiano passi Ægææ in Cilicia die 17. Octobris: Romani sub Carino Imp. die 1. Julii: Asiatici in pace quievisse in loco dicto Phareman hac die 1. Novembris. Synaxarium Græcum in utroque Menologio (*a*) ad diem 17. Octobris. „ Tria sunt Sanctorum Anargyrorum pa„ ria, qui & iisdem Cosmæ & Damiani nominibus appellati „ fuerunt, & medicinæ artem tractaverunt, & Anargyrorum „ cognomen habuerunt. Fuere enim alii Theodotæ religio„ sissimæ feminæ filii, qui in pace decedentes, in loco Phare„ man dicto sepulti sunt. [*Hi sunt Asiatici. Sequuntur Ro*„ *mani.*]

a Menol. Basil. Par. 1. pag. 124., & Menæa Græca ad 17. Octob.

,, *mani*.] Alii quum Romæ degerent, præceptorem invi-
,, dum habentes, per dolum ab eo in montem, quasi ad le-
,, gendas herbas, deducti, lapidibus obruti sunt. Alii, quo-
,, rum certamina [*die* 17. *Octobris*] enarrare instituimus,
,, Arabes fuere, qui terrarum orbem peragrantes, gratis &
,, sine pretio ægrotos curabant. Diocletiani vero temporibus
,, in Ciliciam profecti, & comprehensi, sistuntur Lysiæ Duci:
,, a quo variis tormentis excruciati, capite demum plexi sunt
,, una cum tribus qui eos prosequebantur fratribus, Anthimo,
,, Leontio, & Euprepio ,,. Hactenus Synaxarium. Hinc Pa-
pebrochius ad primam diem Julii Græcorum metrici. ,, San-
,, ctorum & prodigiosorum ac gratuitorum Medicorum Cosmæ
,, & Damiani, Romæ martyrium passorum. Romano Mar-
,, tyrologio & antiquis Latinorum Fastis ignotum hoc Sancto-
,, rum par esse, mirum profecto videri possit, quum & Musi-
,, va Romæ de iis supersint in Templis, & distinctissima horum
,, sub Carino, atque aliorum alibi sub Diocletiano passorum
,, Acta. Quin & tertium par Anargyrorum sic appellatorum,
,, qui Martyres non fuerint, invenitur: de quibus omnibus
,, insignem librum scripsit Simon Wagenereckius noster, eum-
,, que auctore mortuo absolvit & vulgavit Viennæ anno 1660.
,, Reinoldus Dehnius, etiam noster ,,. Et ad hanc diem 1.
Novembris, idem Papebrochius recitat metrum de SS. Cosma
& Damiano,

Excedunt prima; Medicorum lumina terris.

Πρώτῃ ἀκέστορε φῶτε Νοεμβρίῳ ἔκπαγον ἐκ γῆς.

Mox addit. ,, Cosmas & Damianus videlicet, non Romæ
,, passi sub Carino ad 1. Junii, (*a*) aut Ægææ in Arabia (*b*)
,, sub Diocletiano, quos Græci colunt (*c*) XVII. & XXVIII.
,, Octobris; sed Confessores in Asia, filii Theodotes, quo-
,, rum ab illo jam dicto gemino Martyrum pari, diversa
,, Acta Græco-Latine edita, sicut diximus, extant ,,. Ve-
rùm Fasti Ruthenici, duo tantum sanctorum Anargyrorum pa-
ria laudant. *Asiaticos* nimirum ad hanc diem 1. Novemb. &
Arabes ad 1. Julii. Ita codices Vaticani primus & secundus: Sla-

a Lege, *Julii*.
b Lege, *Cilicia*.
c Lege, XVII. *Octobris*, tantum.

vonicus noster: Tabulæ Capponianæ, & Papebrochianæ, & Calendarium Russo Moscoviticum, & Possevinus. Mirum, cur *Romanos* non agnoscant, quum eorum diserta mentio fiat non modo in Menæis, sed etiam in Menologio Basiliano, quod authenticum cum imagine & Synaxario horum sanctorum habemus in Bibliotheca Vaticana exaratum depictumque circa ann. Chr. 980. Sed magis mirum, quod Emus Baronius de Græcis loquens, eos dicat de Cosma & Damiano agere „ in Menologio ad Kalendas „ Julias, ac iterum ad XVI. Kalend. Novembris „ nulla facta mentione ejus solennitatis, quam iidem Græci celebrant de Cosma & Damiano ad *Kalendas Novembris*: quæ solennitas, ut modo vidimus, celebrior est, quam alia, quæ de ejusdem nominis sanctis agitur *ad* XVI. *Kalend. Novembris*. Nam hanc soli Græci agunt; illam vero & Græci & Rutheni.

Porro quum idem Baronius existimet, unum dumtaxat horum Sanctorum Anargyrorum par extitisse, idque Arabum Ægææ in Cilicia passorum; mirum non est, quod de Actis ipsorum sic scribat. „ Feruntur Acta ipsorum, Niceta quodam „ auctore conscripta. Extant apud Metaphrast. Kalend. No„ vemb. Sed erroribus scatent, longeque diversa a germanis „ sincerisque rebus gestis ipsorum Martyrum, sicut & ea, quæ „ inscribuntur nomine Metaphrastis, quæ cuncta recitat Li„ pom. & Sur. tom. 5. quæ quidem siquis tueri velit, neces„ se est affirmet illos diversos esse ab his, de quibus hic agi„ tur, quum ex illis constet, eosdem absque martyrio in pa„ ce quievisse. Rursus autem alia habentur horum Acta, ac „ trium fratrum ipsorum, Anthimi, Leontii & Euprepii, „ quæ ex vita manuscripta edita extant tom. 7. apud Sur. quæ „ parum differunt ab iis quæ Mombritius edidit tom. 1. quæ „ etiam in antiquis codicibus habemus manuscripta, mea qui„ dem sententia, ceteris fideliora: in his enim nihil habetur „ de ridicula illa & obstinata contentione inter eos, trium „ ovorum causa, oborta, sicuti nec de camelo voce humana „ loquente „. Fateor, hanc contentionem ridiculam esse, & fabulæ loco habendum quod de camelo voce humana loquente subjungitur. Verùm non satis accurate distinxit vir cæteroqui doctissimus Acta ab Actis. Nam ea quæ a Metaphraste Kalend. Novembr. edita sunt, differunt ab Actis, quæ ab eo

ad

ad Kalend. Jul. & ad XVI. Kal. Nov. recitantur. Prima (a) Acta ad Sanctos Anargyros Asiaticos spectant, in quibus contentio illa, trium ovorum causa, & Camelus voce humana loquens. Altera ad *Romanos* referuntur, qui a præceptore invido per dolum in montem adducti, lapidibus obruti dicuntur. Postrema Acta Anargyros Arabes respiciunt, quorum res gestas & Baronius laudat ut cæteris fidelius conscriptas, easque asserit summatim collectas ab Adone in suo Martyrol. & Aldelmo in lib. de laud. Virginit. narrari. An vero Anargyros Asiaticos, quorum hodie, idest Kalend. Novembris apud Græcos & Ruthenos fit commemoratio, ex eo extitisse negandum sit, quod in eorum Actis fabulosum quid obrepserit, Emo Baronio judicandum relinquo, qui in doctis suis ad Martyrol. Rom. adnotationibus, frequentissime gravissimos errores in Actis Sanctorum observat emendatque, quin tamen illos e Sanctorum catalogo ob hujusmodi errores expungat.

II.

ACINDYNUS.
PEGASIUS.
ELPIDEPHORUS.
ANEMPODISTUS.

Codex uterque Vaticanus Ruthenicus hac die vacat. Slavonicus noster: *S. Acindyni & sociorum ejus*. Fasti Papebrochiani habent: *Acindynus*, *Pegasius*. Possevinus in Calendario: *S. martyris Ancidini*, pro Acindyno. Græci in utroque

a Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 68. recenset Acta Græca, quæ ad SS. Cosmam & Damianum referuntur, tam qui Asiatici, quam qui Romani, & Arabes dicuntur. Sed concludit. „ De cætero parum videtur credibile quod in Menæis 27. Octob. traditur, tria fuisse paria Martyrum hisce nominibus, unum „ Arabum, alterum in Asia, tertium Romæ. Distinxi tamen his notis, *A S. Rom.* „ *Arab.* Et Acta quidem horum Martyrum, qui in *Asia* passi dicuntur Græce incipiunt: τῇ θαυμαστῇ δυάδι τῶν σοφῶν ἀναργύρων. Alia auctore Petro Argivorum Episcopo: Ἀστέρες μὲν αὐτοὶ τῷ στερεώματι προδεικνύμενοι. Alia auctore Niceta Philosopho: ὡς ἀγαπητὰ τὰ σκηνώματά σου, κύριε τῶν δυνάμεων. Alia auctore incerto: πάλιν ἡμῖν σήμερον ὥσπερ ἀστέρος ἐπιτολή. Alia auctore Metaphraste antiquiore: χάρις καὶ δωρεὰ ἰαμάτων. Alia auctore incerto: τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ βασιλεύοντος, πᾶσα πλάνη καὶ δαιμονικὴ λατρεία ἐλύθη. Alia auctore Georgio Nicomediensi: τὴν … , ὦ τῶν καλῶν ἐραστὰ, θαύμαζον. Latine apud Surium 27. Septemb. *Decet, ut omnium Sanctorum*. Confer Lambec. Tom. 8. pag. 263. & seq. & quæ in hos Sanctos Combefisius Bibl. concionator. Tom. VIII. pag. 180. Nec non syntagma historicum veterum Græciæ monumentorum de SS. Anargyris Cosma & Damiano, ab Allatio Roma transmissum, cum versione Sim. Vagnereccii, & Reinholdi Dehnii, notisque Vindobonæ 1660. 4.

que Menologio: ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων, Ἀκινδύνου, Πηγασίου, Ἀφθονίου, Ἐλπιδιφόρου, καὶ Ἀνεμποδίστου, *certamen Sanctorum Martyrum, Acindyni, Pegasii, Aphthonii, Elpidiphori, & Anempodisti*. De quibus in metro Græco.

Δωυπρὶν Ἀφθονίῳ καὶ τέσσαρσι πῦρ, ἄορ ἆθλος

Quatuor Aphthonio junctos necat ignis & ensis.

Quorum Acta (inquit Papebrochius) Græce habemus, & extant Latine reddita, unde etiam inveniuntur nomina in hodierno Romano. Baronius ad 2. Novembris„ Metaphrastes „ ex antiquis monumentis eorum Acta descripsit, quæ habet „ Lipom. tom.5. & Surius tom.6.„ In Tabulis Papebrochianis duo tantum ex his repræsentantur, nimirum Acindynus & Pegasius. Ita & marmor Neapolitanum: *P. S. Acindinu. Pigasiu. M.* idest, Passio S. Acindyni, & Pegasii Martyris. At Capponianæ, omnes quinque exhibent, tres quidem in parte anteriori, duos autem in posteriori, quorum proinde capita dumtaxat cernuntur. Acta Græca, κατὰ τοὺς καιροὺς Βασιλεύοντος κατὰ συγχώρησιν τοῦ Χριστοῦ, σαβωρίου τινὸς τῶν περσῶν, apud Allat. de Simeonibus pag.98. & Lambec. to.8. pag. 264. Alia, εἰ καὶ πρῶτοι πέρσαι Χριστὸν ἐκ παρθένου γενόμενον προσεκύνησαν, Latine apud Sur. ad 2. Novemb.

III.

ACEPSIMAS
JOSEPH, ET
AITHALAS DIACONUS.
MARTYR GEORGIUS.

Codex uterque Vaticanus Rufficus hac die vacat. Item Slavonicus noster. Tabulæ Papebrochianæ: *Acepsimas*, dumtaxat: cujus nomen Possevinus ita corrumpit. *S. Martyris Aceximi*. Menologium Basilianum Part. 1. pag. 163. ad hanc diem: ἄθλησις τῶν ἁγίων μαρτύρων Ἀκεψιμᾶ ἐπισκόπου, Ἰωσὴφ πρεσβυτέρου, καὶ Ἀειθαλᾶ διακόνου. „ Certamen Sanctorum „ Martyrum (a) Acepsimæ Episcopi, Josephi Presbyteri, & „ Aithalæ

a Falconius ad 3. nov. *Acepsimæ, Josephi, Jamphaphi*. Quis iste Sanctus Jamphaphus? Legerem, *Josephi Jambographi, vel Hymnographi*; nisi Josephus ille a Græcis & Moschis die 3. vel 4. Apr. coleretur: nisi ex Menologiis hac di[e] cognosceretur agi de Josepho Presb. & Aithala Diac. Martyribus Persis, cum suo Episc. Acepsima. Pro *Jamphaphi* ergo legendum est *Aithala*, male a Culcinio lecta ziffera, & monstro pro Sancto, dato. Atqui Culcinius non habet, nisi, *Acepsimas*.

„ Aithalæ Diaconi „ . Quorum Acepſimas inter flagra exſpiravit; Joſeph inverſo capite ſuſpenſus, lapidibus obrutus eſt; Aithalas vero & ipſe capite inverſo ſuſpenſus, ſpiritum tradidit: quemadmodum & in Pictura ibi repræſentantur. Ita & Græci in Menologio ad eandem diem. Eorum Acta Syriaca habemus, a S. Marutha deſcripta, de quibus Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 193. & ſeq. Eadem Syriace & Latine evulgavit meus ex ſorore nepos Stephanus Evodius Archiep. Apameæ Tom. 1. Martyrum Oriental. pag. 171. E Syriaco in Græcum converſa deſcribit Metaphraſtes apud Lipoman. tom. 5. ad diem 3. Novembris. Græca habentur apud Lambec. tom. 8. pag. 265. *ἐν ἔτει ξ̔ιακοσῷ ἑβδόμῳ τῦ διωγμῦ ἡμῶν πρόσταγμα σκληρὸν ἐξῆλθεν*. Alia apud Fabr. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 50. initium: *ἐλύττα κατὰ χριστιανῶν σαβώριος ὁ περσῶν βασιλεὺς*, Latine apud Sur. 22. Apr. Græce & Latine in Actis Sanctorum Tom. 3. ad 22. Apr. Sed mendum obrepſit in editione Fabricii, ubi paſſi dicuntur *anno Chr.* 445. nam Sapores Perſarum Rex ad ann. 400. non pervenit. Coluntur in Martyrol. Rom. ad 22. Aprilis, hoc elogio: „ Sanctorum plurimorum Mar„ tyrum, qui ſequenti anno poſt obitum Simeonis, annuo „ item die, quo paſſionis Dominicæ memoria celebrabatur, „ per totam Perſidis regionem pro Chriſti nomine ſub Rege „ Sapore gladió cæſi ſunt. In quo fidei certamine paſſus eſt „ Azades Eunuchus Regi chariſſimus: Milles Epiſcopus, ſan„ ctitate & miraculorum gloria inſignis. Acepſimas Epiſco„ pus, cum Presbytero ſuo Jacobo, item Aithala, & Joſe„ pho Presbyteris, Azadane & Abdieſo Diaconis, & complu„ ribus aliis Clericis „. Cætera. Verum non ſequenti poſt obitum S. Simeonis anno Sanctos iſtos, qui in Martyrologio hic recenſentur, paſſos fuiſſe, conſtat ex ipſis Syriacis & Græcis eorum Actis: in quibus dicuntur Acepſimas, Joſephus & Aithalas comprehenſi quidem Anno Perſecutionis 37. Saporis 67. exactis vero in carcere tribus annis cum dimidio, coronam Martyrii accepiſſe anno Perſecutionis 40. Saporis 70. Atqui S. Simeon [ut ex iiſdem Actis manifeſtum fit] paſſus eſt anno Saporis 31. Perſecutionis 1. ac proinde non primo poſt Simeonem anno, ſed trigeſimo nono illos ſubiiſſe Martyrium, neceſſe eſt. Quamobrem in Menologio Baſiliano mendum obrepſit,

repsit, ubi dicuntur hi Martyres pag. 163. „ in Perside Martyrium subiisse a Sapore tyranno, temporibus Constantini „ Magni Romanorum Imperatoris. Quidquid enim sit de primo illo anno motæ a Sapore Persarum Rege in Christianos Persecutionis, quæ integros quadraginta annos duravit, usque ad ipsius Saporis interitum, quo de anno in utramque partem disputavi tom. I. Bibl. Orient. pag. 4. & seqq. sive dicatur annus ille incidisse in annum Christi 330. sive in annum 343. 344. 349. juxta diversas auctorum sententias; stat tamen, Acepsimæ, & Sociorum Martyrium, quod post Simeonis obitum anno trigesimo nono contigit, longe post Constantini Magni tempora in omnium sententia accidisse. Sozomenus pro Josepho Presbytero habet *Jacobum*, & duos insuper Diaconos addit lib. 2. cap. 13. his verbis. *Acepsimas Episcopus*, *Jacobus Presbyter*, *Aithalas Diaconus*: *Azadanes atque Abdiesus Diaconi*. In Martyrol. Romano Jacobus a Josepho distinguitur quidem, sed uterque Presbyter vocatur, imo & Aithalas ex Diacono fit Presbyter. Verba ejus supra recitata sunt. In Græcorum Menæis, & in Menologio Basiliano ad XI. Decemb. legitur Synaxarium de Sanctis *Martyribus* Ἀειθαλᾶ, καὶ Ἀψεῖ, *Aithala* & *Apsæo*: quorum hic in Menologio Græco vocatur Ἀκεψεῆς *Acepsees*, & Diaconus fuisse perhibetur; *Aithalas* vero utrobique fertur ex idolorum Sacerdote Christianus factus, postquam ab Episcopo quodam ab eo quo laborabat morbo curatus fuisset. Horum nomina in Actis Martyrum Orientalium non leguntur; sed neque in Romano Martyrologio exstant, neque a Sozomeno laudantur. Quamobrem suspicari quis possit, ex Acepsima Episcopo & Aithala Diacono, quos ad 3. Novemb. colunt Græci, & ad 22. Aprilis Latini, factos fuisse istos duos, Apsæum scilicet seu *Acepseem* Diaconum, & *Aithalam Laicum*. Cæterum *Aithalas Martyr* [is nimirum qui hodie colitur] iterum occurrit apud Græcos ad diem I. Sept. ut supra dixi. Synaxarium ibi nullum habetur. Fortasse ad Kalendas Septembris recolitur ejus Corporis translatio: quamquam præter ipsius nomen, nihil aliud de eo legatur in Menæis Græcorum, aut in Fastis Græcomoschis.

Martyr *Georgius* in nostris Tabulis depingitur cum habitu militari stans in Templo. Procul dubio hæc pictura repræsentat

ſentat Encænia Eccleſiæ, quæ eidem Martyri S. Georgio dedicata fuit Lyddæ in Palæſtina: de qua dedicatione legitur Synaxarium in Menæis Græcorum ad hanc diem 3. Novembris, cui hic titulus: Τῇ *αὐτῇ ἡμέρᾳ ἑορτάζομεν τὰ ἐγκαίνια τοῦ ναοῦ τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Γεωργίου ἐν Λυδδίᾳ. ἤτοι τὴν κατάθεσιν τοῦ ἁγίου σώματος αὐτοῦ.* „ Eodem die recolimus Encænia Templi „ ſancti Magni Martyris Georgii in Lydda, ideſt, depoſitio„ nem ſacri ipſius Corporis „. Templum illud narratur a Chriſtianis ſub Conſtantino Magno erectum, ibique ſacrum Georgii Martyris Corpus depoſitum. Pro Lydda apud quoſdam legitur *Ramlæ* nomen: ſunt enim duæ urbeculæ admodum vicinæ. Joannes Phocas in Symmictis Allatii pag. 44. num. 29. „ Ad paſſuum fere viginti millia [*ab Hieruſalem*] „ Rampleæ regio effunditur: & templum ingens in eadem „ ſancti Magni Martyris Georgii viſitur. Illis in locis ſancto „ fuit natalis dies; & pro pietate ingentia certamina ſubiit, „ & ſepulturæ demandatus fuit. Templum Dromicum eſt, „ & in Sanctuarii mytulo ſub ſanctæ tabulæ pavimento, ſe„ pulcri os patet, candido marmore circumſeptum „. Sed de hoc Templo alibi.

IV.

JOANNICIUS MAGNUS.

NICANDER EPISCOPUS.

Codex Vaticanus Ruthenicus ſecundus: *Joannicius Abbas*: de Nicandro, nihil. Codex primus & Slavonicus noſter utrumque omittit. Faſti Papebrochiani: *Joannicius*. Poſſevinus perperam: *S. Martyris Onicii*: neque enim Martyr fuit, neque Onicius appellatus, ſed *Joannicius*. Menologium Græcum ad hanc diem: Τοῦ *ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωαννικίου τοῦ μεγάλου, καὶ τῶν ἁγίων Ἱερομαρτύρων Νικάνδρου ἐπισκόπου μύρων, καὶ Ἑρμαίου πρεσβυτέρου*: „ S. P. N. Joannicii Magni, & Sanctorum Martyrum Nicandri Epiſcopi Myræ, & Hermæi Pres„ byteri „. Menologium Baſilianum de Joannicio quidem agit die antecedenti, hoc eſt, 3. Novemb. pag. 164. *τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωαννικίου τοῦ θαυματούργου*, *S. P. N. Joannicii Thaumaturgi*: de Nicandro autem Epiſcopo, ad diem 15. Martii, ubi ſola ipſius commemoratio legitur, his verbis. *Et certamen Sancti Apoſtoli Nicandri*. Apoſtolum vocat, ideſt,

ab

ab Apostolorum discipulo Tito ordinatum Episcopum, quemadmodum narratur in Synaxario Græco in Menæis, *μνήμη τῶν ἁγίων Ἱερομαρτύρων, Νικάνδρου ἐπισκόπου μύρων, καὶ ἑρμαίου πρεσβυτέρου, χειροτονηθέντων παρὰ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου τίτου*, *Commemoratio Sanctorum Sacrorum Martyrum, Nicandri Episcopi Myræ, & Hermæi Presbyteri, ordinatorum a S. Apostolo Tito*. Martyrologium Romanum de utroque ad hanc diem 4. Nov. „ Myræ in Lycia Sanctorum Martyrum Nicandri Epi„ scopi, & Hermæ Presbyteri, sub Libanio præside. *&c*. In „ Bithynia Sancti Joannicii Abbatis „. Hujus vita auctore Saba Monacho, *τὰ ψυχωφελῆ καὶ θεάρεστα τῶν ἁγίων πατέρων ἀνδραγαθήματα*, Græce MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 266. Alia Græce, *τὴν πρὸς ἀρετὴν ὁδὸν φέρουσαν τραχεῖαν εἶναι*, Latine apud Sur. ad 4. Nov.

V.

GALACTION.

EPISTEME.

Codex uterque Russicus Vaticanus cum nostro Slavico vacat. Fasti Græco Moschi: *Galaction, Epistime*. Possevinus perperam: *S. Martyris Julacii*, pro Galactione. Menologium utrumque ad hanc diem: *τῶν ἁγίων μαρτύρων, Γαλακτίωνος καὶ ἐπιστήμης*, *SS. Martyrum Galactionis & Epistemæ*. Martyrologium Romanum ad eandem diem: *Emesæ in Phoenicia SS. Martyrum Galationis & Epistemis conjugis*. Cætera. Ubi *Galation* vocatur ex errore, qui in Menæa Græca obrepsit in titulo hujus diei 5. Nov. Γαλατίωνος, pro Γαλακτίωνος. Martyrium Græce, *τῆς πρὸς τῷ λιβάνῳ ὄρει φοινίκης*. Latine prodiit apud Sur. ad 5. Nov.

VI.

PAULUS EPISCOPUS.

Uterque Codex Ruthenicus Vaticanus & noster Slavicus ad hanc diem: *Paulus Confessor*. Possevinus: *S. Patris Pauli*. Græci in utroque Menologio: *τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Παύλου, ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως, τοῦ ὁμολογητοῦ*, *S. P. N. Pauli Archiepiscopi Constantinopoleos, Confessoris*. In Menologio Basiliano depingitur, Cucusi Armeniæ dum in ædicula Liturgiam celebraret, suo Omophorio, idest Pallio, ab Arianis suffocatus. A Latinis colitur die 7. Junii. Marmor

Neapo-

Neapolitanum ad hanc diem : *P. S. Pauli Episcopi Const.* idest, Passio S. Pauli Episcopi Constantinopolitani. Acta auctore incerto, *Κωνσταντῖνος τὴν Ῥωμαϊκὴν ἀρχὴν*, citantur ab Allatio contra Creyghtonum pag. 336. & Cangio ad Zonaram pag. 72. Alia, *ἡνίκα Κωνσταντῖνος ὁ τοῦ μεγάλου Κωνσταντίνου τρίτος υἱὸς*, Latine apud Sur. ad 7. Junii. Fasti Papebrochiani præter Paulum habent hac die *Barlaamum Novogrodensem* sic: *Pavel. Prestavlenie Varlaama Novgorodskago*; *Paulus*; *Obitus Barlaami Novogrodensis*. In Tabulis Papebrochianis inscriptio Slavica pro *Prestablenie*, habet perperam, *Prestabarnie*; & pro, *Nobgorodskago*, Nobgorodikago. Depingitur autem Barlaamus in sepulcro jacens, habitu monastico; ad caput urnæ, Episcopus cum Diacono : ad pedes, quatuor monachi cum Mandya in capite, more Abbatum Græcorum. Papebrochius. „ Obitus Barlaami Novogrodensis. Ita interpres „ Belga, & consentit Ohilewicz. Est autem Novogrodum „ ex potentioribus & vetustioribus Moscoviticæ Monarchiæ „ urbibus, unde & sibi titulum unum ex primariis Dux ipse „ sumit. Multa de hujus urbis fortuna historici, sed nihil de „ Barlaamo, de quo proterea instructionem pleniorem cupi„ dissime expeto „. Possevinus ad diem sequentem, idest, 7. Nov. habet; *S. Patris Vorlama*, pro Barlaamo. Culcinius Par. I. de Sanctis Ruthenorum propriis ad VI. Novemb. pag. 58. de *S. Barlaamo Novogrodensi*, hæc habet. „ Et si „ obitum hujus Sancti, præsenti die, ponant Tabulæ figuratæ „ apud Papebrochium; nil tamen de ipso habent mei libri : „ quem fuisse Abbatem seu Hegumenum tantum, & non Epi„ scopum, habitus demonstrare videtur „. Mox subjungit. „ Eadem die. De S. Barlaamo Kioviensi Hegumeno. In Vi„ tis Patrum Pieczarensium invenio alium Barlaamum, He„ gumenum videlicet Sancti Demetrii Kioviæ, cujus vitam „ subjungo.

„ Vivente adhuc Sancto Antonio Pieczarensi primo He„ gumeno ac Fundatore, claruit opibus quidam civis Kiovien„ sis, nomine Joannes, cujus filius Basilius, juvenis optimæ „ indolis, ac probitatis, qui jam habebat conjugem, ex fre„ quenti cum Monachis Cryptensibus colloquio, tanto exar„ sit desiderio amplectendi Institutum Monasticum, ut post

„ longam maturamque deliberationem, aperiens tandem
„ suum animum Antonio, petierit ab eo sacram vestem mo-
„ nachalem. Reposuit Antonius, hoc non posse fieri, tum
„ quod haberet uxorem, tum quod parens ipsum, etsi habitu
„ indutum, proculdubio Claustro extraheret. At quum for-
„ titer insisteret Basilius, præcepit Niconi Antonius, habitu
„ candidatum indui. Vestitus itaque, & mutato nomine
„ Barlaam dictus, incubuit toto conatu observantiæ regulari.
„ Hac re intellecta pater, collectis, approbante Principe,
„ multis hominibus, vim intulit Claustro; arreptumque fi-
„ lium, & domum reductum, carceri mancipavit, diuque
„ inedia maceravit. Sed expertus fortitudinem animi in filio,
„ mutavit consilium: & splendidis indutum vestibus, jussit
„ convivere suæ conjugi, hac prius bene instructa, ut omni
„ arte ab Instituto Monastico maritum suum removeret. Et
„ ipsa quidem non fuit segnis in exequendo Soceri mandato;
„ sed a Barlaamo gravi repulsa, imo victa concione, præbuit
„ assensum ejus proposito: quo insuper laudato, etiam ipsa
„ amplecti votum castitatis pollicita est, & hunc utrique com-
„ munem sensum Socero aperuit: qui tandem nesciens quid
„ faceret, vocatum Barlaamum cum lacrymis, & multis am-
„ plexibus benedixit, libertatemque ei monachalem vitam
„ profitendi dedit. Rediit itaque ad Monasterium cum exul-
„ tatione omnium Patrum; & exercens sese in omni genere
„ virtutum, post plurimos annos insigni ornatus sanctitate,
„ præpositus fuit regimini Monasterii S. Demetrii: quod ipse
„ cupiens exornare Imaginibus, ac reliqua sacra supellectili,
„ profectus est Constantinopolim, ibidemque rebus usui sacro
„ necessariis magno sumptu comparatis, redux in patriam,
„ prope urbem Uladimiriam, in quodam Monasterio *Mons
„ Sanctus* appellato, incidit in morbum; munitusque Sacra-
„ mentis, animam sanctam Deo tradidit, obstrictis ante obi-
„ tum suum sociis itineris, ut exuvias Kioviam portarent, &
„ in cryptis componerent, quod ipsi fideliter præstiterunt „.
Obiit Antonius Monachorum Pieczarensium juxta Kioviam primus Abbas, die 10. Julii anno mundi 6581. uti in ejus Synaxario legitur; adeoque anno Christi, non 1055: [ut habet Culcinius pag. 27.] sed 1073. Barlaamus autem iste, ut puto, non

non alius fuit ab eo, qui in Tabulis Græco-Moschis *Novogrodensis* dicitur; nimirum ob cultum, ut videtur, a Novogrodensibus ei tributum; aut quia ex Monasterio *Montis Sancti*, Corpus ejus primo delatum est Novogrodum, deinde Kioviam.

VII.
SANCTORUM XXXIII. MARTYRUM MELITINÆ.
LAZARUS GALESÆUS.

Codex uterque Vaticanus hac die vacat. Possevinus ad hanc diem differt *Barlaamum*, de quo Fasti Græco-Moschi ad diem antecedentem. Tabulæ Papebrochianæ: *Hieron. Lazarus*, quorum primus est inter Martyres XXXIII. Melitinenses: secundus Monachus in monte Galesio, *cujus vitam, & miracula* [ut inquit Papebrochius] *scripta per Gregorium Patriarcham* ,, vidisse se ait Allatius: nos ea necdum reperimus, nec ,, ubi sint quærenda divinamus; gratias proinde multas debebi- ,, mus ei, qui ipsa communicaverit, vel saltem indicaverit ,,. Lazari in monte Galesino Vita Græce incipit, *ὁ τῶν κατὰ θεὸν πολιτευμάτων*, auctore Gregorio Cyprio Patr. CP. apud Allat. de Georgiis pag. 425. Menologium Basilianum de solo Hierone & Sociis agit pag. 172. ad 7. Novemb. *ἄθλησις τοῦ ἁγίου Ἵερωνος, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ξ' τριάκονταδύο Μαρτύρων, τῶν ἐν Μελιτίνῃ μαρτυρησάντων*, *Certamen S. Hieronis, Sociorumque duorum ac triginta Martyrum, qui in urbe Melitina martyrium subierunt*: qui & in Rom. Martyrolog. hac ipsa die coluntur, sic: ,, Melitine in Armenia passio SS. Hieronis, Nicandri, ,, Hesychii, & aliorum triginta ,,. Cætera. Iidem laudantur in Menæis Græcorum unacum Lazaro Eremita in monte Galesio. *τῶν ἁγίων Τριάκοντα τριῶν Μαρτύρων ἐν Μελιτίνῃ. καὶ μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ θαυματουργοῦ Λαζάρου, τοῦ ἐν τῷ γαλησίῳ ὄρει ἀσκήσαντος*. *Sanctorum* XXXIII. *Martyrum in Melitina. Et commemoratio S. P. N. Lazari, Thaumaturgi, qui in Galesio monte asceticam vitam duxit*. In titulo Synaxarii impressi Venetiis anno αχθ', 1609. pro Ἵερωνος perperam obrepsit Ἵέρακος. Porro Lazari Monachi in monte Galesio nulla mentio fit in Martyrologio Romano, neque in Menologio Basiliano. At Martyres XXXIII. diserte coluntur in Calendario Neapoli-

 tano

tano ad hanc diem his verbis: *P. S. Triginta tres*, ideſt, Paſſio SS. Triginta trium.

Codex noſter Slavicus hac die: *SS. Martyrum Antonii & parentum ejus*, *& SS. Martyrum* XXXIII. *qui Melitinæ*. De his ſupra dixi. De Antonio vero & ſociis agit Menologium Græcorum hac die ſic, *τῶν ἁγίων Μαρτύρων Μελασίππου, Κασίνης, καὶ Ἀντωνίου*, *SS. Martyrum Melaſippi*, *Caſini*, *& Antonii*: habeturque de eorum martyrio Synaxarium.

VIII.

SYNAXIS ARCHISTRATEGI MICHAELIS.

Ita & Codex uterque Vaticanus, & Faſti Græco-Moſchi ad hanc diem. Poſſevinus vacuum locum relinquens, ſcribit: *Deeſt*. Menologium Græcum. *ἡ σύναξις τοῦ Ἀρχιστρατήγου Μιχαὴλ, καὶ τῶν λοιπῶν ἀσωμάτων δυνάμεων*. *Synaxis* (a) *Archiſtrategi Michaelis*, *& reliquarum incorporearum virtutum*. Baſilianum. *σύναξις τῶν ἀρχαγγέλων*, *Synaxis Archangelorum*. Depingitur autem pag. 174. Michaël Archangelus, labarum dextra tenens, ejuſque cuſpide Dæmones percutiens. At in Tabulis Capponianis repræſentatur in medio *Michaël* inter ſex Angelos, tres hinc, & tres inde ſtantes, tenens in orbiculo Imaginem *Jeſu Chriſti* cum literis ad latera capitis IC. XC., *Jeſus Chriſtus*. Eædem literæ ad dextrum & ſiniſtrum ipſius orbiculi latus, a duobus Angelis in ſcuto deferuntur, ab uno ſcilicet IC. & ab altero XC. Porro Imago Chriſti cum ſuo orbiculo inſiſtit capiti Seraphini. Tabulæ Papebrochianæ repræſentant quatuor hinc, & quatuor inde Angelos, quorum duo manu ſuſtentant orbiculum Seraphino ſuperimpoſitum, in quo Chriſtus tamquam puer depictus cernitur manibus expanſis, è capite totoque corpore radios emittens. Culcinius Par. 2. pag. 102. ad hanc diem VIII. Novemb. „ Synaxis Archiſtrategi Michaëlis, & reliquorum incorporeorum „ ordinum: qui ſunt, Cherubim, Seraphim, Throni, Do„ minationes, Poteſtates, Principatus, Virtutes, Archan„ geli, Angeli. Adeſt in meo Anthologio imago hujus feſti, „ conſimilis ei, quam exhibent Tabulæ figuratæ. Habeo quo-

„ que

---

a Falconius ab hac die 8. Novembris ad antecedentem retrahit *Synaxim S. Michaelis Archangeli*. Atque ita ab eo factum de reliquis hujus menſis Feſtis uſque ad diem 19.

„ que Officium cum parvis & magnis Vesperis & duplici Canone, necnon sermone, qui concordat quidem cum eo Menologii, sed est longe prolixior. Bene autem advertit alibi Papebrochius, exprimi Synaxim Angelorum tenentium in medio Infantem Jesum; idque non sine arcano; quia scilicet omnes Spiritus Cælestes propositum Incarnationis mysterium authore supremo Duce Michaële credidere, & repugnantes ad tartara detrusere cum eorum (a) Primipilo Sabaële, post Diabolo dicto. Et quia totus Cælestis Exercitus concordiam pro tessera contra rebelles assumpsit; ideo sapientissime Græci & eos secuti Rutheni, colunt Duces cælestis militiæ Synaxi, seu congregatione, quia cum Ducibus una venerantur omnes Spiritus Angelicos „. Papebrochius. „ Titulus festi in Menæis hic est: Synaxis Archistrategi Michaëlis, & reliquorum Sanctorum incorporeorum ac cælestium ordinum. Insuper Feria quavis II. Græci inter ordinarias, de quibus ultima Julii egimus, commemorationes, cum catanyctico, seu contritionali Canone jungunt Canonem de *Incorporeis*, utrumque a S. Josepho Hymnographo acrostichᾶς septifariam variatum, pro totidem tonorum diversitate „. Latini hac die de Angelis nihil: sed die 8. Maji de Apparitione S. Michaëlis, die 29. Septembris de solemni ejus festo, seu potius de Dedicatione Ecclesiæ, uti habent vetera Calendaria: quo die, ut inquit Baronius, omnium Angelorum solemnis memoria consuevit antiquitus in Ecclesia celebrari: demum die 2. Octobris *de SS. Angelis Custodibus*. Porro in Archangelum Michaëlem ad hanc diem 8. Novembris extat sermo Chrysippi Presbyteri Hierosolymitani & Chartophylacis S. Resurrectionis, init. Μιχαὴλ ὁ τῶν Ἀρχαγγέλων Ἀρχιστράτηγος: necnon alii tres Pantaleonis Diaconi, & Chartophylacis magnæ Ecclesiæ, & quartus Germani Patriarchæ CP. de quibus vide Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 57. Codex noster Slavicus: *Synaxis Archangeli Michaelis, & Sanctæ Matronæ*: De hac *Matrona* ex Perge Pamphyliæ oriunda habetur Synaxarium in Menologio Basiliano ad hanc diem 8. Novembris, quod vide Tom. 2. pag. 157. Ejusdem *Matronæ* memo-

a Dæmonum nomina propria sunt varia apud varios: nec superstitione carent.

memoria recolitur in Fastis Papebrochianis, & apud Culcinium ad diem sequentem. Vide Baron. in not. ad 15. Martii, ubi de hac & quinque aliis Matronis agit.

IX.

ONESIPHORUS.
STEPHANIS.
PORPHYRIUS.

Codices Vaticani & noster Slavicus, vacant hac die. Fasti Papebrochiani: *Onesiphorus*, *Matrona*. Possevinus perperam de more: *S. Martyris Anisiphorii*. Menologium Græcum de Onesiphoro & Porphyrio hac die: At Menologium Basilianum die 16. Junii: ubi in Synaxario dicitur, ex urbe Iconio oriundus, Triphænæ τῆς Βασιλίσσης, Reginæ, an Imperatricis, affinis, a Paulo Apostolo Iconii cum tota familia baptizatus, in Paro a Præside unacum servo suo Porphyrio tormentis subjectus, & a ferocibus equis raptatus, vitam finiisse. Iterum de eodem *Onesiphoro*, Pauli Apostoli discipulo, agunt Græci in Menologio unacum S. Evodo ad 7. Septembris, ubi dicitur ab eodem ordinatus Colophonis Episcopus, nulla facta Porphyrii socii, aut mortis generis, mentione. Latini in Martyrologio Romano ad diem 6. Septembris: ,, In Hellesponto ,, S. Onesiphori Apostolorum discipuli, cujus meminit S. Pau- ,, lus ad Timotheum scribens: qui ibidem unacum *S. Por-* ,, *phyrio* jussu Hadriani Proconsulis acriter verberatus, & a ,, ferocibus equis raptatus, spiritum Deo reddidit. *Ubi Ba-* ,, *ronius in notis*. Agunt de eodem hac die Beda & Ado; ,, Græci autem tertio Kalendas Maji in Menologio, tradunt- ,, que hunc creatum fuisse Episcopum Colophonis; Dorotheus ,, autem dicit Coronæ; iidemque de eodem unacum Evodo ,, ad VI. Idus Octobris ,,. Mendum Typographi: VI. Idus Octobris, pro, VII. Idus Septembris: & III. Kal. Maji, pro, V. Idus Novembris. Ejusdem Onesiphori nomen legitur tamquam unius ex LXX. in Menologio Græco ad VIII. Decembris unacum Sosthene primo Colophonis Episcopo, & Apollo altero ejusdem urbis post Sosthenem Episcopo, & Epaphrodito Coloniæ Episcopo, ubi idem Onesiphorus dicitur ordinatus Episcopus Καισαρείας, *Cæsareæ*: At in Menologio Basiliano ad diem 9. Decembris, in titulo quidem sic habetur: ,, Com- ,, me-

„ memoratio Sanctorum Apostolorum ex LXX. Sosthenis, Apol-
„ lo, Cephæ, Tychici, Epaphroditi, Cæsaris, & Onesiphori „. In Synaxario vero pag. 17. nulla facta amplius Cephæ & Onesiphori mentione, perhibetur Sosthenes Episcopus Colophonis. Apollo Episcopus Cæsareæ. Tychicus Sosthenis in Episcopatu Colophonis successor. Epaphroditus Adriacæ Episcopus: & Cæsar Coronensis. Ita variant de eodem Onesiphoro Græci.

De *Stephanide*, altum in Fastis Papebrochianis silentium. Colitur in Menologio Basiliano ad diem XI. Novembris pagin. 180. unacum *Mena*, & *Victore*. Et in Menologio Græco ad eandem diem habet proprium Synaxarium post *S. Victorem*, hoc titulo: *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ μνήμη τῆς ἁγίας μάρτυρος Στεφανίδος, eodem die commemoratio Sanctæ Martyris Stephanidis*. Quam Græci *Stephanida*, eam Latini vocant *Coronam*, cujus unacum *Victore* memoria recolitur die 14. Maji, his verbis.
„ In Syria Sanctorum Martyrum Victoris & Coronæ, sub An-
„ tonino Imp. ex quibus Victor a Sebastiano Judice variis, &
„ horrendis affectus est cruciatibus: quem Corona uxor cujus-
„ dam militis quum cæpisset beatum prædicare ob martyrii
„ constantiam, vidit duas coronas de cœlo lapsas, unam Vi-
„ ctori, & alteram sibi missam: quumque hoc audientibus
„ cunctis testaretur, ipsa quidem inter arbores scissa, Victor
„ vero decollatus est „. Ita & habent Synaxaria Græca. Hinc in Menologio Basiliano *Stephanis*, seu *Corona*, depingitur manibus ad duas palmas alligatis; *Victor* vero capite minutus. Et Baronius in notis ad XIV. Maji, de Victore & Corona:
„ De quibus [inquit] item hac die Beda, Usuardus, Ado,
„ & alii Latinorum. Græci autem in Menologio ad III. Idus
„ Novembris. Eorumdem Acta edidit Metaphrastes. Refert
„ eadem Lipom. tom. 7. & Surius tom. 3. Mombrit. tom. 2. &
„ alii; licet nonnihil inter se diversi „. Quinimo in his ipsis Capponianis Tabulis recurrit eadem, an altera? *Stephanis*, unacum *Mena*, *Victore*, & *Vincentio*, ad diem XI. Sicut & in Menologio utroque. Quamobrem aut erravit Pictor Moschus huic Sanctæ pro *Matrona* imponens nomen *Stephanidis*: aut *Matrona* ipsa hoc etiam nomine vocata fuit. Nam Tabulas nostras hac die IX. Novembris *Matronam* potius, quam *Stephanidem* Martyrem designare, ex ipsa pictura constat. Constat

ſtat etiam, quia Faſti Græco-Moſchi, pro *Stephanide* exhibent hac die poſt Oneſiphorum, *MATRONAM*, eamque habitu Sanctimonialium depictam, de qua hoc metrum Græcum recitat Papebrochius.

Τῇ δ' ἐνάτῃ τύμβοιο Ματρώναν δέξατο χώρη.
Matronæque locum patefecit nona ſepulcri.

Et addit. „ Hæc inter monachos primum, ut Eunuchus, vi-„ xit; deinde monaſterio Virginum Conſtantinopoli præfe-„ cta, ea claruit ſanctitate, quam narrant Acta, quæ La-„ tine extant, & a nobis etiam Græce habentur. Alia, ne-„ ſcio, an ejuſdem, invenimus Venetiis, ſed necdum po-„ tuimus deſcripta habere: uti nec invenire quidem marty-„ rium S. Matronæ Tyanis paſſæ, ab eo qui vidit & inter-„ fuit ſcriptum, ut affirmat Allatius; quin neque nomen hu-„ jus adhuc in Synaxariis ullis reperimus; eoque magis opta-„ mus deſiderata conſequi beneficio diligentiæ alienæ: ſicuti „ beneficio prælaudati Allatii accepimus prolixam vitam ter-„ tiæ alicujus *Matronæ* ex Chio, ipſius Allatii patria, in qua „ quia nullum obitus cultuſve diem notatum reperimus, opor-„ tebit eam hic collocare, niſi interim aliquis Chius melius „ nos informet „. Hactenus Papebrochius. Cæterum *Matronam* ſanctimonialem, de qua Faſti Papebrochiani, habet & Menologium Græcum cum Synaxario ad hanc diem IX. Novemb. *μνήμη τῆς ὁσίας μητρὸς ἡμῶν Ματρώνας*, *commemoratio Sanctæ matris noſtræ Matronæ*: & Menologium Baſilianum ad diem antecedentem, hoceſt, VIII. Nov. pag. 175. *μνήμη τῆς ὁσίας Ματρώνης*, *commemoratio Sanctæ Matronæ*: quæ dicitur, Leone magno imperante, ex Perge Pamphyliæ urbe fuiſſe: quum autem ex viro ſuo filiam ſuſcepiſſet, cum eodem Conſtantinopolim venit, decimum quintum ætatis ſuæ annum agens. Ibi Eugeniæ Virginis conſuetudine fruens, ejus vitæ rationem imitata, nunquam ab Eccleſiis Dei diſcedebat: imo ardentiore, quam illa, erga Deum ſtudio incenſa, quum aliquando vocem illam divini Evangelii audiſſet; Qui vult venire poſt me, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me: filiam feminæ cuidam piæ (*a*) educandam tradidit; relictoque viro, & ſumpto virili habitu, ſeſe in Sancti Baſſiani

a Menolog. Græc. *nomine Suſannæ*.

Bassiani (*a*) monasterium recepit, monasticam vitam amplexa. Verum ubi cognita est femina esse, a sancto viro (*Bassiano*) Hierosolyma mittitur: unde post aliquot annos Constantinopolim reversa, solitariam agens vitam, decessit. Menologium Græcum ait, Sanctam Matronam a Bassiano missam primum in Emesam urbem ad Monasterium feminarum: inde abiisse Hierosolymam: mox in montem Sinai; unde Berytum quum advenisset, ibique in loco inaquoso precibus aquam eduxisset; demum Constantinopolim regressam, ab eodem Bassiano jussam fuisse habitare in quodam monasterio, quod usque in hodiernum diem de ipsius nomine dicitur monasterium Matronæ: ibique quum diu vixisset, centenariam fere ex hac luce migrasse. In Basiliano Menologio repræsentatur habitu monialium, Deum in forma radii e nubibus prodeuntem alloquens, juxta sui nominis monasterium & Ecclesiam. In utroque Menologio duæ aliæ occurrunt, quibus *Matronæ* nomen. Prima (*b*) ad 28. Martii, Judææ cujusdam mulieris serva, Thessalonicæ martyrium passa, ibique in Ecclesia ab Alexandro Episcopo erecta, sepulta. Altera ad 18. Maji, Ancyræ in Galatia passa martyrium unacum Sanctis Theodoto, Tecusa, Alexandra, Claudia, Phaina, Euphrasia, Julia, & Theodota. His additur tum in Menol. Græco, tum in Romano Martyrol. ad 20. Martii, Tertia (*c*) *Matrona* martyr Amisi in Paphlagonia unacum Alexandra, Claudia, Euphrasia, Juliana, Euphemia, & Theodosia.

Baronius in notis ad 15. Martii, ubi de Matrona Thessalonicensi. „ Agunt (inquit) Græci de eadem 27. hujus mensis in Menologio. Fuit & alia Matrona, Pergensis dicta, „ de qua Metaphrastes agit 8. Novemb. & Sozomenus hist. „ lib. 7. cap. 21. Duæ aliæ ejusdem nominis habentur martyres: quarum alterius vigesima Martii, alterius vero decima „ octava Maji dies natalis agitur inferius. Rursus vero duæ „ aliæ Matronæ nomine, martyres passæ habentur in Africa „ sub

a Menol. Græc. ubique pro, Bassiani, habet *Cassiani*.

b In Menol. Græco ad 27. Martii; ut in Basiliano ad diem sequentem: & in Romano ad 15. Martii.

c In Menol. Basiliano ad 18. Martii: certamen sanctarum septem mulierum, Amisi, tacitis tamen nominibus. Sed videntur saltem hujus Matronæ martyris Amisi sociæ ad secundam Matronam Ancyræ passam pertinere.

„ ſub Diocletiano Imp. unacum pluribus aliis, quorum res „ geſtæ ex Pronſularibus Actis deſcriptæ habentur apud Su- „ rium die XI. Febr. in Saturnino & ſociis „. Extant Acta S. Matronæ Pergenſis, Græce, τὰς σώφρονας τὸν βίον καὶ φιλαρέτους, Latine apud Sur. ad 8. Nov. *Eos qui ſunt in vita temperantes*. Quæ tamen Matrona apud Fabricium tom. 9. Bibl. Græc. pag. 121. perperam vocatur *Chienſis*, quum ex Perge Pamphyliæ urbe ortum duxerit. In eandem S. Matronam extat Encomium Nili Metropolitæ Rhodi: init. ὦ ξένα τῆς παρούσης ἡμῖν πανηγύρεως. De S. Stephanide vide infra ad XI. hujus.

Codex noſter Slavicus, manu recentiore, charactere Cyrillano, ad 9. Novembris, in margine ſic habet: *Sanctæ Paraſceve Piatki*, forte *Polotski*, *Polocenſis*, de qua ſupra dixi. Vide Culcinium in Specim pag. 56. ad 28. Octob.

X.

APOSTOLI, ERASTUS,
RHODION,
OLYMPAS.

Codices Vaticani Ruthenici & noſter Slavicus hac die vacant. Poſſevinus perperam: *S. Apoſtoli Radioni*, pro Rhodionis. Faſti Papebrochiani: *Eraſtus*, *Olympas*, *Rhodion*, *Theoctiſtus*. Ita habet Culcinius: & quidem tum ex inſcriptione Ruthenica, tum ex habitu Epiſcopali, quo *Theoctiſtus* indutus depingitur. At Papebrochius pro Theoctiſto, obtrudit *Quartum*, his verbis. *Eraſtus*, *Olympion*, *Rhodion*, *Quartus*: *omnes diſcipuli Apoſtolorum dicti etiam Apoſtoli*. *Ex his colitur a Latinis Eraſtus ut Philippenſis Epiſcopus* XXVI. *Julii*: *Quartus* III. *Novembris*. In metrico Græcorum Novembri, ſolus *Oreſtes* martyr laudatur, qui Tyanis in Cappadocia ſub Diocletiano paſſus eſt. Menologium Græcorum ad hanc diem: τῶν ἁγίων Ἀποστόλων, Ὀλυμπᾶ, Ῥωδίωνος, Σωσιπάτρου, Τερτίου, Ἐράστου, καὶ Κουάρτου. καὶ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Ὀρέστου. „ SS. Apoſto- „ lorum, Olympæ, Rhodionis, Soſipatri, Tertii, Eraſti, & „ Quarti. Et S. Martyris Oreſtis „. Menologium Baſilianum, *Oreſtis* quidem martyris certamen ponit ad diem IX. hujus; ad diem vero hanc decimam „ Sanctorum Apoſtolorum „ ex ſeptuaginta, Olympæ, Rhodionis, Soſipatri, Tertii, „ Era-

„ Erasti, & Quarti „ . Sed Synaxarium Basilianum a Synaxario Menæorum aliquantulum differt. Nam in Basiliano dicitur *Sosipater*, Iconii factus Episcopus, in pace quievisse: *Tertius*, post Sosipatrum renunciatus Iconii Episcopus, ad Dominum migrasse: *Erastus* primum Hierosolymitanæ Ecclesiæ œconomus, deinde Paneadis Episcopus creatus, in pace decessisse: *Quartus* Beryti Episcopus factus, vita functus fuisse: *Olympas* demum, & *Rhodion*, Sanctum Petrum Apostolum secuti, ambo Romæ a Nerone capitis damnati, mortem oppetiisse. Basiliano consonat Synaxarium Menæorum, quoad Olympam, Rhodionem, Sosipatrum, Erastum, & Quartum: sed de Tertio nihil habet præter nomen in Titulo. Martyrologium Romanum de Erasto die 26. Julii, ubi dicitur a B. Paulo Apostolo Philippis in Macedonia relictus Episcopus, ibidem martyrio coronatus: de *Sosipatro* die 25. Junii, quem Origenes in epist. ad Rom. ait, ordinatum fuisse a S. Paulo Thessalonicensem Episcopum: de *Quarto*, die 3. Novemb. de quo Baron. in notis: „ Hunc Beryti Ecclesiæ Episcopum „ datum esse, tradit Dorotheus in Synopsi, idque ex Hippo- „ lyti libello de LXXII. Discipulis „ . De *Olympa* vero, *Rhodione*, ac *Tertio*, altum silentium. Tum nostræ Tabulæ, tum Papebrochianæ, *Olympam*, & *Rhodionem* habitu Episcopali repræsentant; *Erastum* vero, pallio & tunica, more Apostolico, indutum.

Quisnam sit *Theoctistus*, qui in Tabulis Papebrochianis post Sanctos Erastum, Olympam, & Rhodionem, tamquam Episcopus depingitur, neque Culcinius exponit, neque ejus nomen Papebrochius habet. Multos legi Theoctistos in Menæis Græcorum: sed nullus eorum dicitur Episcopus. In Menologio Basiliano unus laudatur *Theoctistus* ad diem IX. Januarii, Tom. 2. pag. 90. cum hoc titulo: *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη Θεοκτίστου Ἱερομάρτυρος, καὶ ὁμολογητοῦ*, *eodem die Commemoratio Sacrosancti Martyris & Confessoris Theoctisti*. Pictura eum repræsentat ut Episcopum, cum barba oblonga, & habitu Episcopali, ambabus manibus clausum Codicem Evangeliorum, pectori admotum, tenentem. Stat autem in medio Templi, eleganter ornati. Dolemus, nullum ibi de eo Synaxarium legi, ex quo manifestum fieret, cur simul dicatur *Sa-*

cromartyr, *& Confessor*; id quod vix de alio Sancto dictum reperire est. Fortasse passus sub Iconomachis.

XI.

MENAS.

VICTOR.

VINCENTIUS.

STEPHANIS.

THEODORUS.

Codex Vaticanus primus: *Menas martyr*, dumtaxat. Secundus vacat. Noster Slavicus, *S. Martyris Menæ*, *& Victoris*, *& Vincentii*. Possevino pro Mena, obrepsit nomen *S. Martyris Minsuiti*, hoc est, *Mina Sviaty*, Sancti Menæ. Fasti Papebrochiani, instar nostrarum Tabularum: *Menas*, *Victor*. *Stephanida*. *Vincentius*. *Theodorus*. Menologium Græcum: *τῶν ἁγίων μαρτύρων, Μηνᾶ, Βίκτορος, καὶ Βικεντίου. καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Θεοδώρου τοῦ στουδίτου.* „ SS. Martyrum, Menæ, Victoris, & Vincentii. Et S. P. N. & „ Confessoris, Theodori Studitæ „. Post Synaxarium autem Victoris, habetur aliud sic inscriptum: *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τῆς ὁσίας μάρτυρος Στεφανίδος*, *Eodem die*, *commemoratio Sanctæ Martyris Stephanidis*. Menologium Basilianum ad hanc ipsam diem pag. 180. *certamen Sanctorum Martyrum Menæ*, *Victoris*, *Vincentii*, *& Stephanidis*. Et pag. 181. „ Eodem die commemoratio S. P. N. Theodori, præfecti „ celeberrimi monasterii Studitarum „. Latini in Romano hodierno agunt de Mena quidem, hac die; de Victore vero & Corona, seu Stephanide, ad 14. Maji: de Vincentio Diacono & martyre, ad 22. Januarii: demum de S. Theodoro Studita, die 12. Novembris. Marmor Neapolitanum ad hanc diem XI. Novemb. *NT. S. Menne*: martyris nimirum Ægyptii in urbe Cotyæi: cujus Acta Græce, *Βασιλεύοντος Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ*, Lat. apud Sur. ad x. Nov. Alia auctore Timotheo Arch. Alexandr. *ἐγένετο κατὰ τὴν τελευτὴν τοῦ ἀσεβεστάτου*, Cod. Barocc. 147. Lat. apud Sur. ad x. Nov. Alia, *ἔτους δευτέρου τῆς Βασιλείας Διοκλητιανοῦ καὶ ἔτους πρώτου Γαΐου οὐαλερίου Μαξιμιανοῦ*, auctore incerto, MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 269. & Cod. Barocc. 147. Stephanidis seu Coronæ, & Victoris Acta Græce, *ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις ἐν αἷς ἐδιώκοντο*

οἱ

οἱ Χριςιανοὶ ὑπὸ τοῦ τότε Βασιλέως τῶν Ῥωμαίων Ἀντωνίνου, MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 269. Latine ſub Metaphraſtæ nomine apud Sur. ad 14. Maji. *Vincentii Diaconi* Cæſarauguſtani vita, ἱκανὸν καὶ τοῦτο δοκιμῆς τῷ ἁγιωτάτῳ μάρτυρι Βικεντίῳ, MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 270. Latine apud Sur. 22. Jan. ſub Metaphraſtæ nomine. Demum *Theodori Studitæ* Acta auctore Michaële monacho, πολλοὶ μὲν τῶν ἁγίων κατὰ διαφόρους χώρας, MSS. in Bibl. Vat. unde habuit quæ Latine Baronius ab ann. 795. ad 826. Alia auctore Naucratio Confeſſore, ἕως μὲν τοῦ παρόντος, Græce & Lat. Tom. 2. Auct. noviſſ. Combetiſ. pag. 855. In Menologio Baſiliano, Pictura repræſentat in latere ſiniſtro, Monaſterium Studitarum: in medio S. Theodorum ligatis manibus naviculæ impoſitum, in exilium deportatum: in latere dextero, eundem S. Theodorum ſtantem, extenſis in cælum manibus, alloquentem Deum, qui in forma radii e nubibus prodit. Papebrochius de Sanctiſſimo Abbate: „ Celeberrimi apud Conſtantinopolim cœnobii „ Hegumenus, ſcriptor & confeſſor ſub Iconomachis illuſtris; „ quem in Romani Martyrologii recognitione nequaquam cre„ do prætermittendum a Baronio fuiſſe, ſi tunc nota habuiſſet „ ejus Opera, & Epiſtolas, quibus deinde a Sirmondo no„ ſtro, tunc Romæ Theologicis Studiis operam dante, La„ tine ſibi ex parte redditis, uſque ad eo ornavit Annalium „ ſuorum Tomum IX. Defectum ſupplevit Urbanus VIII., & „ Sanctum de tota Eccleſia optime meritum, juſſit inſcribi „ Martyrologio. Vitam habemus Græce ſcriptam a Michaële „ monacho, aliam ſub ejuſdem auctoris nomine indicat Alla„ tius; quam ſi haberemus, diſcernere forte poſſemus, utra „ vere Michaëlis ſit. Habemus præterea Encyclicam de San„ cti morte epiſtolam: nihil autem in commune bonum magis „ de eo deſideratur, quam operum atque Epiſtolarum ejus „ omnium editio, cui rei, ut intelligo, Pariſiis nunc per„ quam ſerio incumbit aliquis ex noſtra Societate „. Montfauconius in Biblioth. Coisliniana edidit Catalogum Epiſtolarum S. Theodori Studitæ, quæ magno numero habentur in duobus Codicibus, nempe XCIV. pag. 144. & CCLXIX pag. 312. quarum vix dimidiam partem evulgarat vir doctiſſimus Jacobus Sirmondus.

JOAN-

XII.

JOANNES ELEEMOSYNARIUS.
SANCTUS PATER NILUS.

Uterque Codex Vaticanus : *Joannes Eleemosynarius*, tantum. Possevinus: *S. Patris Joannis*. Fasti Græco-Moschi: *Joan Milostyvy. Prepodobny Nil. Joannes Eleemon. Sanctus Nilus*. Menologium Græcum. τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου τοῦ ἐλεήμονος. καὶ τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Νείλου. *S. P. N. Joannis Eleemonis, & S. P. N. Nili*. At Menologium Basilianum agit hac die de solo Joanne Eleemosynario, Patriarcha Alexandrino; de Nilo autem, ne verbum quidem, nisi ad diem 14. Januarii, quo S. Theodulus Nili filius colitur. Latini in Rom. Martyrol. colunt S. Joannem Eleemosynarium die 23. Januarii; Nilum autem Abbatem, ad hanc diem 12. Novembris, hoc elogio: „ Constantinopoli S. Nili „ Abbatis, qui ex Præfecto Urbis factus Monachus, sub Theo„ dosio juniore doctrina & sanctitate claruit „. Scribit de eo Nicephorus lib. 14. cap. 30. 53. & 54. ubi de ejus lucubrationibus agit. Inter alia nobilissimi ingenii monumenta extat historia ab eo conscripta de incursione Saracenorum: quæ reperitur apud Lipom. tom. 5. Citantur ejus scripta in Concil. Nicæno II. Act. IV. Hæc Baronius. Qui tamen in notis ad diem 23. Januarii, qua die Joannes Eleemon in Martyr.Rom. colitur, nescio unde hoc hausit, ut diceret: „ Agunt itidem „ de eodem hac die Græci, licet natalis dies sit tertia Februarii: „ puto, hanc ipsam esse diem ordinationis ejus, quam & na„ talem dici consuevisse & solenniter etiam celebrari, supra „ diximus, dum egimus de Cathedra S. Petri „. Atqui Græci non die 23. Januarii, sed 12. Nov. de S. Joanne Eleemosynario agunt. Pictura nostra hunc Patriarcham Alexandrinum repræsentat cum Tiara Pontificia in capite. De S. Nilo ad 14. Januarii sermo redibit. Joannis Eleemonis sive Eleemosynarii vita Græce, τὰ τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν ἀναγεάπτως τίθεσθαι πράξεις, MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 337. In Bibl. Coislin. pagin. 584. Latine apud Sur. & cum notis apud Bollandum ad 23. Jan. Alia vita auctore incerto, οἱ τοὺς ἀγαθοὺς καὶ σπουδαίους ἄνδρας ἐγκωμιάζοντες. Apud Allat. de Simeonibus pagin. 123.

JOAN-

XIII.

Joannes Chrysostomus.

Ita & Codex uterque Vaticanus hac die. Possevinus: *S. Patris Joannis*. Fasti Græcomoschi: *Joan Zlatoustly. Joannes Chrysostomus*. Marmor Neapolitanum: *Dep. S. Johan. Chris.* Depositio S. Johannis Chrysostomi. Menologium Græcum: τῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννȣ, ἀρχιεπισκόπȣ Κωνςαντινȣπόλεως, τοῦ Χρυσοςόμȣ, *S. P. N. Joannis Archiepiscopi Constantinopoleos Chrysostomi*. Menologium Basilianum pagin. 184. ἡ ἀνάμνησις τῆς ἐξορίας τῦ ἐν ἁγίοις πρς ἡμῶν Ἰωάννȣ τῦ Χρυσοςόμȣ. *Commemoratio exilii S. P. N. Joannis Chrysostomi*. Pictura ibidem repræsentat S. Joannem capite nudo radiato, tunica & pallio indutum, jumento insidentem, præeunte quodam equite, & subsequente pedite, ad locum exilii ductum: nimirum in oppidum Armeniæ Cucusum, ubi decessit. Depictus est in Tabulis Capponianis & Papebrochianis, habitu Patriarchali, capite nudo, librum sinistra tenens, dextera expansa. Vita Chrysostomi auctore Georgio Alexandrino Patriarcha, πάντες οἱ παλαιοὶ ἱςοριογράφοι, MSS. Lambec. tom. 8. pag. 272. Latine tom. 8. Savil. pagin. 157. Alia, Palladio Helenopol. auctore, τῶν τῦ Θεοῦ δωρημάτων. Græce & Latine apud Emericum Bigotium Paris. 1680. Alia Græce, τὸ μὲν γένος Ἀντιωχεὺς ἦν ὁ ἅγιος, MSS. Bibl. Coislin. pag. 196. Latine apud Sur. 27. Jan. Cætera vide apud Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 66.

XIV.

Apostolus Philippus.

Codex uterque Vaticanus, & noster Slavicus: *Philippus Apostolus*. Possevinus: *S. Apostoli Philippi*. Marmor Neapolitanum. *Nt. S. Philippi Apos.* Natale S. Philippi Apostoli. Fasti Græcomoschi: *Philippus. Gregorius*. Menologium Græcum: μνήμη τῦ ἁγίȣ καὶ ἐνδόξȣ πανευφήμȣ Ἀποςόλȣ Φιλίππȣ, ἑνὸς τῆς πρώτης χορείας τῶν δώδεκα. *Commemoratio Sancti, gloriosi, & celeberrimi Apostoli Philippi, unius ex primo ordine duodecim*. Menologium Basilianum pag. 158. *Commemoratio S. Apostoli Philippi, unius ex XII. Apostolis*. Ibi dicitur Bethsaidæ in Galilæa natus, Trajano (a) Imperatore [quod est ab-

a Leg. *Claudio*.

est absurdum] Hierapolim profectus cum septem filiabus suis, & Mariamna sorore sua, atque Bartholomæo Apostolo, multos infideles ad Christum convertisse, inter quos Nicanora Proconsulis uxor. Quare ejusdem Proconsulis jussu, post multa tormenta, sublimibus e muro pedibus pendens, vita functus est. Eadem fere in Synaxario Menologii Græci. Sed primo ibi non habetur nomen Trajani Imperatoris. Secundo, Philippus dicitur virgo, & Hierapolim cum sola Mariamna sorore, & Apostolo Bartholomæo posectus. Tertio, uxor Proconsulis non vocatur Nicanora, sed Nicanoris Proconsulis conjux. Demum adduntur quædam miracula ex Apostolorum Periodis desumpta. Pictura Basiliana repræsentat Philippum imberbem sublimibus e muro civitatis pedibus pendentem, trahentibus funem hinc inde duobus satelli tibus. At Capponianæ & Papebrochianæ Tabulæ exhibent eundem imberbem stantem, tunica & pallio indutum. Latini de S. Philippo Apostolo unacum Jacobo Adelphotheo agunt Kalendis Maji: ubi hæc Baronius: „ Ob convenientiam nominis cum Philippo
„ Diacono uno ex septem ab Apostolis ordinatis, factum re-
„ peritur, ut confusis ipsorum rebus gestis, quod unius est,
„ alteri tribuatur, ut inter cætera, filiæ, quæ ex Actis Apo-
„ stolorum cap. 6. & 21. Philippi Diaconi esse noscuntur,
„ ipsæ a nonnullis Philippo Apostolo tribuuntur, ut de eo
„ fecisse videtur Clemens Alexandrinus, quem citat Eusebius
„ hist. lib. 3. cap. 24. idemque Polycrates apud Hieron. de
„ Script. Eccles. in Polycrate; licet ex eodem aliter legat Eu-
„ sebius Hist. lib. 2. cap. 25. qui & ipse aliquando easdem Apo-
„ stoli esse filias scribit lib. 3. cap. 33. quamvis superius Dia-
„ coni filias esse dixisset. Filias item tribuit ei Isidorus lib. de
„ vit. & mort. Sanct. cap. 75. licet alterius cujuspiam potius
„ quam Isidori sit illud opus „. Acta Philippi Apostoli Græce, ὁ τοῦ Θεοῦ Θεὸς λόγος ἀϊδίως συνὼν τῷ πατρὶ, Latine apud Sur. 1. Maji. Alia, Ἀποστολικῶς μνησθῆναι ἠξιώμενος χάριτος, MSS. in Bibl. Coisl. pag. 195. Alia auctore Niceta Paphlagone, ἀντλήσατε ὕδωρ μετ' εὐφροσύνης, Græc. & Lat. in Auct. noviss. Combefis. Tom. 1. pag. 379. Alia auctore Michaële Monacho, πᾶσα μὲν μαρτύρων Χριστοῦ πανήγυρις, apud Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 136. Alia incerto auctore, κατ' ἐκεῖ-

νον

τον τὸν καιρὸν Τραϊανȣ̃ τȣ̃ Βασιλέως περιειληφότος τὴν Ῥωμαίων ἀρχὴν, MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 275.

Philippo Apostolo in Tabulis Papebrochianis adjunctus est *Gregorius Episcopus*: de quo hæc Culcinius Par. 2. pag. 103. „ Mihi ignotus est: nam ipsum in meis libris non reperio, nec „ puto eum esse indigenam: sed quærendum potius in Fastis „ Græcorum „. Papebrochius vero: „ Gregorius Episco- „ pus. Omnino ignotus nobis est. Indigenarum forsitan ali- „ quis, de quo plura nos docere deberent Rutheni. Interim „ pro eo, cum bona ipsorum venia, substituatur, *Josaphat* „ *Episcopus Polocensis Martyr* „. Pergit hujus Josaphati martyrium describere, quod subiit a Russis anno 1620. & post accuratum causæ examen, Beatis Martyribus adscriptus est ab Urbano VIII. Error in anno martyrii obrepsit: nam B. Josaphatus ab Russis occisus fuit non anno 1620. sed die 12. Novembris anno 1623. quemadmodum constat ex epistolis & aliis documentis, quæ proferuntur a Culcinio in Appendice a pag. 60. ad 82. Cæterum *Gregorius* iste non alius videtur ab eo, qui fuit Constantiæ in Cypro Episcopus: coliturque in Menol. Basil. ad v. Martii Tom. 3. pag. 6. & in Menæis Græcis ad iv. ejusdem mensis, hoc titulo: Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ ἅγιος Γρηγόριος Κύπρȣ ἐν εἰρήνῃ τελειȣ̃ται, *Eodem die Sanctus Gregorius Cypri, in pace consummatur*: cum duobus hisce versibus:

Ἔλαφος ὥσπερ ἐκ Βρόχȣ ῥυσθεὶς Βίȣ,
Αἴσσει Γρηγόριος ἔνθα ζῶν ὕδωρ.

Id ut conjiciam facit, quod in Fastis Græcomoschis, Gregorii omnes Episcopi, præter hunc, descripti & depicti cernuntur.

XV.
GURIAS.
SAMONAS.
ABIBUS.
JACOBUS.

Codex primus Vaticanus vacat. Secundus: *Gurias, Samonas & Abibus*. Fasti Græcomoschi: *Gurias, Samonas: Abibus Diaconus*. Codex noster Slavicus: *S. Jacobi Apostoli fratris S. Joannis Evangelistæ: & SS. Confessorum Guriæ,*

Samonæ, *Abibi*. Poſſevino obtruſum hic monſtroſum nomen *S. Martyris Utiniſati*. Menologium Græcum: τῶν ἁγίων Μαρτύρων καὶ Ὁμολογητῶν, Γυρία, Σαμωνᾶ, καὶ Ἀβίβυ, *Sanctorum Martyrum & Confeſſorum, Guriæ, Samonæ, & Abibi*. Latini de iiſdem hac die. Menologium Baſilianum ad eandem diem pag. 189. „ Certamen Sanctorum Confeſſorum „ Guriæ, Samonæ, & Abibi, qui in urbe Edeſſa Martyrium „ ſubiere „. Et addit pag. 191. ἡ σφαγὴ τῦ ἁγίυ Ἰακώβυ ἀδελφῦ τῦ ἁγίυ Ἰωάννυ τῦ Θεολόγυ: *Cædes Sancti Jacobi, fratris Sancti Joannis Theologi*. De quo hæc in Synaxario: „ Jacobus Apoſtolus ex XII. Apoſtolis unus, frater fuit Sancti „ Joannis Theologi, filius Zebedæi ex Galilæa: quos videns „ Dominns unacum Zebedæo eorum patre ſecus ſtagnum Genezaret retia reficientes [erant enim piſcatores] vocavit „ eos; & ſtatim relictis omnibus & patre, ſecuti ſunt eum, „ ejuſque diſciplinæ ſeſe tradidere. Poſt Domini autem „ aſcenſionem, & Deiparæ dormitionem, Joannes quidem „ Epheſum abiit, prædicationis munere ibi fungens; Jacobus „ vero relictis Hieroſolymis, duodecim tribus Iſraël percurrens, Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum ubique annunciabat. Quamobrem ab Herode Tetrarcha in Cæſarea Palæſtinæ urbe comprehenſus, ejuſque juſſu gladio cæſus, in „ cælum avolavit, ubi cum Chriſto Domino præceptore ſuo, „ Deoque noſtro clementiſſimo regnat „. De eodem Jacobo agitur in Menologio Græco ad diem 30. Aprilis, hoc titulo. Τῦ ἁγίυ ἐνδόξυ Ἰακώβυ, ἀδελφῦ τῦ ἁγίυ Ἰωάννυ τῦ Θεολόγυ, *Sancti glorioſi Jacobi, fratris S. Joannis Theologi*: quamquam in Menol. Baſiliano ad eam diem; non hujus S. Jacobi filii Zebedæi, ſed Jacobi fratris Domini feſtum peragitur T. 3. pag. 77. Hinc tamen diſcimus, Eccleſiam Græcam alio olim ritu ſanctos Apoſtolos ac hodierno, coluiſſe: nam Menologium Baſilianum circa annum Chr. 980. exaratum, & Tabulæ noſtræ Capponianæ exhibent hac die 15. Nov. *Jacobum Apoſtolum*, Zebedæi filium: qui in Menæis Græcorum non comparet, niſi ad 30. Aprilis in locum Jacobi Adelphothei ſubrogatus. Pictura repræſentat ſolos Samonam, Guriam, & Abibum Diaconum. Jacobi præter nomen, nil aliud habetur. Marmor Neapolitanum ad hanc diem XV. Nov. *S. Jacobi Ap.*

& Sa-

& Samon. nimirum, Jacobi Apoſtoli, & Samonæ. Quare cum Menologio Baſiliano adamuſſim conſentit, & Jacobi quidem, Zebedæi filii, Encomium exſtat Græce *πρώην μὲν ἡμᾶς*, auctore Niceta Paphlagone, Latine tom. 27. Bibl. Patrum Lugd. pag. 391. Græce & Latine in Auct. noviſs. Combefiſ. Tom. 1. pag. 347. Aliud Græce auctore Leone Centuripino, *ὑλικὴ μὲν αἴσθησις ἥσσεται*, apud Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 84. De Samona vero, Guria, & Abibo, primum, *ἔτος μὲν ἀπὸ τῆς Ἀλεξάνδρου τοῦ μακεδόνος ἀρχῆς ἑξακοσιοστὸς ἦν*, Latine apud Sur. ad 1. Novemb. Secundo, *ἔτους ἑξακοσιοστοῦ Ἀλεξάνδρου τοῦ τῶν Μακεδόνων, ἐνάτῳ δὲ Διοκλητιανοῦ*, MSS. Lambec. tom. 8. pag. 275. Tertio, *τοιοῦτος μὲν δὴ καὶ ὁ μάρτυς*, Cod. Baroc. 147. Quarto, *ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος ἀΐδιος συνὼν τῷ πατρί*, Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 82. Quinto, *νῦν καιρὸς εὔκαιρος μετὰ τοῦ πνευματοφόρου Δαυίδ*, MSS. Lambec. tom. 8. pag. 276. 281. & Bibl. Coislin. pag. 195. Sexto Encomium, Aretha Epiſc. Cæſarien. auctore, Init. *Quomodo veſter animus*, apud Sur. ad 15. Novemb. Septimo, Sermones duo Sancti Jacobi Sarugenſis, quorum alter de SS. Samona & Guria, alter de S. Abibo inſcribitur. Vide tom. 1. Biblioth. Orient. pag. 329. & ſeq. ubi de Epocha Martyrii eorum fuſe diſſerui.

XVI.

EVANGELISTA MATTHÆUS.

Codex uterque Vaticanus & noſter Slavicus, *Matthæus Apoſtolus* & *Evangeliſta*. Poſſevinus: *S. Apoſtoli Matthæi*. Faſti Papebrochiani: *Hypatius*, *Matthæus*. Papebrochius: *Eupatius Epiſcopus*. „ Æque ignotus nobis, ac præcedens „ Gregorius: de quo vel ideo magis doceri cupimus, quod „ non ut hic ſecundo poſt Apoſtolum Philippum loco, ſed „ primo ante Matthæum inveniatur poſitus „. Culcinius Par. 2. pag. 103. „ Porro vel inurbanitatem Moſco Pictori, „ vel inadvertentiam ejus interpreti adſcribo, quod Eupatium „ quendam Epiſcopum præpoſuerint Matthæo Apoſtolo, quum „ apud Ruthenos Apoſtoli præcedentiam habeant ſupra quoſ- „ vis Patriarchas & Epiſcopos. Crediderim ergo hunc Epi- „ ſcopum referri debere ad diem præcedentem. Interea di- „ co, Eupatii nomen non recte ſonare, quum id vix puto re-

 „ peri-

„ peribile in Faſtis Græcorum, minus vero in libris Ruthenorum. Hinc cenſeo loco Eupatii ſubſtituendum Hypatium, & referendum ad Græcos, non ad Ruthenos Sanctos: nam, ut optime obſervat Papebrochius, duo claruere in Græcia Hypatii, unus Gangrorum Epiſcopus, qui interfuit primæ Nicænæ Synodo, alter ſub Metropolita Epheſino pariter Epiſcopus, qui floruit ſeculo octavo vel nono, illuſtris pro Imaginibus Confeſſor. Hinc vel hanc diem vel præcedentem, Hypatio Seniori; diem vero 31. Martii, juniori deberi, prudenter concludit laudatus Papebrochius. Cæterum in meis libris nec Eupatius, nec Hypatius hodie adeſt „. Laudo conjecturam Culcinii, & Papebrochii. Inſcriptio Ruthenica diſerte habet, *Hypatius*. Quis autem iſte ſit, conſtat ex Menologio Baſiliano ad diem 14. hujus menſis pag. 187. his verbis: „ Dormitio S. P. N. Hypatii Thaumaturgi, Epiſcopi Gangrorum „. In Synaxario narratur, quod unus fuit ex 318. Patribus Nicænis: & quod plura edidit miracula, ſed illud in primis memorabile, quod quum portentoſæ magnitudinis draco in ærarium Imperiale irrepſiſſet, omneſque ab ingreſſu propulſaret, accerſitus ab Imperatore, fuſis precibus, illum interfecit: juſſit enim rogum in foro accendi; & draconem ex ærario eductum, virgæque ſummitati, quam Hypatius tenebat, mordicus inhærentem atque ſequentem, in ignem injecit. Hinc Imperator in ipſius ærarii aditu Imaginem Sancti accurate depingi mandavit. Hypatius vero ad Eccleſiam ſuam reverſus, Novatianorum Hæreticorum inſidiis interimitur: nam a muliere quadam ſaxo in ejus caput projecto, hujus vitæ ergaſtulo liberatus, ad cæleſte Regnum avolavit. Pictura Menologii repræſentat Hypatium Epiſcopum in latere dextro, ſummitate virgæ Draconem ex ærario trahentem. In ſiniſtro, eundem humi procumbentem, & mulierem Novatianam ſaxum in ejus caput injicientem. Hypatii Epiſcopi Gangrenſis in Paphlagonia Vita, *ὁ πᾶσι τοῖς πέρασι τῆς γῆς γινωσκώμενος*, MSS. Lambec. tom. 8. pag. 275. Alia ejuſdem, *κατὰ τοὺς καιροὺς ἐκείνους Βασιλεύοντος Θελκιανοῦ ἐν τῷ Βυζαντίῳ*, Lambec. tom. 8. pag. 377. Tertia, *ὀκνεῖν μὲν ἔδει προσβαίνειν τοῖς ὑπὲρ δύναμιν*, in Bibl. Coiſlin. pag. 185. Quarta ibid. pag. 185. *ὡς γλυκεῖα τῆς παρούσης ἡμέρας ἡ χάρις*. Sed ut ad Sanctum Mat-

Matthæum Evangelistam revertar, solemnis ipsius commemoratio peragitur a Græcis ad hanc diem XVI. Novembris in utroque Menologio; Item in marmore Neapolitano his verbis: *S. Mathei Evan.*. Verum a Latinis ad 21. Septembris. Breve de ipso legitur Synaxarium in Menologio Basiliano pag. 192. in quo dicitur frater Jacobi cognomento Alphæi: octavo autem post Christi Ascensionem anno, afflatu Sancti Spiritus, sanctum Evangelium ejus nomine prænotatum conscripsisse, Sanctæque Hierosolymorum Ecclesię tradidisse: deinde multis gentium provinciis peragratis, verbum Dei disseminans, ad Atthropophagos usque pervenisse, apud quos multa tormenta perpessus, tandem creato illic relictoque Episcopo Platone, Hierapolim Syriæ concessisse, ubi plurimis Christiana fide imbutis atque baptizatis, vivendi finem fecit. Depingitur ibidem in urna sepulcrali impositus, componente ipsum quodam Clerico, qui ad pedes adstat, Sacerdote ad latus urnæ precante, & Diacono ad caput cum thuribulo suffumigante. Id quod de corporis ipsius inventione, seu translatione intelligendum puto. In Menæis legitur Synaxarium ex Apocryphis desumtum. Vide Baronium in not. ad 21. Septembris. Exstat in S. Matthæum Encomium Nicetæ Paphlagonis init. *ματθαίῳ δὲ μνήμης τί ἂν γένοιτο χαριέστερον*, Lat. in auct. noviss. Combefis. tom. 1. pag. 401. Aliud Chrysostomi homil. in Matth. *ἔδει μὲν ἡμᾶς μηδὲ δεῖσθαι*, MSS. Lambec. tom. 8. pagin. 281. Acta S. Matthæi, *ματθαῖος ἀπόστολος καὶ εὐαγγελιστὴς ἦν μὲν ἐκ πόλεως ἱερουσαλήμ*, apud Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. p. 122. Alia, *ἔδει μὲν παρὰ τοῦ πλάσαντος ἡμᾶς δοθεῖσαν φυλάσσοντες ἐντολήν*. Latin. apud Sur. 21. Septembr. De S. Matthæi Evangelio in Cypro reperto, insignem locum ex Severo Antiocheno produxi tom. 2. Bibl. Orient. pag. 81.

XVII.

GREGORIUS NEOCÆSAREÆ.

Codex secundus Vaticanus: *Gregorius Thaumaturgus*. Primus vacat. Noster Slavicus: *Sancti Gregorii Thaumaturgi Neocæsariensis*. Possevinus hæc habet: *S. Martyris Gregorii*, pro Thaumaturgo Martyrem obtrudens. Fasti Papebrochiani: *Gregorius*. Menologium utrumque: *τοῦ ἐν ἁγίοις πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου ἐπισκόπου Νεοκαισαρείας, τοῦ θαυματουργοῦ*. *S.P.N. Gregorii*

gorii Episcopi Neocæsareæ, Thaumaturgi. De eodem agunt Latini in Martyrologio hac die. Marmor Neapolitanum: *Dep. Gregorii Thaum.* Depositio Gregorii Thaumaturgi. Vita Græce, ἱερὰ καὶ ὑπέρλαμπρος, Latine & Græce in Act. Sanctor. ad 9. Maji Tom. 2. pag. 448. & 766. In eundem Encomia Gregorii Nysseni, & Michaelis Pselli; vide apud Fabric. Tom. 9. Bibl. Græc. pag. 81. & seq.

XVIII.

PLATO.

ROMANUS.

Ita & Fasti Papebrochiani. At Codices Vaticani hac die vacant. Noster Slavicus. *Sancti Martyris Platonis*. Possevinus perperam: *S. Martyris Plotonis*. Menologium Græcorum: τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Πλάτωνος, καὶ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Ῥωμανοῦ. *Sancti Martyris Platonis, & S. Martyris Romani*: Menologium Basilianum pag. 195. *Certamen Sancti Martyris Platonis*, & pag. 196. *Certamen Sancti Martyris Romani, & socii infantis*. Papebrochius: *Platon Martyr. Romanus Martyr*: „ Antiochiæ in Pisidia, cum Barulo puero, sub Galerio, etiam „ hodierno Romano adscriptus, de quo extant duæ S. Joan„ nis Chrysostomi Orationes „. Non Antiochiæ in Pisidia, sed in Syria, passum hunc Martyrem, vetera monumenta docent. Chrysostomum autem non Romanum Antiochenum, sed Cæsareensem Diaconum laudasse, infra patebit. Latini de Romano hac ipsa die: de Platone vero, Martyre Ancyræ, die 22. Julii: ubi obrepsit error in notis Emi Baronii scribentis, Græcos agere de Sancto Platone in Menologio xv. *Kalend. Januarii*, quum de eo agant xiv. *Kalend. Decembris*, hoc est, xviii. die Novembris. Platonis martyrium, οὐ ξένα Γαλατῶν τὰ παρόντα, οὐδὲ ὁμολογητοῦ τῆς ἀληθείας ἀλλότρια, Græce MSS. Lambec. tom. 8. pag. 278. 281. Latine apud Sur. ad 22. Julii. In Menologio Græcorum, duo *Romani* coluntur, & duo Synaxaria de iis habentur; In primo Synaxario dicitur Romanus sub Maximiano Imperatore martyrium subiisse: obviam enim factus Asclepiadi Præfecto tum, quum Idolorum fanum ingrederetur, zelo accensus, conatus est hominem ab ingressu avertere, asserens, Idola nequaquam Deos esse. Quare colaphis cæditur, & in equuleum raptus, depectitur. Qui dum torque-

quereretur, pergebat dicere, unum esse Deum, quem vel infantes agnoscunt. Productus itaque Sancti jussu ad redarguendum Præfectum infans, & interrogatus a Præfecto, quemnam Deum coli oporteret; eum, inquit, quem Christiani colunt. Verberibus igitur exceptus infans præsente matre, aquam poposcit, qua sitim depelleret. Cui mater: ne bibas, ait, fili, ex hac aqua; sed vade, & ex aqua vivente bibe: & hunc in modum decollatus est. Sanctus vero Romanus post excisam linguam rursus expedite loquens, in carcerem detruditur, ibique Maximiani jussu suffocatur. Ita & Basilianum Menologium de Romano & Infante: quos pictura sic exhibet, uti in Synaxario narratur: nimirum in latere dextero, Infans a Satellite decollatur, matre a longe spectante: in sinistro autem, Romanus senex barbatus in carcere inclusus, fune ad collum alligato, a duobus Satellitibus suffocatur.

In altero Synaxario de Sancto Martyre Romano Diacono Cæsareæ in Palæstina hæc leguntur. „ Romanus iste, ortu „ Palæstinus, dignitate Diaconus & Exorcista in Ecclesia Cæ„ sareæ, sub Diocletiano in urbe Antiochia certamen subiit „. Quum enim multis ad tormenta fortiter subeunda persuasisset, sponte ad Judicem accedens, ab ipso igni condemnatur. Quo Diocletianus cognito, ab igne quidem ipsum subtraxit, linguam vero ejus amputari jussit. Verum Sanctus Martyr multo expeditius post linguæ abscissionem loquebatur, Christum prædicans. Quamobrem in carcerem conjectus, & in numella ad quinque foramina pedibus distentis, laqueo strangulatur. De hoc secundo Romano Diacono Cæsareensi, silet hac die Menologium Basilianum: ejus tamen commemorationem peragit ad diem 16. Martii, Tom.3. pag.18. in hæc verba: „ Ro„ manus autem quum Ecclesiæ Cæsareæ Palæstinæ Diaconus „ esset, Christique fidem populum doceret, comprehensus, „ multisque tormentis excruciatus, eodem die gladio cæsus, „ finem accepit.

Stat ergo duos a Græcis Romanos coli; ambos Antiochiæ in Syria passos, ambos lingua mutilatos; sed unum cum Infante; alterum Diaconum Cæsareensem. In Romano Martyrologio ad diem 18. Novembris unius Romani fit commemoratio cum hoc elogio. „ Antiochiæ Natalis S. Romani Marty„ ris,

„ ris, qui tempore Galerii Imperatoris, quum Asclepiades
„ Præfectus in Ecclesiam irrumperet, eamque funditus cona-
„ retur evertere, cæteros Christianos hortatus ut ei contradi-
„ cerent, post dira tormenta, & linguæ abscissionem (sine
„ qua tamen Dei præconia loquebatur) in carcere laqueo
„ strangulatus, celebri martyrio coronatur. Passus est etiam
„ ante ipsum puerulus nomine Barula, qui ab eo interrogatus,
„ utrum melius esset unum Deum colere, an plures Deos,
„ quum in unum Deum, quem Christiani colunt, credendum
„ esse respondisset, verberibus cæsus, jussus est decollari „.
Hic, de quo loquitur Martyrologium Romanum, ipse est Romanus prior, qui hac die a Græcis colitur in utroque Menologio. Sed ubi in Martyrologio Romano dicitur hic Romanus sub Galerio passus, in Græcis Synaxariis habetur sub Maximiano; & ubi in elogio Latino narratur, Romanum hunc, quum Asclepiades Præfectus in Ecclesiam irrumperet, eamque funditus conaretur evertere, hortatum fuisse ceteros Christianos ut ei contradicerent: in Græcis Actis legitur, non in Ecclesiam irrumpenti Præfecto, sed in Idolorum fanum ingredienti restitisse Romanum, ac dixisse, Idola Deos non esse. Baronius in notis ad hanc diem, duos quidem esse Romanos asserit; sed de Romano pueri Barulæ socio eadem scribit ac ea quæ hic ex Martyrologio Romano sunt descripta. „ Arbitrati sunt
„ [inquit] nonnulli unum eundemque esse Romanum, & non
„ duos; quum præsertim nomen, locus passionis, tempus de-
„ nique, ac genus Martyrii, in utrisque conveniant. Ego ve-
„ ro opinor id ipsum factum a Prudentio de Romano, quod
„ de Hippolytis fecisse compertum est; plures scilicet in
„ unum acervando atque confundendo: adstipulorque liben-
„ tius Græcorum Menologiis, qui duos diversosque Romanos
„ Martyres celebrant: quod & ratio persuadet, dum diversa
„ martyrii utriusque causa conspicitur. Nam ille Romanus
„ Eusebii (a) idcirco martyrium subiisse scribitur, quod ad
„ Idolorum delubra properantes, libera voce redarguit; hic
„ autem eo quod Præfectum in Christianorum Ecclesiam ir-
„ rumpentem avertere conatus est: ille insuper solus, hic
„ autem una cum puero passus est; cujus admirandam confes-
„ sio-

a De quo Eusebius hist. lib. 8. cap. 12.

„ sionem nequaquam verisimile est ab Eusebio fuisse præter-
„ missam, quum tam egregio exemplo magis magisque suam
„ nobilitasset historiam. Sunt & alia, quæ alterum ab altero
„ satis distinguere videntur „. Jam vero qui in Actis a Mombritio Tom. 2. editis *Barula* puer dicitur, hic in antiquo Toletano Breviario *Theodulus* appellatur: qui enim Syris est *Barula*, imo *Barallaha* & per compendium *Barlaha*, idest, *filius* seu *puer Dei*; idem Græce dicitur *Theodulus*, idest, *servus Dei*: omnes enim norunt pueros pro servis usurpari. Eusebius Cæsareensis hist. lib. 8. cap. 12. describit martyrium *Romani Diaconi Cæsareensis*. S. Joannes Chrysostomus de Sancto Romano præclaram habuit orationem, quam descripsit Metaphrastes, & recitat Surius tom. 5. Sed [ut observat Baronius] plane de eo quem describit Eusebius: nam nulla illic fit mentio de pueri martyrio. Acta Syriaca in vetustissimo Codice Nitriensi extantia, è tenebris Ægypti in Bibliothecæ Vaticanæ lucem ego attuli: in quibus plena habetur martyrii SS. Alphæi, Zacchæi, & Romani historia. Hanc Syriace & Latine edidit meus ex sorore Nepos Stephanus Archiep. Apameæ in Actis Martyrum Occidentalium Tom. 2. a pag. 177. præmissa admonitione, in qua opinionem Valesii sequutus, Baronium refellit, qui duos Romanos unacum Græcis agnoscit. „ Do-
„ ctissimus Valesius [inquit pag. 174.] cui consulto succinunt
„ Ruinartus, ac Tillemontius, a Græcorum Menæis, eorum-
„ que fautoribus dissentit, unumque Antiochiæ, Diocletiano
„ imperante, Romanum, de quo loquitur Eusebius, marty-
„ rio perfunctum fuisse, demonstrat „: in adnotationibus scilicet ad Caput 2. de Martyribus Palæstinæ, ubi hæc habet verba: „ Quum enim uno eodemque die ambos esse passos,
„ eodemque martyrii genere perfunctos, Græcorum Menæa
„ fateantur [utrique enim præcisam linguam adfirmant,
„ utrumque post abscissionem linguæ loquutum; tandemque
„ in carcere strangulatum esse consentiunt:] quis non videt,
„ frustra ab illis distingui duos Romanos? Miror tamen, sen-
„ tentiam hanc placuisse Baronio in notis ad Martyrologium.
„ Certe si duo ejusdem nominis fuere Romani Martyres, &
„ si ambo eodem die martyrium passi sunt Antiochiæ, cur
„ Eusebius hoc loco unius dumtaxat mentionem fecit? Dicet

„ fortasse aliquis, Eusebium in hoc libro de solis Palæstinæ „ Martyribus loqui instituisse, atque idcirco solius Romani „ Diaconi meminisse, quippe qui Palæstinus esset. Verum „ Eusebius alibi quoque hujus Martyris mentionem fecit: in „ secundo, scilicet, libro de Resurrectione, & Ascensione „ Christi, ubi Romani martyrium luculente & oratorie de„ scribit his verbis: „ In Antiochenorum illa urbe Romanus „ quidam extitit Martyr &c.„; Vides hic etiam, unum „ dumtaxat Romanum ab Eusebio agnosci, qui martyrium An„ tiochiæ perpessus sit „. Verum quam infirma sint hæc Valesii argumenta, quis non videt? Nam primo falsum est uno eodemque die ambos Romanos fuisse passos, eodemque martyrii genere perfunctos. Etsi enim in Menæis Græcis ad eandem diem coluntur, & ambo in carcere strangulati dicuntur; Basilianum tamen Menologium, quo antiquus Ecclesiæ Constantinopolitanæ ritus circa annum 980. repræsentatur, de Romano quidem infantis socio agit ad diem 18. Novemb., eumque post linguæ abscissionem in carcere strangulatum narrat; Romanum vero Diaconum Cæsareensem laudat ad diem 16. Martii, eumque gladio cæsum perhibet: quamquam hoc postremum sinceris hujus Martyris Actis repugnat, in quibus strangulatus vitam finiisse perhibetur. Adeo hi duo Sancti & ab antiquis & a recentibus confusi sunt, ut qui locus Romano Diacono Cæsareensi ad 18. Nov. dandus esset, is Romano alteri datus sit, qui ad 16. Martii coli debuerat: & quo martyrii genere Diaconus Cæsareensis perfunctus est, eo vitam consummasse alter Romanus dicatur, qui ad 16. Martii gladio cæsus dicendus esset. Secundo, etiamsi uno eodemque die a Græcis hodiernis hi duo Romani coluntur; constat tamen ex aliis Sanctorum Actis, non semper eo, quo martyres passi sunt, die in Menologiis coli. Ut infinita exempla prætermittam, hoc unum ex ipsis Syriacis Actis martyrum Palæstinæ profero. S. Timotheus lento ignis supplicio ab Urbano Gazæ præfecto damnatus, martyr occubuit die XXI. Maji: quo etiam die, eademque in urbe Sancti Agapius & Thecla ad bestias damnati sunt: horum tamen martyrum commemorationem tum Græci, tum Latini consignant ad diem 19. Augusti. Quid? quod Acta ipsa Syriaca nos docent, Romanum Diaconum Cæsareensem eadem die

die 17. Novembris passum fuisse, qua & Zacchæus & Alphæus coronati fuerant: & Latini tamen quum die 17. Nov. Alphæum, & Zacchæum colant, Romanum tamen ad diem sequentem ponunt: Græci vero tam Romanum, quam Zacchæum & Alphæum die 18. Nov. commemorant. Tertio, Eusebius tum in historia lib. 8. cap. 2. tum in libro illo de Resurrectione & Ascensione Christi (si quidem genuinus Eusebii fœtus est:) idcirco Romani tantum Diaconi meminit, quia hujus, non alterius vitam descripsit. Cur autem passos Antiochiæ martyres omnes commemorare debuerat, qui de solis Palæstinæ martyribus loqui instituit? ac proinde veniam quodammodo a Lectoribus petit, quod quum Romanus Antiochiæ passus esset, ipsius tamen, tamquam hominis Palæstini, martyrium descripserit: „ Et hic quidem (inquiens pag. 181. Tom. 2. cit.) „ utpote Palæstinus, inter patriæ nostræ martyres jure a nobis „ recensitus est, tametsi martyrium Antiochiæ subierit „. Igitur alterum Romanum, etsi in eadem Diocletiani persecutione Antiochiæ passum, idcirco omisit, quia ad Palæstinam nullatenus spectabat. Quarto, quid prohibet, duos Romanos, Palæstinum unum, & Antiochenum alterum, eodem etiam mortis genere in eadem persecutione affectos? nonne in iisdem Actis Syriacis pag. 179. Alphæus & Zacchæus, eodem die, eademque in urbe, cervicibus plexi sunt? cur igitur repugnet, eadem in urbe, ab eodemque tyranno, ambos Romanos lingua fuisse mutilatos? Quod vero amputata lingua ambo loquuti perhibentur, id divinæ quidem potentiæ tribuendum miraculum est; sed non majus mihi videtur, quam quod tres pueri in fornace Babylonica manserint incombusti, aut quod de aliis martyribus narratur una ad bestias damnatis, vel in ignem conjectis, nec ullam tamen offensam expertis. Ut missa faciam multa hujusmodi divinæ potentiæ miracula, quod Antiochiæ sub Diocletiano & Galerio Romanis duobus accidit, idipsum Alexandriæ de Sancto Mena sub Maximiano narratur in Menologio ad x. Decembris, in hæc verba: (a) „ Quod ubi cognovit Imperator (Menam scilicet hortationibus suis Christianos promtiores reddidisse:) misit Hermogenem Præfectum, qui omni tormentorum genere flu-

 „ deret

a Menol. Basil. Tom. 1. pag. 20.

„ deret Sanctum Menam a christiana Fide abducere. At ille „ Menæ oculos primum effodit, deinde linguam præcidit. „ Sed quum sanitati restitutum illum cerneret, credidit & „ ipse Hermogenes „. Ad ea, quæ Tom. 2. Act. martyrum Occidentalium pag. 174. adduntur contra rationes a Baronio pro duobus Romanis allatas, facilis est responsio. Nam, etsi Diocletianea, seu Maximianæa Persecutio, cujus primo exeunte anno Romanus Cæsareensis Diaconus martyr occubuit, ab Ecclesiarum eversione initium sumsit; non est tamen necesse, martyres in ea Persecutione idcirco comprehensos fuisse, quod Ecclesiarum eversionem prohiberent. Quot alias causas in sinceris martyrum Actis videmus? Legantur ipsa martyrum Palæstinorum martyria, & nullum reperire est martyrem avertentem Præfectos, ne Ecclesias everterent. Quin & ipse Romanus Cæsareensis Diaconus non ideo passus est, quia Præfectum in Ecclesiam irrumpentem avertere satagebat, sed quia Christianos ab idolorum cultu strenue avocabat. Verba hæc sunt pag. 179. „ Romanus.... non secus atque martyr Alphæus, „ eos qui ob Tyranni timorem in prærupta erroris ac dæmo- „ num cultum delapsi fuerant, gravitate verborum atque „ comminatione, a sacro Idolis faciendo avertebat, tremen- „ dum Dei judicium iisdem in mentem revocans. Porro „ excelso adeo erat Romanus animo robustoque, ut a nemine „ arcessitus, in trepidantium Christianorum cœtum ultro im- „ miserit sese, & ante Judicem steterit. Quem ubi edicen- „ tem Christianis audiit, ut idolis immolarent, omnesque „ tanta percitos formidine animadvertit, ut Judici mox ob- „ sequuturi viderentur, sese nullatenus continere potuit stu- „ diosissimus Christi martyr, quin eos ex altissimo veluti „ montis culmine in abyssum tenebricosissimam præcipitatos „ commiseraretur, & divini culus doctrina ipse, tamquam „ lux, illustraret, contenta voce inclamans: quo, quo „ tandem, infelices homines, vos agi sinitis? *& post pauca*. „ Hæc dum enixa voce, excelso animo, tranquilloque ore „ imperterritus athleta proferebat, a militibus correptus est „ jussu Judicis „. Eadem in Synaxario de isto Romano dicuntur. Igitur, quod Prudentius, auctor orationis 48. quam in Tom. 1. operum S. Jo. Chrysostomi inseruit Fronto Ducæus

& Acta

& Acta Mombritiana, quibus subscribit Baronius, affirmaverunt, Romanum ideo fuisse comprehensum, quod Præfectum in Christianorum Ecclesiam irrumpentem avertere conatus sit; id, inquam, non de Cæsareensi Diacono intelligendum, sed de illo Antiocheno; de quo tamen Acta sincera Græca in Synaxario paulo diversam narrationem habent, ut supra diximus: nimirum, Romanus ille Præfectum non in Ecclesiam Christianorum, sed in fanum idolorum, ingredi volentem, avertisse his verbis: idola non sunt dii. Quidquid recentiores omnia confundentes, ad Acta sincera illud fabulosum addiderint, quod sequitur: „ Quidam ex officio Præfecti nunciaverunt ei dicentes: „ Romanus nomine monachus, persuasit populo, & omnibus „ Ecclesiasticis, ut resistentes prohibeant te Ecclesiam introi„ re. Audiens hæc Præfectus, mox præcepit exhiberi eum &c. Actum esset de Sanctis fere omnibus, si e Sanctorum Catalogo expungendi essent, eo quod in eorum Acta vel a Metaphraste, vel ab aliis aucta, error aliquis contra veritatem historicam obrepsisse cernitur. Certum exploratumque est, *Monachos* Antiochiæ non extitisse tum, quum Romanus comprehensus: certum est etiam, non ideo fuisse comprehensum, quod prohibuisset, ne Præfectus Ecclesiam ingrederetur: hæc enim duo ab Actis sinceris absunt, atque e recentiorum cerebro in Acta S. Romani sunt invecta. Demum, quod objicitur de puero illo, qui in nonnullis Latinorum Martyrologiis *Barulas*, in Breviario Toletano *Theodulus* vocatur, in Menæis autem, & in Menol. Basiliano, necnon in Synaxariis Syrorum anonymus est, ne verbum quidem apud probatos illorum temporum scriptores occurrere; primum autem omnium esse Prudentium, qui ejus pueri mentionem faciat: respondetur, idcirco illius pueri neque Acta Eusebiana, neque tributam Chrysostomo orationem meminisse, quia non de Romano Antiocheno loquuntur, sed de Cæsareensi. E contrario, qui Antiocheni Romani res gestas narrat Prudentius, Menologium Basilianum, Menæa Græca, & Synaxaria Syrorum, disertis verbis illum puerum commemorant: cujus nomen, etsi in Menologiis & Synaxariis hodiernis non exprimitur, illud tamen *Barlabæ* Syriace, & *Theoduli* Græce fuisse, auctor gravissimus Prudentius ex iis quæ tunc in promtu erant, anti-

antiquis Ecclesiarum Orientalium monumentis hausit, & ex Prudentio in Toletanum Breviarium illud ipsum nomen invectum esse, verosimile est. Hactenus de duobus Romanis.

In Fastis Papebrochianis, Pictura exhibet Romanum, habitu laico, geminam crucem manu tenentem. Ita & in Tabulis Capponianis, laico habitu exhibetur, sed sine cruce.

XIX.

Propheta Abdias.
Martyr Barlaam.

Codex uterque Vaticanus cum nostro Slavico vacat hac die. Possevinus pro Abdia perperam obtrudit Eugæam, his verbis: „ xix. S. Prophetæ Eugeæ, fortassis Aggæi; sed & 16. „ die sequentis mensis est Commemoratio Prophetæ Aggæi. Inscriptio Ruthenica disertum Abdiæ nomen exprimit. Fasti Græcomoschi: *Abdias. Barlaam*. Papebrochius. „ Barlaam „ Martyr, laudatur a S.Basilio, & inscribitur Romano hodier„ no. Laudasse eundem dicitur & S. Joannes Chrysostomus, „ sed ejusmodi oratio non invenitur „. Utriusque, Abdiæ scilicet Prophetæ & Sancti Barlaam Martyris, Latini mentionem faciunt hac die in Martyrol. Rom. ubi Baronius in not. „ De sepulcro Abdiæ in Samaria, deque mirandis prodigiis „ scribit S. Hieron. in Epist. 27. ad Eustochium, in Epitaphio „ Paulæ, & in comment. in Abdiam cap. 1. *Et de S.Barlaam*: „ Agunt de eodem Martyre Græci in Menolog. ad xvi. Kal. „ Decembris, ejusque Martyrii historiam paucis describunt. „ Ferunt eundem a S. Joanne Chrysostomo orationibus enco„ miasticis exornatum, quæ tamen excidisse videntur: tan„ tum extat ejus laudatio a S. Basilio egregie conscripta „. Non ad xvi. Kal. Decembris, ut in Baronii notis obrepsit, sed ad xiii. Kal Decem. hoc est, hac die 19. Novembris, agunt Græci de S. Barlaam. Menologium Græcum: τοῦ ἁγίου Προφήτου Ἀυδίου. καὶ τοῦ ἁγίου Ἱερομάρτυρος Βαρλαάμ. *S. Prophetæ Abdiæ. Et S. Sacromartyris Barlaam*: de quo in fine Synaxarii: τοῦτον καὶ ὁ θεῖος Χρυσόστομος, καὶ ὁ μέγας Βασίλειος, ἐγκωμίοις ἐτίμησαν. *Hunc & divinus Chrysostomus, & magnus Basilius Encomiis celebrarunt*. Basilianum Menologium agit de Abdia quidem hac die 19. Nov. pag. 198. De Sancto vero Barlaam ad diem 16. ejusdem mensis [quo respexisse videtur Baronius,

hoc

hoc eſt ad XVI. Kal. Decemb.] pag. 193. *Certamen Sancti Barlaham*. Ubi hoc Pictura repræſentat, quod in Synaxario narratur. Videlicet, in latere ſiniſtro idolum, ut videtur, Jovis, ſedentis in ſella in templo duabus columnis ſuffulto, ſuper tabulatum orbiculare, quatuor gradibus ſuperimpoſitum, haſtam dextra tenentis: & aram coram poſitam cum igne ardente; in dextero latere, Sanctum Barlaamum ſenem barbatum togatum, a ſatellite explicata per vim ſiniſtra manu, admotum altari, ignem ſimul cum thure excipere compulſum. Exiſtimabat enim [ut in Actis legitur] præfectus, eum excuſſis ad aram unacum thure carbonibus, viſum iri victimas diis obtuliſſe. At ille conſtans & immobilis ſtetit, quovis ære ferroque duriorem dextram [in Pictura, ſiniſtram] tenens, donec ſubjecta caro igni abſumta in terram decidit perforata ejus manu; quum interim ipſe averſo ab ara vultu ſemper eſſet, & manum comburi mallet, quam thus ad aram projicere: atque ita generoſo firmoque animo beatam animam Deo tradidit. Tabulæ Capponianæ repræſentant Abdiam prophetam, volumen explicatum manu dextra tenentem, in quo ſcriptum aliquod, ſed literis adeo minutis, vix ut legi queat. Exſtat in vetuſtiſſimo Codice Syriaco Nitrienſi 31. Homilia Severi Patriarchæ Antiocheni, ſeptuageſima tertia, de Sancto Barlaham Martyre, lectu digna. Vide Tom. 1. Bibl. noſtræ Orient. pagin. 571. col. 1. In eundem Barlaamum homilia S. Baſilii, *πρότερον μὲν τῶν ἁγίων οἱ θάνατοι*, MSS. Lambec. tom. 8. p. 277. Græc. Lat. Tom. 1. pag. 512. & Lat. apud Sur. ad 19. Novem. & S. Jo. Chryſoſtomi, *συνεκάλεσεν ἡμᾶς*, in edit. Savil. to. 5. pag. 493. Et in edit. nova Montfaucon. Tom. 2. pagin. 681. Hanc Chryſoſtomi homiliam deperditam putabat Baronius. Barlaam Martyrium Græce extat apud Lambec. tom. 8. p. 277. Init. *κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν πολλῶν συναρπαζομένων*.

XX.

PROCLUS ARCHIEPICOPUS.
GREGORIUS DECAPOLITA.

Codex Vaticanus uterque hac die vacat. Faſti Græcomoſchi: *Gregorius*. *Proclus*. Poſſevinus; *S. Patris Procli*, dumtaxat. Codex noſter Slavicus: „ *SS. PP. NN.* qui fuerunt Ar„ chiepiſcopi Regiæ Urbis [*Zarigrada*] Maximiani, Procli, Ana„ tolii;

„ tolii; & Gennadii. Et S.Gregorii novi Thaumaturgi „. Menologium Græcum: τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου τοῦ Δεκαπολίτου. καὶ τοῦ ἐν ἁγίοις πρς ἡμῶν Πρόκλου ἀρχιεπισκόπου Κωνσταντινουπόλεως. *S. P. N. Gregorii Decapolitæ: Et S. P. N. Procli Archiepiscopi Constantinopoleos*. Additur loco Synaxarii: ὃς ἐχρημάτισε μαθητὴς τοῦ μακαρίου Ἰωάννου τοῦ Χρυσοστόμου, καὶ τοῦ θρόνου διάδοχος, *qui discipulus Joannis Chrysostomi fuit, atque throni successor*. In Menologio Basiliano colitur Proclus ad diem 24. Octobris cum Synaxario pag. 140. Gregorius autem Decapolita ad hanc diem xx. Novembris pag. 203. ubi dicitur in Decapoli Isauriæ urbe natus temporibus Iconomachorum, quum adolescentiam attigisset, paratas sibi a parentibus nuptias vitaturus, Monachus factus, in speluncam subiisse dæmonum frequentia infestam, a quibus verberatus, oratione tandem illos expulit. Sed per visum a Deo monitus, relicta spelunca, cæpisse terrarum orbem peragrare. Quum igitur Syracusas Siciliæ urbem venisset, in quadam muri civitatis turri habitasse, ubi & plurima miracula edidit. Mox Thessalonicam petiisse, deinde Byzantium. Illic, aliquanto post, juxta visionem divini Simeonis ibidem pietatis causa [*propter cultum Imaginum*] vincti, cum quo abunde versatus est ac de anima philosophatus, migrasse ad Dominum. Eadem in Synaxario Græco in Menæis; sed nomen patris Sergii, & matris Macariæ fuisse: ex Isauria in diversas Asiæ regiones profectum, tandem Byzantium abiisse: inde Romam, & in alias Occidentis regiones: rursus Byzantium petiisse, mox in Olympum montem, tum Thessalonicam, demum tertio Byzantium, ubi obiit, postquam Simeonem pro cultu Imaginum vinctum visitasset. In Martyrologio Romano ad hanc diem 20. Novemb. hoc elogio exornatur. *Constantinopoli S. Gregorii Decapolitæ, qui ob cultum Sanctarum Imaginum multa passus est*. Papebrochius ad metricum Græcum Novembrem. *Decapolita hic est, etiam hodierno Romano additus, cujus vitam & miracula Græce habemus*. Acta extant Græce in Bibl. Coislin. pag. 211. Init. ἅπαν μὲν πάντως οὐδὲν ἄνω πέφυκε. De Proclo autem, ad Novembrem Moscorum figuratum, idem Papebroch. *Extant ejus opera Græco Latine edita: utinam etiam vita!* Proclus colitur a Latinis in Martyrol. Romano ad eandem diem,

ac in

ac in Menol. Basiliano, ideft ad xxiv. Octobris. Recole quæ de eodem supra diximus ad eandem diem. At marmor Neapolinum, unacum Russis habet Proclum ad hanc diem xx. Novembris his verbis. *P.S. Dasii, & Procli*, ideft, *Passio S.Dasii* Episcopi Dorostori in Mysia, & commemoratio *Procli* Episcopi CP. Cur autem in Ecclesia Neapolitana, in Tabulis nostris, & in Papebrochianis ad hanc diem idem Proclus ponitur, qui in utroque Menologio ad 24. Octobris commemoratur, non aliam quis rationem afferre possit, quam Corporis translationem; eoque magis, quod in Menæis Græcis, in quibus prima fit ad 24. Octobris Procli mentio cum Synaxario, iterum recurrit ejusdem Sancti ad hanc diem 20. Novembris commemoratio, sine tamen Synaxario. Qui vero in Codice Slavico coluntur Byzantini Antistites, habent quidem Synaxaria in Menologio utroque, videlicet *Maximianus* die 21. Apr.: *Anatolius*, die 3. Julii: *Gennadius* vero commemorationem cum Patriarchis Mena, Epiphanio & Joanne (seu ut habet Menolog. Basilian. cum Mena, Joanne, & Stephano) die 25. Augusti.

X X I.

INGRESSUS IN TEMPLUM SANCTISSIMÆ DEIPARÆ.

Ita & Fasti Papebrochiani, & Codices Vaticani, & Possevinus, & utrumque Græcorum Menologium, & Martyrologium Romanum ad hanc ipsam diem. Apud Græcos hæc festivitas admodum antiqua est; quippe quæ in vetustissimis Codicibus descripta reperitur: habeturque ejus mentio in Constitutione Emmanuelis Imperatoris, quam recitat Theodorus Balsamon in Nomocan. Photii tit. 7. cap. 1. In Gallias transiit ejusmodi festa dies temporibus Caroli Quinti Francorum Regis [ut notat Baronius] anno Domini 1375. de qua re extare dicitur ejusdem epistola ad Nicolaum Antisiodorensem Episcopum, quam citat Molanus in additione ad Usuardum. At Papebrochius tribus ante annis in Europam invectum fuisse Festum hujusmodi affirmat. „ Festivitas hæc [inquit ad Metri- „ cum Græcum Novembrem] quam nostra Societas hoc secu- „ lo plurimum excitavit per Belgium, apud Latinos non ad- „ modum antiqua est, sed primum in Europa fuit recepta & „ Avenione celebrata anno 1372., quemadmodum constat „ ex monumentis repertis inter scripta Philippi Mazerii Can- „ cellarii

„ cellarii Cypri. Monumenta autem illa, una cum altera vi-
„ ta S. Petri Thomasii Carmelitæ per Carmessonium scripta,
„ anno 1666. liberaliter donavimus RR. PP. Carmelitis, ea-
„ dem typis vulgare cupientibus, uti etiam factum est „. Miror, in marmore Neapolitano idem Festum non describi, quum constet Ecclesiam Neapolitanam in Sanctorum Fastis utplurimum cum Græca consentire. Tabulæ nostræ Capponianæ repræsentant Deiparam Mariam adhuc triennem ab Anna & Joachimo parentibus præsentatam Zachariæ Sacerdoti in gradibus Templi eam excipienti. Uniuscujusque capiti inscriptum est proprium nomen literis adeo minutis, ut oculos pene fugiant. Nimirum Joachim. Anna. Zacharias. Maria. In Tabulis Papebrochianis eadem B. Virgo triennis, manibus ante pictus junctis, præsentat se ipsam Zachariæ Sacerdoti, stanti in Templo, habitu pontificali induto, & manibus expansis eam excipienti. Pone Sacerdotem est quidam vir admirans. In latere sinistro, pone B. Virginem, adstant Joachimus & Anna parentes, necnon duæ aliæ feminæ. Culcinius in 2.Par. p.103.
„ Wowedenie, hoc est, Introductio in Templum Sanctissimæ
„ Deiparæ. Habeo in meo Anthologio Imaginem consimilem
„ tabellæ apud Papebrochium. Officium pariter solemne cum
„ parvis & magnis vesperis, cum duplici Canone, altero
„ Georgii, altero Basilii; & cum Synaxario his ornato ver-
„ siculis.

In claustro Templi Gabriel te alit o Virgo,
Qui postmodum tibi illud Ave adferet.

Ex hisce Jambis Græcis proculdubio desumti sunt Ruthenici versiculi.

Εἶδον ξέφει σε Γαβριὴλ, ναῷ κόρη.
Ἥξει δὲ μικρὸν ϰ͂ τὸ, χαῖρε, σοὶ λέγων.

Menologii Basiliani Pictura alludit ad rem in Synaxario narratam: quæ sic habet. „ Post admirabilem Sanctorum Joachim
„ & Annæ partum, secundus a venerabili gloriosæ Deiparæ
„ semperque Virginis Mariæ nativitate jam exibat annus,
„ quum Joachim uxori suæ Annæ dixit: Ducamus eam in
„ Templum Domini, quemadmodum polliciti sumus. Cui
„ Anna: Tertium prius annum expleat, ne forte parentum
„ desiderio non dirigatur in conspectu Domini. Post tertium
„ igitur

„ igitur annum ait Joachim : accersamus immaculatas Hebræorum puellas, quæ accensas lampades præferant, ne ad „ ea, quæ retro sunt, se convertat puella, sed mens ejus tota in Tempo Domini mancipetur. Atque ita fecerunt. Excipiens igitur puellam Zacharias, inquit : Magnificet Dominus nomen tuum ; simulque eam in altaris gradu collocavit. Et nutriebatur ab Angelo, donec annum duodecimum attigit. Quumque tempus desponsationis advenisset, accepit eam Joseph a Pontificibus in templo Domini „. Igitur in Pictura repræsentatur, in medio Deipara stans dextra extensa ad Zachariam Sacerdotem, stantem in Templo, eamque in gradum altaris erigere volentem. In latere dextro, adstant pone Deiparam parentes ejus Joachim & Anna, & septem post eos puellæ accensas faces tenentes. In latere sinistro supra gradus sedet eadem Deipara, cibum ab Angelo accipiens. Capita omnium sunt nimbo ornata, præter puellas. De historia alibi sermo erit. Porro in Præsentationem sive εἰς τὰ Εἰσόδια, in ingressum in Templum, quando B. Maria triennis in Templo tradita est, extant Græce plurima Patrum encomia, ac primo, *αἱ τῶν θείων πανηγύρεων ἐλλάμψεις*, Bibl. Coisl. pag. 388. Secundo, Sancti Germani Patriarchæ Constantinopolitani, *ἰδοὺ καὶ πάλιν ἑτέρα ἑορτή*, Lambec. tom. 4. p. 129. & tom. 8. pag. 52. Græce Latine tom. 5. auct. nov. Combefis. pag. 1411. Tertio, Georgii Chartophylacis, *καλὰς ἡμῖν ὑποθέσεων ἀρχάς*, Bibl. Coisl. pag. 212. 388. Græce Latine to. I. Auct. nov. Combef. pag. 1091. & Lat. apud Sur. ad 21. Nov. Quarto, Jacobi Monachi, *πολλοὶ πολλάκις τὴν πεῖραν τῶν πολυτίμοις*, Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 113. Quinto, Leonis Imper. *τίς αὕτη ἡ ἀνατέλλουσα ὡς κρίνον* ; Græce & Latine Tom. I. Auct. nov. Combef. pag. 1619. Sexto, Tarasii Patriarchæ Constantinopolitani, *φαιδρὰ καὶ παράδοξος ἡ παροῦσα πανήγυρις*, Bibl. Coislin. pag. 212. Septimo, Georgii Monachi & Chartophylacis magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ. *φαιδρὸν τὸ τῆς παρούσης ἑορτῆς τὸ σύνθημα*, Græc. Lat. Tom. I. Auct. nov. Combefisii pag. 1070.

Surius tom. 6. pag. 479. Græcum nomen, τὰ Εἰσόδια, quo Præsentationem seu Ingressum Deiparæ in Templum Græci appellant, ipse perperam reddit *Exitum*. Sic enim habet.

bet: „ S. P. N. Georgii Archiepisc. Nicomediæ oratio de exi„ tu SS. Dominæ nostræ Deiparentis, quando fuit oblata in „ Templo „ præter quam quod Georgius iste in Græcis exemplaribus dicitur Chartophylax magnæ Ecclesiæ & Monachus, non *Episcopus* Nicomediæ.

XXII.

Apostolus Philemon, et Socii.

Codex uterque Vaticanus cum nostro Slavico vacat. Possevinus *S. Apostoli Philemonis*. Fasti Papebrochiani: *Philemon*. Menologium Græcum: τῦ ἁγίυ ἀποστόλυ φιλήμονος, κὴ τῶν σὺν ἀυτῷ. *S. Apostoli Philemonis, & Sociorum ejus. Archippi* scilicet & *Amphiæ*, qui Sancti Pauli discipuli dicuntur in Synaxario. Menologium Basilianum eosdem commemorat ad diem sequentem, ubi pag. 206. & pictura & Synaxario martyrium eorum describitur. A Latinis *Philemon* & *Apphias* coluntur hac die: *Archippus* vero, ad 20. Martii. In Tabulis Capponianis & Papebrochianis Philemon depingitur cum habitu Pontificali & Pallio.

XXIII.

Gregorius Agrigentinus.
Amphilochius Episcopus.

Codex Vaticanus uterque cum nostro Slavico hac die vacat. Fasti Papebrochiani: *Amphilochius*. *Gregorius*. Possevinus perperam: *S. Martyris Amphilochii*. Menologium Græcum: τῦ ἐν ἁγίοις πρς ἡμῶν Ἀμφιλοχίυ ἐπισκόπυ Ἰκονίυ. κὴ τῦ ἐν ἁγίοις πρς ἡμῶν Γρηγορίυ τῦ Ἀκραγαντίνυ: *S. P. N. Amphilochii Episcopi Iconii, & S.P.N. Gregorii Agrigentini*. Coluntur hac ipsa die & a Latinis in Martyrol. Romano: sed Menologium Basilianum, de S. Gregorio quidem agit die 24. hujus; de Amphilochio vero, die 19. Octobris. In Basiliano Menologio, S. Gregorius dicitur, Justiniano Rhinotmeto imperante, claruisse, filius Charitonis & Theodotæ qui in urbe Agrigentinorum degebant, ab Episcopo ejus loci è sacro baptismatis fonte susceptus, educatus, & Clericus factus. Annos vero 18. natus quum sacra loca inviseret, a Macario Episcopo Hierosolymitano Diaconus creatus, hinc Byzantium, deinde Romam profectus, demum in Sicilia Agrigentinorum Episcopus fuisse ordinatus. A Sabino autem & Crescentino falso accu-

accusatus, eorum calumnias editis miraculis compressisse, eosque nigros reddidisse, ita ut ad hanc diem eorum posteritas ita appareat. Atque Ecclesiam suam hac ratione recipiens, in extrema senectute vitam finiisse. Depingitur in Menologio pag. 209. in latere dextero in exilium pulsus, duobus ipsum ducentibus. In sinistro stans habitu Pontificali, Deumque alloquens, in forma manus humanæ è nubibus prodeuntem. At in Menologio Græco, fertur quum esset 18. annorum, Clericus factus a Potamione Episcopo, postea unacum Marco annos 4. Monachum egisse; inde Antiochiam, tum Hierosolyma perrexisse, ubi a Macario Episcopo Diaconus ordinatur. Inde Constantinopolim profectus, in amicitiam Georgii Patriarchæ se insinuasse, tum, quum Synodus adversus Sergium, Pyrrhum & Paulum celebrata est. Postea Romam perrexisse; Postremo in patriam rediisse, ubi Episcopus ordinatus, ab invidis apud Papam Romanum falso delatus, & in carcerem conjectus, quum duos ibi annos cum dimidio egisset, tandem jussu Imperatoris eductus, propriam recepisse Ecclesiam, eo adversus accusatores patrato miraculo, quod & in Basiliano Menologio narratur. Ex quo patet, in utroque Menologio duos Gregorios Agrigentinos in unum commisceri: „ Nam, ut „ notat Baronius, primus Gregorius interfuit Quintæ Syno„ do, quum nondum Episcopus esset: factus postea Episcopus „ claruit temporibus Mauricii Augusti, quum Romanæ Ec„ clesiæ Sanctus Gregorius præsideret, apud quem falso ac„ cusatus causam dixit. Extant de ea re nonnullæ ejusdem „ Gregorii epistolæ in regest. lib. 1. Epist. 70. lib. 2. Epist. 12. „ Indict. x1. lib. 4. Indict. 14. Epist. x1. & lib. 7. Indict. 1. „ Epist. 24. Reperitur alius insuper ejusdem Civitatis, & no„ minis Episcopus Gregorius Agrigentinus, qui post annos „ octoginta claruit, Agathone Romano Pontifice, interfuit„ que Romanæ Synodo tunc celebratæ, cui & subscripsit, ut „ apparet ex ejus Actis, quæ extant in Sexta Synodo Œcume„ nica, Act. 4. Hactenus Baronius „. Quod igitur de Sancto Gregorio narratur a calumniatoribus apud Romanum Pontificem accusato, id de primo Gregorio intelligendum est, qui sub Sancto Gregorio Papa claruit. Id autem, quod dicitur de Gregorio, qui se in amicitiam Georgii Patriarchæ Constantinopo-

nopolitani insinuavit, quique Byzantii tum aderat, quum Synodus adversus Sergium, Pyrrhum & Paulum coacta est, refertur ad secundum Gregorium, qui & Romæ interfuerat Synodo sub Sancto Agathone adversus Monothelitas celebratæ. Atque hic secundus Gregorius sub Justiniano Rhinotmeto vixit, non primus. Nam Justinianus anno Christi 686. Constantino Pogonato patri in Imperio successit: anno 695. naribus rescissis in Chersonesum relegatus est: anno 705. in Imperium restituitur, quod usque ad annum 711. administravit: quo anno a Philippico Bardanis filio interfectus est unacum Tiberio ipsius filio. Georgius autem Patriarcha, Theodoro anno 678. dejecto sedem Byzantinam obtinuit usque ad annum 683. quo anno Theodorus iterum Constantinopolitanæ præfuit Ecclesiæ. Macarius vero Hierosolymitanus Patriarcha quum sedem illam post Eustochium ab anno 563. ad annum 574. tenuerit, uti Quienus in Oriente Christiano Tom. 3. a pag. 235. ad 242. demonstrat; fieri non potest, ut secundum Gregorium, sed primum ordinaverit Diaconum: sicuti fieri nequit, ut is, qui sub Gregorio Magno Papa Romano accusatus fuit, usque ad tempora Synodi Sextæ quæ anno 681. celebrata est, pervenerit: nam Sanctus Gregorius Papa Romanam Sedem ab anno 590. usque ad annum 604. doctrinis pariter ac sanctissimis operibus illustravit. Gregorii Agrigentini Acta Græce, κάλλιστόν τι χρῆμα ἡ ἀρετὴ, Allat. pag. 538. de Consensu; Latine apud Sur. ad 23. Novembris. Alia, οὗτος ὁ μακάριος καὶ μέγας Γρηγόριος, MSS. Lambec. tom. 8. pag. 281.; Item auctore Marco Monacho & Hegumeno S. Sabæ, σοφὸν καὶ ἀκατάληπτον χρῆμα, & auctore Leontio Presbytero & Hegumeno Monasterii S. Sabæ Romanæ urbis, φοβερὸν καὶ ἀκατάληπτον θαῦμα, Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 81.

Amphilochii vero, Episcopi Iconiensis, triplex apud eundem Fabricium laudatur vita. Prima, ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις βασιλεύοντος τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ μεγάλου Θεοδοσίου. Altera, καὶ τί τῶν καλῶν ἔσται τις. Tertia, ἦν τις ἀνὴρ μοναχὸς ὀνόματι Ἀμφιλόχιος. Græc Lat. Combefis. in Amphilochio pag. 228. Latine apud Sur. ad 23. Novemb. Vide Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 52. & seq.

ÆCA-

XXIV.

ÆCATHERINA.

MARTYR CHRISTI MERCURIUS.

Codex Vaticanus uterque cum noſtro Slavico hac die vacat. Poſſevinus in Calendario: *S. Martyris Catharinæ*. Ita & Faſti Papebrochiani: *Ecatherina*, dumtaxat. Menologium Baſilianum ad diem 24. hujus, habet commemorationes, 1. *S. Cæciliæ, & Sanctorum Sociorum Valeriani, & Tiburtii.* 2. *S. Siſinii Epiſcopi Cyzici & Martyris*; 3. *S. Gregorii Epiſcopi Agrigentinorum*; Ad diem vero 25. ponit, 1. *Certamen S. Clementis Romæ Epiſcopi & Martyris*: 2. *Certamen Sancti Petri Epiſcopi Alexandrini & Martyris*: 3. *Sancti Mercurii Martyris*: 4. *Sanctæ magnæ Martyris Æcaterinæ*. At Menologium Græcum ad hanc diem 24. Novemb.: τῶν ὁσίων πατέρων ἡμῶν καὶ ἱερομαρτύρων, Κλήμεντος Ῥώμης, καὶ πέτρου Ἀλεξανδρείας. *SS. PP. NN. & Sacrorum Martyrum, Clementis Romæ, & Petri Alexandriæ*: Ad diem vero 25. μνήμην ἐπιτελοῦμεν τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος τοῦ Χριστοῦ καὶ πανευφήμου Αἰκατερίνης, καὶ τοῦ ἁγίου μεγαλομάρτυρος Μερκουρίου. *Commemorationem peragimus Sanctæ magnæ Martyris Chriſti, ac celeberrimæ Æcaterinæ, & S. magni Martyris Mercurii*. Codex quoque Vaticanus primus Ruthenicus ad diem 25. *Clemens Papa Romæ*. Et Codex ſecundus ad diem 24. *S. Gregorius Agrigentinus*. Sed & in metrico Græco menſe Novembri, ad 23. colitur Amphilochius, ad 24. Gregorius Agrigentinus, ad 25. Facunda puella, ideſt, S. Æcaterina. De SS. Clemente, & Petro nihil. Demum in Martyrologio Romano ad 22. Novembris, S. Cæciliæ: ad 23. S. Clementis Papæ, S. Siſinii Cyziceni, S. Amphilochii, & S. Gregorii Agrigentini: ad 24. nullius ex his quæ ſupra in Menologiis Græcorum, ſed *S. Chryſogoni*. Ad 25. S. Catharinæ Virg. & Mart., & S. Mercurii Martyris. Marmor Neapolitanum ad 22. Novem. Nat. S. Cæciliæ; ad 23. Nat. S. Clementis; ad 24. Nat. S. Chryſogoni; ad 25. Paſſio S. Petri Papæ de Alexandria; ad 26. Nat. S. Silæ Apoſtoli. De S. Catharina nihil. Codex noſter Slavicus ad 25. S. Clementis Papæ Romani; ad 26. Sanctæ Martyris Æcaterinæ, & S. Georgii. Hanc Menologiorum diverſitatem Papebrochius conſiderans, hæc ſcribit: „ XXIV. Ecaterina Virgo „ Mar-

„ Martyr. Die sequenti apud Græcos & Latinos. Apparet „ autem errore quopiam factum esse, ut locum & diem hæc „ Sancta mutaret cum Sanctis *Clemente* & *Petro*, qui ad hanc „ XXIV. spectant; hic vero perperam adscribuntur die XXV. „ Cæterum non est hic error solius Sculptoris: idem enim „ in Kalendario Possevini invenitur. Antequam porro hujus „ Sanctæ Ecaterinæ cultus invalesceret apud Græcos, primus „ in officio divino locus erat ei, qui nunc secundum habet, „ S. Mercurio: cujus Acta a Metaphraste exornata habemus, „ & his vetustiora Latina cum laudatione Nicephori Gregoræ. „ Habent autem etiam Rutheni suum *Mercurium*, apud Smolenskum, qui quantam intulerit Tartaris stragem an. 1236., „ apparitione Deiparæ ad hoc excitatus, narrat Kojalowicz; „ sed oblitus diem quo colatur notare. Erit interim aliquis „ forsan qui eum nos doceat, ut proprio suo loco detur a nobis historia de Imagine miraculosa Korsunensi B. Virginis „ Mariæ, cui ipsius Mercurii innexa gesta sunt, haud usque„ quaque (ut verum fatear) a fabulositatis specie remota. Hactenus Papebrochius. Verum ad diem, quo S. Mercurius a Ruthenis colitur, quod spectat, is diserte indicatur in Tabulis nostris una cum S. Catharina ad 24. Novembris. Sed neque in solis Tabulis Capponianis, verum etiam in officio Ruthenico. Culcinius Par. 2. pag. 104. ad XXIV. Nov. „ Sapien„ tissima & magna martyr Æcaterina conspicitur in meo An„ thologio coronata regio diademate, & habet proprium offi„ cium cum Synaxario. Jungitur ei hodie megalomartyr Mer„ curius.

Acta S. Mercurii, Græce exstant, ἐν τῷ καιρῷ ἐκείνῳ βασιλεύοντος Δεκίε ϗ Βαλεριανῦ, Latine apud Sur. 24. Nov. Alia auctore Nicephoro Gregora, ϗ κυβερνητὴς μετ' πρὸς ἄνεμον Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pag. 124. Coronatam Catharinam repræsentat Menologium Basilianum pag. 213. ubi hoc de ipsa legitur Synaxarium „ Æcaterina martyr, Alexandrina, reguli „ cujusdam divitis ac nobilis filia, forma & ingenio præstan„ tissima, quum Græcas literas didicisset, Philosophicis „ etiam scientiis se addixit, & linguas gentium omnium cal„ luit. Quum vero festus aliquando dies idolis ageretur a „ Græcis, videretque animalium multitudinem jugulari, id „ ægre

„ ægre ferens, adiit Maximinum Imperatorem, & cum illo
„ disseruit, inquiens: Quare Deo vivo relicto, inanimata
„ idola colis?. Maximinus igitur retentam, acerbissime ex-
„ cruciavit. Deinde accersitis undique quinquaginta oratori-
„ bus: disceptate, inquit, cum Æcaterina, eamque con-
„ vincite: nisi enim illam convincetis, vos omnes flammis
„ tradam. Illi vero se superatos esse videntes, baptizati
„ sunt, atque ita igni conflagrarunt. Æcaterina autem capi-
„ te obtruncata est„. Pictura exhibet, in latere dextero,
oratores illos flammis traditos: in modo Æcaterinam regio diademate coronatam & tunica auriphrygiata indutam, a satellite capite obtruncari: superne, Deum in forma manus humanæ e nubibus prodeuntem, radios emittere tam in sanctam, quam in illos Sanctos Martyres, quorum omnium capita sunt radiata. Item in Tabulis Capponianis depingitur S. Æcaterina coronata & regio habitu induta: sed & in Papebrochianis eodem regio cultu, dextera crucem tenens, læva rotam, nimirum instrumentum martyrii .. Quoad res ipsius gestas, optime notat Baronius, in iis haberi aliqua quæ corrigantur; nullum qui illorum temporum res gestas noverit, inficias iturum, ut inter alia illud de Maxentio, cujus loco Maximinus restitutus est.Papebrochius ad Græcum Novembrem metrieum:„Hæ-
„ caterinam Græci, (inquit) Latini Catharinam appellant.
„ Acta apud utrosque quantum habent admirabilitatis, tanto
„ etiam plus difficultatis patiuntur ad obtinendam fidem. Ni-
„ hilo levior objicitur molestia circa sacri corporis ad montem
„ Sinai translationem: indubitabilem illam quidem, quo ad
„ substantiam; sed, quoad auctores ejus ac tempus, per-
„ quam obscuram. Hoc certum; nullam esse Sanctam, cujus
„ fama cultusque primis post persecutiones seculis ignotior,
„ celebrior autem ætatibus posterioribus fuerit, non solum
„ in Orientali, sed etiam Occidentali Ecclesia. *Et post pauca*
„ *de miraculis loquens ad ejus invocationem patratis*: Plura &
„ pluribus ex locis colligenda speramus, prius quam ad hunc
„ mensem opus nostrum pervenerit, eaque tam certa atque
„ testata, ut obmutescere faciant obgannientium hæretico-
„ rum ora. Quid enim si nomen ejus & sepulcrum seculis ali-
„ quot primis a martyrio occultum habere voluit Deus, sicut

„ S. Rosaliæ corpus in Sicilia ? an non potest illius, postmodum ut voluit revelati, veritatem reddere populis christianis per indubitabilia miracula certum ? non ita modicæ fidei sumus; nec tamen etiam tam credulæ, ut religioni nobis ducamus dubitare de Actis per Græcos, quorum minus discreta facilitas varia de sanctis commenta suscepit, Latinisque communicavit severioris examinis egentia. Expolivit ea Metaphrastes: auctorem primum, sub alieno tamen nomine latentem, videtur invenisse Allatius, quando Græca reperit hoc fine terminata: *Hæc ego Athanasius scriba, famulus dominæ meæ Æcaterinæ, composui commentaria ipsius, in omni sapientia*. Utinam hæc nobis inveniat aliquis. Interim præsumere possumus, eadem fide auctorem prodire cum titulo *famuli*, & *scribæ* ipsius Sanctæ, qua similem titulum assumpserunt auctores Passionum, quas habemus, de SS. Georgio ac Theodoro: de quibus fortassis præstaret nihil scriptum fuisse, quam scriptum fuisse sine solido veterum auctorum fundamento „. Sed de Actis alibi sermo erit. Interim nihil solidius, ut videtur dici potest de S. Æcaterina, quam quod ex Eusebio hist. lib. 8. cap. 14. suppresso licet nomine, de eadem legitur, in hæc verba, „ Certe unica mulier Christiana, Alexandrinarum omnium nobilissima atque opulentissima, quum ceteræ a tyranno (Maximino) violatæ fuissent, effusam atque effrenatam Maximini libidinem virili quadam animi celsitudine devicit. Mulier tum ob splendorem generis ac divitias, tum ob singularem doctrinam celeberrima; sed quæ modestiam ac pudicitiam his omnibus præferebat. Quam quum tyrannus sæpius interpellasset de stupro, obtruncare quidem illam, mori utique paratam, non sustinuit, eo quod crudelitate superior esset cupiditas; ceterum bonis omnibus spoliatam, exilio damnavit „. In Græco Eusebii textu, neque *Virgo* dicitur, neque *Matrona*, aut *Mulier*: Sed *μόνη Χριστιανὴ, τῶν ἐπ' Ἀλεξανδρείας ἐπισημοτάτη τε καὶ λαμπροτάτη, ἔνδοξος πλούτῳ καὶ γένει καὶ παιδείᾳ*: quæ omnia Catharinam, uti a recentioribus describitur, apprime designant. Catharinæ martyrium extat triplex. Primum, *Βασιλεύοντος τοῦ ἀσεβεστάτου μαξεντίου*, Lambec. tom. 8. pag. 226. 282. 340. Lat. apud Sur.

Sur. 25. Nov. Secundum , ἔτυς λέ βασιλεύοντος τοῦ ἀσεβῦς ϗ παρανόμυ βασιλέως Μαξεντίυ, Lambec. tom. 8. pag. 388. Tertium , τοῦ παρανόμυ ϗ ἀσεβεςάτυ Μαξεντίυ τυραννῦντος , Fabric. 9. Bibl. Græc. pag. 64. Ubi Maxantius pro Maximino obrepsit.

XXV.

Clemens Papa.

Petrus Alexandrinus.

Codex primus Vaticanus de solo Clemente ad hanc diem. Codex secundus hac die vacat. Possevinus: *S. Patris Clementis*: ita & Codex noster Slavicus. Fasti Papebrochiani, æque ac nostræ Tabulæ Capponianæ: *Clemens. Petrus.* Marmor Neapolitanum hac die xxv. Novemb. *P. S. Petri Pap. de Alexan.* idest, Passio S. Petri Papæ de Alexandria: nam Patriarchæ Alexandrini, nomen *Papæ* usurpant: ad diem vero xxiii. *nat. S. Clementis*. Menologium Basilianum hac ipsa die & de S. Clemente Papa Romano agit, & de S. Petro Episcopo Alexandrino. At Menologium Græcum de utroque ad diem antecedentem. A Latinis, Clemens quidem colitur 23. Nov. Petrus vero die 26. Pictura in nostris Tabulis Capponianis, nec non in Papebrochianis, exhibet S. Petrum cum tiara in modum Regiæ coronæ: ferunt enim Græci, S. Cyrillum a S. Leone Papa donatum fuisse Tiara Pontificia, qua ejus successores uti perrexerunt, a Græcis mitris paululum diversa. Tabulæ Menologii Basiliani pag. 210. repræsentat Templum S. Clementis in mari a puero manibus apprehensum, & in latere dextero Episcopum sinistra manu cereum accensum, dextera thuribulum tenentem, sequentibus post ipsum, Clerico cum cruce, & aliis Ecclesiasticis & laicis cum cereis accensis. Alluditur ad id, quod in Synaxario narratur, his verbis. „ Sed a „ Trajano Imperatore comprehensus, tortusque, Ancyram „ Galatiæ relegatur: ubi pariete inclusus, obstructa lapidibus „ janua, atque legumine tantum sustentatus, in hoc squallo„ re & angustia è vita excessit: cujus pretiosæ reliquiæ, ut „ fertur, a fidelibus quibusdam sublatæ, Chersonam transfe„ runtur, quæ in profundum maris ab Idololatris projectæ, „ innumera miracula in hanc usque diem ad Christi gloriam „ operantur „. Auctor istius Synaxarii in eo allucinatus videtur, ut anchoram ad collum S. Clementis alligatam, dum

 vivus

vivus in mare jussus est demergi, pro urbe Ancyra sumeret, in quam relegatum a Trajano Sanctum dicit, ibique pariete inclusum & mortuum: nam Græce ἄγκυρα æque dicitur urbs Galatiæ, ac anchora navis. Quum autem aliunde sciret, reliquias S. Clementis in profundo Chersonæ mari coli; idcirco addidit illud de Corpore ejusdem post obitum Chersonam translato, & ab Idololatris in mare projecto. Cæterum quæ in pictura ibidem refertur historia, disertis verbis narratur in Menæorum Synaxario, sic. Ἀλλὰ παρὰ Δομετιανοῦ κρατηθεὶς, τιμωρεῖται. καὶ μὴ πειθόμενος τοῖς αὐτοῦ προστάγμασιν, ἐν ἐρήμῳ πόλει παρακειμένῃ τῇ Χερσῶνι ἐξορίζεται. ἐκεῖθεν τε πάλιν δεθεὶς πρὸς τὸν αὐχένα αὐτοῦ ἄγκυραν σιδηρὰν ῥίπτεται ἐν τῷ βυθῷ τῆς θαλάσσης, καὶ οὕτω τελευτᾶται. ὁ δὲ τῶν θαυμασίων Θεὸς, δοξάζων καὶ μετὰ θάνατον τὸν οἰκεῖον θεράποντα, θαυματουργεῖ τὶ μέγα καὶ ὑπερφυὲς τεράστιον. ἔκποτε γὰρ ὑποχωροῦντος τοῦ ὕδατος μίλια τρία καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἐν τῇ τοῦ ἁγίου μνήμῃ, καὶ ὑποδεχομένου διὰ ξηρᾶς τοὺς ἐκεῖσε φοιτῶντας ἐπὶ ἡμέρας ἑπτὰ, μεγάλη ἦν τοῖς ἠλπικόσιν ἐπὶ κύριον εὐφροσύνη. καί ποτε τῆς θαλάσσης ὑποχωρησάσης, καὶ τοῦ λαοῦ εἰσεληλυθότος, ἔτυχε παῖδα ἐκεῖσε καταλειφθῆναι σμικρότατον κατὰ λήθην τῶν γονέων αὐτοῦ, οἵτινες οἷα εἰκὸς ἀποκλαυσάμενοι, καὶ θρήνους καὶ ὀλοφυρμοὺς εἰς ἅπασαν τὴν πόλιν κινήσαντες, εἰς τὸν μετέπειτα ἐνιαυτὸν, πάλιν τοῦ κύματος ἀνακεχωρηκότος προσελθόντες, εὗρον τὸ παιδίον ὑγιὲς, καὶ τῇ τοῦ ἁγίου λάρνακι παρακαθήμενον, ὅπερ διερωτήσαντες, ἔμαθον, παρὰ τοῦ κειμένου ἐκεῖσε ἁγίου διατρέφεσθαί τε, καὶ ἐκ τῆς τῶν ἁγίων αὐτοῦ πρεσβειῶν χάριτος, τῶν ἐναλίων τῆς βλάβης περιφυλάττεσθαι. καὶ τοῦτο ἀναλαβόμενοι, καὶ τῷ ἁγίῳ τὰ εἰκότα εὐχαριστήσαντες, οἴκαδε ἀνεχώρησαν, δοξάζοντες τὸν Θεόν. „Sed
„ a Domitiano comprehensus, excruciatusque, quum
„ ejus mandatis obtemperare noluisset, in solitudine urbis
„ Chersonæ relegatur. Inde rursus, alligata ad ejus collum
„ anchora ferrea, in profundum maris dejicitur, atque ita vi-
„ tam finivit. Verum operator mirabilium Deus, volens
„ servum suum etiam post mortem glorificare, magnum &
„ stupendum miraculum fecit. Nam ab eo tempore ad tria
„ milliaria mari per singulos annos in ipsius Sancti commemo-
„ ratione retrocedente perque septem dies iter per siccum ac-
„ cedentibus præbente, magna exinde sperantibus in Domino
„ læti-

„ lætitia oriebatur. Quum autem aliquando & mare recessisset, & populus ingressus fuisset, accidit, puerum ibi per „ oblivionem parentum remansisse: quem proinde parentes, „ ut fieri solet, plangentes & lamentantes, totam urbem „ commovebant. Quum vero anno sequenti, iterum mare „ recessisset, & ad locum venissent, invenerunt puerum incolumem, & juxta Sancti arcam sedentem: qui ab iis interrogatus, respondit, ab eo qui ibi jacebat Sancto, alimentum se accepisse,& adjuvante Sanctarum ipsius precum gratia „ a fluctuum nocumento illæsum servatum fuisse. Hunc ergo „ recipientes, & debitas Sancto gratias agentes, inde recesserunt, glorificantes Deum „. Domitianum pro Trajano obtrudit Synaxarium Græcum; contra omnium antiquorum fidem. Porro hoc pueri miraculum narratur etiam ab Ephræmo Chersonæ Episcopo apud Lipomanum tom. 6. pag. 517. Metaphrastes quoque in Vita S. Clementis, meminit Templi marmorei, in quo Corpus Sancti Clementis in medio mari servabatur, & quod singulis annis retrocedebat mare, per septem dies siccum iter præbens venientibus ad sacram Pontificis urnam venerandam. „ Quod quidem [inquit] Deo placuit fieri ad laudem ejus nominis usque in hodiernum diem. Hoc „ autem facto, quod erat præter opinionem miraculo, omnes „ gentes circumcirca credidere Christo. Quo in loco nullus „ invenitur gentilis, nullus Hebræus, nullus omnino Hæreticus „. Ephræmus quoque Chersonæ Episcopus id miraculum ad sua usque tempora fieri consuevisse testatur: *Ab eo enim tempore usque in hodiernum diem singulis annis fit hoc miraculum*. Idem in Romano Breviario asseritur. „ Quod quum „ factum esset [ideft, Sancto Clemente in mare demerso] „ Christianis ad litus orantibus, mare ad tria milliaria recessit: eoque illi accedentes, ædiculam marmoream in Templi formam, & intus arcam lapideam, ubi Martyris Corpus „ conditum erat, & juxta illud anchoram, qua mersus fuerat, „ invenerunt. Quo miraculo incolæ permoti, Christi fidem „ susceperunt „. Subjungitur in eodem Breviario narratio de Translatione Corporis S. Clementis inde Romam facta: „ Ejus Corpus postea Romam, Nicolao Primo Pontifice, translatum, in Ecclesia ipsius S. Clementis conditum est „. Baronius

ronius in notis ad 23. Novembris. „ De Sancti Clementis „ Translatione firmius testimonium illud putamus, quod ex „ Epistola Anastasii Bibliothecarii ad Carolum Regem accipi- „ tur, data Kalend. Aprilis Indict. VIII. ubi hæc verba: „ Vir „ magnus & Apostolicæ vitæ præceptor Constantinus Philo- „ sophus Romam sub venerabilis memoriæ Hadriano juniore „ Papa venit, S. Clementis Corpus sedi suæ restituit. Hæc „ Anastasius oculatus testis „. Cujus testimonio constat, non Nicolao Primo, uti in Breviario dicitur, sed Hadriano Secundo, Corpus S. Clementis, a Constantino Philosopho Romam fuisse delatum. Quum autem Hadrianus Secundus, Nicolai Successor, ab ann. Christi 867. ad an. 872. Sedem Romanam administraverit; miror, cur illius Translationis a Constantino seu Cyrillo Methodii fratre factæ neque Menologium Basilianum anno Chr. 980. exaratum mentionem faciat, neque Metaphrastes, qui centum fere post eam Translationem annis scripsit. Nimirum, Constantinus debuit ea Sacra Lipsana clam Chersonensibus inde auferre, a quibus summa religione colebantur. De Sancto Clemente Papa exstant multa Græce. Primum, auctore fere Synchrono, si credimus Allatio pag. 112. de Simeonum scriptis, ξένος ἀπὸ Πέτρου τοῦ Κορυφαίου, edidit è MSS. Cod. Bibliothecæ Regiæ Cotelerius Græce & Latine in Patribus Apostolicis hoc initio; Τρίτον τῆς Ῥωμαίων ἐκκλησίας προέστη. Deinde, auctore Leone Imp. ἀθλητικοὺς ἀγῶνας εὐφημεῖν θέλων. Tertio, auctore Ephræmo Chersonæ Episcopo, de miraculis Sancti Clementis: ἐξελθόντος Φιλίππου τοῦ Ἀποστόλου τῆς Γαλιλαίας. Quarto, eodem auctore de miraculo Sancti Clementis in puerum. εὐλογητὸς ὁ θεὸς, ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ. Et aliud: θαυμαστὸς ὁ θεὸς ἐν τοῖς ἁγίοις αὐτοῦ, apud eundem Cotelerium loco cit. Latine apud Sur. ad 23. Novembris. Demum Latine, *Trajani Imperatoris tempore*, apud Lipom. tom. 5. & Sur. ad 23. Novemb.

De Petro vero Alexandrino, εἶχε μὲν ἡ ἐπιφανὴς Νικομήδεια, Græce & Latinè cum notis Combefisii in Triumphis Selectis Martyrum Paris. 1660. pag. 189. Aliud, *Ad corroboranda corda credentium*, Lat. ex Anastasii Bibliothecarii versione apud Surium ad 25. Nov.

ALY-

XXVI.

ALYPIUS STYLITA.

Codex primus Vaticanus: *Alypius Stylita*: & *S.Georgius Martyr*, Ita & Fasti Papebrochiani: *Alypius*. *Georgius*: pro quo apud Culcinium obrepsit *Gregorius*, typographi oscitantia: nam idem Culcinius Par. 2. pagin. 104. ad 26. hujus: „ Sancto Alypio (inquit) Stylitæ, quem Rutheni pronunciant Alympium, additur hodie dedicatio Templi megalomartyris Georgii in urbe Kiovia ad Portam auream S. Sophiæ. Non tam igitur propter Encænia in Cyparisso, quam potius propter dedicationem Templi Kioviæ, colitur a Ruthenis hac die Megalomartyr Georgius, ut colligo ex Tropario, & Contacio, quæ habentur in meo Anthologio „. Codex secundus Vaticanus vacat. Noster Slavicus: *S. Mart. Catharinæ*: & *Sanctificatio S. Georgii*. Tabulæ Papebrochianæ repræsentant *Georgium* habitu militari stantem, & dextra hastam tenentem, cujus in summitate Crux firmata est: *Alypium* autem habitu monastico in columna stantem expansis manibus. Ita & depingitur *Alypius* in Tabulis Capponianis; sed in Menologio Basilianopag. 214. ad diem 26. hujus, exhibetur stans super columnam cancellis undequaque munitam, alloquens Deum, e nubibus in forma brachii humani radios ad ipsum emittentis prodeuntem. Menologium Græcum hac die: τῦ ὁσίυ πατρὸς ἡμῶν Ἀλυπίυ τῦ κιωνίτυ, *S. P. N. Alypii Stylitæ*. Possevinus male: *S. Martyris Olympii*: neque enim Martyr fuit; neque Olympius dictus. In Martyrol. Romano nulla fit hujus Alypii mentio. Papebrochius. „ Monachi hujus Stylitæ, sub Heraclio Imperatore florentis vitam hactenus intactam habemus „. Edidit Latine Surius ex Metaphraste tom. 6. pag. 588. Initium, *Si multi sæpe qui vitam scripserunt*, ubi auctor se Synchronum profitetur. At Græca Alypii vita, καλοὶ μὲν ἢ οἱ τῶν Μαρτύρων ἄθλοι, MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 283.

XXVII.

JACOBUS PERSA.

Codex Vaticanus uterque hac die: *Jacobus Persa*. Possevinus: *S. martyris Jacobi*. Fasti Papebrochiani: *Jacobus*. *Palladius*. Menologium Græcum: τῦ ἁγίυ μεγαλομάρτυρος Ἰακώ-

Ἰακώβου τοῦ Πέρσου. *S. Magnimartyris Jacobi Persæ*. Menolegium Basilianum pag. 215. *Certamen Sancti, multisque certaminibus clari martyris Jacobi Persæ*. Martyrologinm Romanum ad hanc diem. „ In Persia S. Jacobi intercisi, Martyris „ conspicui „. Marmor Neapolitanum: *P. S. Jacobi de Persi*, idest, Passio S. Jacobi de Persia. In Menologio Basiliano repræsentatur Sanctus Jacobus manibus ac pedibus præcisis, a satellite capite obtruncari: in latere dextro, Rex Persarum barbatus, paludamento regio & pileo Persico, sive corona indutus, sedens in sella, pedibus tabulato insistentibus, pone adstantibus tribus satellitibus cum hastis; præcipiens, trunco caput amputari. Regis nomen in eo Synaxario non exprimitur: sed in Menæis Græcis, & in Martyrologio Romano ad 27. hujus, passus dicitur S. Jacobus sub Isdegerde Persarum Rege, & quidem tempore Theodosii junioris, ut habent Acta apud Sur. & apud Mombritium tom. 2. Ut vero legitur in Synaxario Menæorum, *sub Arcadio & Honorio:* id quod etiam asseritur in Synaxario Arabico Coptorum ad diem XXVII. Hatur, his verbis: „ Ubi vero ipsius Martyrium mater, uxor, & „ soror cognovere, vehementer conlætatæ sunt; & venien„ tes ad locum, in quo sacra lipsana adservabantur, ea de„ osculatæ sunt, ac linteis pretiosis atque aromatibus, flen„ tes, cooperuerunt. Sub Honorio autem & Arcadio piis „ Imperatoribus ibidem Ecclesia cum monasterio superstru„ cta fuit „. Hæc ibi. Verum immani cum anachronismo. Nam Arcadius anno Chr. 408. obiit. At martyrium S. Jacobi contigit anno Græcorum 733. Vararanis Persarum Regis secundo; hoc est, anno Chr. 422. sub Theodosio juniore: quemadmodum habent sincera Acta Syriaca, quorum excerpta dedi Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 181. quæque Syriace & Latine edita sunt nuper a meo ex sorore nepote Stephano Archiepisc. Apameæ Tom. 1. Actorum Martyrum Orientalium a pag. 237. & confirmat Chronicon Edessenum num. 54. post annum Græcor. 732. nimirum ad annum 733. Chr. 422. his verbis: „ Per „ idem tempus martyrio coronatus fuit Beatus Jacobus Inter„ cisus „. Vide Tom. 1. cit. Bibl. Orient. pag. 402. Mombritius id ipsum de anno Vararanis Persarum Regis subodoratus fuerat, dum initio Martyrii pro Vararane corrupte scribit

Arara

Arara Perſarum Regis: quamquam poſtea Regis nomine obtrudit *Germanum* quendam, Perſarum Principem, a quo conquiſitum eſſe Jacobum dicit, poſtquam ad Chriſti fidem redierat. Cur autem apud Latinos & Græcos nomen *Iſdigerdis* pro Vararane obrepſerit, hanc cauſam fuiſſe puto: quia S. Jacobus ſub Isdigerde quidem a Chriſtiana fide defecit: ſub Vararane autem ad eandem fidem reverſus, Martyrium ſubiit. Hinc Nicephorus & alii, quum de Martyrio Jacobi loquerentur, ibique aſſererent, *Regis Perſarum juſſu*, ipſum obtruncatum fuiſſe, recentiores exiſtimarunt, eundem eſſe Regem, ſub quo a fide defecit, ac eum, ſub quo paſſus eſt. Poſtremo, ut aliquid obiter dicam de Translatione corporis S. Jacobi, quam Copti a Petro Epiſcopo factam in Ægyptum fabulantur; primum verba Synaxarii ſunt exſcribenda; deinde quis ille Petrus fuerit, expendendum. Ajunt itaque in ſuo Arabico Synaxario Copti, poſtquam ſub Honorio & Arcadio Eccleſiam cum Monaſterio ſuper ſancti Intercifi Martyris Lipſana extructam narraſſent. „ Poſtea vero (*a*) quam de Monaſterio, „ deque virtutibus ac prodigiis, quæ ex Martyrum Lipſanis „ aſſidue prodibant, certior factus eſſet Perſarum Rex, ea „ comburi juſſit, ne ulla ſcilicet Sanctorum memoria in Regno „ ſuo ſupereſſet. Verum fideles quidam Beati Jacobi Cor„ pus præripuerunt, illudque Hieroſolymam delatum, apud „ Sanctum Petrum Edeſſenum Epiſcopum depoſuerunt uſque „ ad Marciani Imperatoris tempora. Inde vero Tabennam „ Ægypti in urbem profectus Sanctus Petrus, illud ſecum de„ tulit, atque ibidem cum fratre ſuo aliquandiu commoratus, „ quum Horam Sextam, Sancto Corpore in medio poſito, „ perſolverent, apparuit Beatus Jacobus, choro Martyrum „ Perſarum, Perſica (*b*) veſte indutorum, ſtipatus, & una „ cum illis pſallerunt, eoſque benedicentes, quum Jacobus „ diceret; corpus meum hic remanere volo, ſicuti præcepit „ Dominus; ab eorum oculis omnes ſe ſubtraxerunt. Petrus „ porro Sancti Jacobi dicto minime obaudiit; nam paulo poſt „ inde in patriam cum fratre reverſurus, ſacrum Corpus ſe-

a Arabica verba habes Tom. 1. Actorum Martyrum Orientalium pag. 239.

b Perſica veſte. Vide picturam Papebrochianam Sancti Jacobi, in qua repræſentatur habitu Perſico; Ita & in Tabula Capponiana.

„ cum in navim asportavit. At de eorum manibus corpus „ ablatum, in eundem locum, ex quo delatum fuerat, restitutum est „. Hucusque Synaxarium Copticum. Subjungit meus ex sorore nepos in Admonitione ad hæc Acta pag. 240. „ Unde autem hanc Translationis Reliquiarum Sancti Jacobi „ historiam hauserit, nos prorsus latet; quum in Vita Petri „ Edesseni, Episcopi Hierosolymitani, ne verbum quidem „ de ea occurrat, nec Tabennæ, quod sciam, vel fragmen„ tum ex ossibus ejusdem Sancti Jacobi reperiatur „. Inter Patriarchas Hierosolymitanos nullus Petrus Edessenus extitit Marciani Imperatoris temporibus; imo neque ante, neque post Marcianum, nisi unus *Petrus*, Eleutheropoli ortus, qui ad sedem Hierosolymitanam anno 524. promotus, nunquam in Ægyptum legitur perrexisse. Vide Quienum in Oriente Christiano Tom. 3. pag. 189. ad 209. Igitur in Synaxario Coptico non hic, sed *Petrus Gazæ Episcopus* designatur, qui temporibus Concilii Calcedonensis vivebat. Hic cognomento *Iberus*, a Coptis ubique الرهاوي *Orrhoensis*, seu Edessenus appellatur: Sic enim *Iberi* nomen corrumpunt. Porro Zacharias Rhetor ab Evagrio in Historia Ecclesiastica laudatus, Cod. Syr. Vat. 24. quum de Theodosio Monacho, qui Juvenalis Patriarchæ Hierosolymitani Sedem invasit, mentionem facit, hæc scribit fol. 80. Theodosius iste, simul atque Juvenalis Chalcedonensi Concilio subscripsit, unacum nonnullis monachis in Palæstinam reversus, cuncta quæ ibi gesta fuerant, tumultuanti populo nunciavit, fidemque proditam conquestus, universos monachos concitavit, ut Juvenali a Synodo revertenti occurrentes, eum compellerent, ut sententiam suam retractaret: qui quum id facere detrectasset, ad urbem regiam contendit. At Monachi & Clerici cum nonnullis Episcopis in unum coëuntes, de substituendo in Juvenalis locum Episcopo cogitabant: & alii quidem Romanum & Marcianum Monachos, Concilii Chalcedonensis detrectatores, proponebant; alii alios: tandem huc omnium (ut scribit Zacharias Rhetor) devoluta est sententia, ut Episcopum ordinarent Theodosium, qui in Chalcedonensi Synodo maximos tumultus excitaverat, primusque ipsis de eadem Synodo nunciaverat. Ille vero statim post ordinationem suam, plures in urbibus trium Palæstinarum

rum intrudit Episcopos, inter quos fuit Petrus quidam Iberus, cui Gazæ Episcopatus commissus est „. Hæc iisdem fere verbis, suppresso Zachariæ nomine, narrat Evagrius lib. 2. cap. 5. qui tamen [ut notavi Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 56.] Petrum Iberum, quem loc. cit. Majumæ Episcopum vocat, eundem lib. 3. cap. 33. Episcopum Gazæ appellat, ubi de Monasterio Gazam inter & Majumam posito, in quo Severus Monachum egit: „ hoc in loco, inquit, Petrus quoque Iberus, qui ejusdem Gazæ Episcopus fuit, & qui cum Timotheo Æluro „ [*anno* 460.] in exilium missus est, monasticum vivendi genus excoluit „. Unus enim idemque & Gazæ & Majumæ Episcopus erat, etsi olim diversus esset Gazæ & Majumæ Episcopatus. Pergit Zacharias ejectionem Theodosii referre, & Petri Iberi unacum ejectis Episcopis spontaneum exilium. Juvenalis, inquit, ab Imperatore cum Dorotheo Comite, & ingenti exercitu in Palæstinam remittitur, ut Theodosium quidem vinctum in urbem regiam perduceret: Episcopos vero ab eo ordinatos, sedibus suis dejiceret, præter Petrum Iberum, pro quo Imperatrix intercesserat. Committitur acre bellum cum Theodosianis; cæduntur ex his plurimi, Samaritanis maxime in ipsos debacchantibus. Theodosius cum suis Episcopis pellitur, Petro Ibero excepto, quem Zacharias, utpote factionis Monophysiticæ fautor, comminiscitur, Angeli monitu, exules sponte sequutum fuisse. Evagrius lib. 2. cap. 8. Petrum Iberum memorat adfuisse anno 457. ordinationi Timothei Æluri. „ Interfuerunt [inquit] ordinationi, Eusebius Episcopus Pelusii, & Petrus ex Iberia oriundus, Episcopus „ Majumæ [*idem qui & Gazæ*] quemadmodum commemorat is, qui vitam Petri literis mandavit „. In vivis adhuc erat anno 512. quo sancto Flaviano Patriarcha Antiocheno in exilium misso, Severus hæreticus in ejus Sedem intrusus fuit: Libellus enim Monachorum ad Mennam Constantinopolitanum anno Chr. 536. oblatus, hæc de Severo asserit: „ Iterum ergo [Severus]& Petrum Iberum eodem tempore [quo „ sedem invadit Antiochenam] suscipit, & communicat cæteris hæreticis „. Nisi dicamus, id dictum intelligi de communione Severi cum hæreticis jam defunctis. Itaque hic Petrus est, quem Copti laudant, asserentes ipsum detulisse in

 Ægy-

Ægyptum reliquias S. Jacobi Intercisi. Nam e Palæstina in Ægyptum perrexisse Petrum, constat tum ex citato Evagrii loco, ubi dicit eum interfuisse ordinationi Timothei Æluri Patriarchæ Alexandrini: tum ex alio ejusdem Evagrii testimonio lib. 2. cap. 5. ubi narrat, Marcianum Imperatorem mandasse Dorotheo Palæstinæ præfecto, ut Theodosium intrusum Hierosolymorum Patriarcham, qui Petrum Gazæ Episcopum creaverat, vinctum ad se mitteret: „ Sed hoc ille (inquit) facere non potuit, propterea quod pestis illa in Sinæum montem profugerat. Post Theodosii vero fugam Juvenalis in thronum suum restitutus, omnibus quos ille ordinaverat, dignitatem statim ademit „. Quamquam enim Zacharias asserit, Eudociam Imperatricem, quæ in Palæstina degebat, pro Petro Ibero intercessisse, idem tamen subjungit, Petrum ipsum exules sponte sequutum fuisse; adeoque in Sinæum montem primo profugerat; deinde in Ægyptum superiorem, quemadmodum ajunt Copti in Synaxario. At vero eum Reliquias S. Jacobi secum detulisse, quis credat? maxime quum non constet de translatione ejus sacri Corporis e Perside in Palæstinam facta, paucis post S. Jacobi Martyrium annis. Is enim, ut ante diximus, anno Christi 422. passus est; & Petrus circa annum 453. e Palæstina in Ægyptum cum profugis Monophysitarum primipilis Episcopis se se contulit.

Exstant Græca de S. Jacobo Persa Acta e Syriacis certe translata, Primo, *Ἀρκαδίου τὰ Ῥωμαίων διέποντος σκῆπτρα*, MSS. Lambec. tom. 8. pag. 284. Secundo, *ἐν τῷ καιρῷ τοῦ διωγμοῦ τοῦ κατὰ τῶν Χριστιανῶν*. Tertio, *κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἦν ὁ μακάριος Ἰάκωβος οἰκῶν ἐν βηλαβῆ τῇ πόλει*, lege *Βηθλαπῆ*. Quarto, *κατὰ τὸν καιρὸν τῆς βασιλείας Θεοδοσίου τοῦ Βασιλέως καὶ Ἀρκαδίου καὶ Ὁνωρίου τῶν υἱῶν αὐτοῦ*. Quinto, *τῆς τῶν Ῥωμαίων καταυγασθείσης*. Fabric. tom. 9. Bibl. Græc. pagin. 84. Demum, *Jacobus Martyr cognominatus Intercisus*, Latine apud Sur. 27. Nov.

Sed ad Fastos Græcomoschos redeo. S. Jacobo Interciso in iis adjungitur *Palladius*. *Quis, aut cujas nescio* (inquit Papebrochius. „ Nam hic suspicari eum, qui Græcis ad XXVIII. Januarii notus est, fundamento careret. Ergo Indigenam potius opinabor, & ab Indigenis expectabo doceri „. At Indi-

Indigenam esse negat Culcinius Par. 2. pag. 104. „ Jacobo „ Persæ a martyrii genere dicto Interciso, subjungunt mei li„ bri Palladium monachum, sed non asserunt ipsum fuisse in„ digenam: quærendus ipse inter Græcos „. Nisi ex *Pinuphrio* monacho, qui hac die 27. Novemb. in Menæis colitur, factus sit a Græco Pictore *Palladius*; in sententiam Papebrochii libentissime abibo, dicens, eum Palladium a Moschis hac die coli, qui a Græcis ad 28. Januarii. Nam Palladii quidem illius nomen apud Græcos Russosque monachos celeberrimum est: in Tabulis vero Papebrochianis præter Palladium, qui hac die Jacobo Interciso subjungitur, nullus alius Palladius occurrit.

Codex noster Slavicus ad hanc diem 27. Nov. *Passio Sanctorum Martyrum Cosmæ & Damiani de Arabia: & S. Mart. Jacobi Persæ*. De *Cosma*, & *Damiano Anargyris* fratribus, dixi ad 1. hujus mensis. Horum porro Arabum Acta Græce incipiunt: Ἄρτι τῆς εὐσεβείας. Alia: Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ τῶν δυσσεβῶν. Alia: τὰς μεγάλας τῶν μεγάλων. Alia: ἡ σεπτὴ καὶ μεγαλόδωρος τῶν ἁγίων αὕτη σκηνή. Vide Fabric. Bibl. Græc. Tom. IX. pag. 68. & seq.

XXVIII.

STEPHANUS NOVUS.

Codex uterque Vaticanus: *Stephanus junior*. Possevinus: *S. martyris Stephani*. Fasti Papebrochiani: *Stephanus Irenarchus*. Menologium Basilianum ad hanc diem pag. 216. *certamen Sancti Martyris Stephani junioris, & sociorum Petri, & Andreæ*; pag. 217. *certamen Sanctorum, qui cum Sancto Stephano juniore pro sacris Imaginibus martyrium subierunt*: Basilii scilicet, alterius Stephani, duorum Gregoriorum, & Joannis: nec non anonymi cujusdam, qui in Chersonam relegatus, demum in Chazaria factus est Episcopus: pag. 218. *certamen S. Martyris Irenarchi Sebastensis*. Horum omnium fit hac ipsa die commemoratio in Menæis Græcorum, additurque Sancto Stephano juniori præter *Petrum* & *Andream*, etiam Sancta *Anna* pro sacris Imaginibus flagris cæsa. Notanda est Pictura Sanctum Stephanum in utrisque Tabulis, Papebrochianis & Capponianis, repræsentans. Nam utraque manu admotam pectori defert Imaginem Deiparæ puerum Jesum in sinu gestan-

gestantis: Colitur a Latinis iste Stephanus hac die, unacum sociis Basilio, Petro, Andrea, & aliis trecentis & triginta novem monachis, qui sub Constantino Copronymo pro sanctarum Imaginum cultu variis excruciati suppliciis, veritatem catholicam effuso sanguine confirmarunt. Acta Græce extant auctore Stephano quodam Byzantino, martyribus non multo juniore: *ἀγαθὸν ϰ̀ δίκαιον πᾶσι τοῖς εὐσεβεῖν*. Vide Allatium de Simeonibus pag. 81. & adversus Creyghtonum. Alia apud eundem Allatium incipiunt, *θεῖον τι χρῆμα ἡ ἀρετὴ ϰ̀ πολλῶν ἀξία*, MSS. apud Lambec. tom. 8. pag. 226. 285. Latine apud Sur. 28. Nov. De Irenarcho vero Martyrologium Romanum ad diem proxime antecedentem, hoc elogio: „ Sebastæ in Armenia Sanctorum Martyrum Hirenarchi, „ Acacii Presbyteri, ac septem mulierum, quarum constantia „ Hirenarchus ad Christum conversus, sub Diocletiano Imperatore, & Maximo Præside unacum Acacio securi percutitur „. Codex noster Slavicus hac die 28. & sequenti 29. vacat.

XXIX.

PARAMONUS.
PHILUMENUS.
ACACIUS.

Codex uterque Vaticanus vacat hac die. Possevinus perperam, *S. Martyris Porasoni*, pro, Paramoni. Ephemerides Papebrochianæ: *Paramonus*, *Acacius*. Menologium Basilianum ad eandem diem: „ certamen S. Martyris Philomeni „ qui Martyrium subiisse dicitur Ancyræ in Galatia sub Aureliano Imperatore; nulla facta Paramoni, aut Acacii mentione. At Menæa utrumque commemorant; Paramonum scilicet cum sociis, & Philomenum: & de Paramono quidem: *ἄθλησις τοῦ ἁγίου μάρτυρος Παραμόνου, ϰ̀ τῶν σὺν αὐτῷ* „ *ἁγίων τριακοσίων ἑβδομήκοντα συμμαρτύρων αὐτοῦ*, certamen „ S. Martyris Paramoni, & Sociorum Sanctorum tercentum „ & septuaginta, qui unacum ipso martyrium passi sunt „: de Philomeno vero: *μνήμη τοῦ ἁγίου μάρτυρος Φιλουμένου* „ commemoratio S. Martyris Philumeni „. Martyrologium Romanum ad hanc diem. „ Item passio Sanctorum Paramonis, & „ Sociorum 375. sub Decio Imperatore, & Aquilino Præsi-

„ de.

„ de. Ancyræ S. Philomeni Martyris, qui in persecutione „ Aureliani Imperatoris sub Felice præside igne probatus, „ manibus pedibusque, ac demum capite clavis confixo, „ Martyrium consummavit „. Baronius citat Acta Græca: in quibus tamen non 375. sed 370. Socii Paramoni dicuntur.

Acacium ut Monachum repræsentant & Tabulæ Capponianæ & Papebrochianæ. Papebrochius tamen hæc de eo scribit. „ Acacius Presbyter, Socius Martyris Paramoni, cum„ que eo hodierno Romano adscriptus, non debuerat uti Mo„ nachus exprimi; licet ita habeat prototypon Moscovi„ ticum „ Ego sane, Acacium Presbyterum non invenio in Romano hodierno Martyrologio adscriptum unacum Paramono socio; quinimo invenio eum non esse Paramoni socium, sed Irenarchi, qui sub Diocletiano passus est; quum Paramonus sub Decio Martyrium subierit. Hæc sunt Martyrologii verba ad 27. Nov. de Acacio Presbytero: „ Sebastæ in Ar„ menia SS. Martyrum Hirenarchi, Acacii Presbyteri, ac „ septem mulierum; quarum constantia Hirenarchus ad Chri„ stum conversus, sub Diocletiano Imp. & Maximo Præside, „ unacum Acacio securi percutitur „. Ad diem vero 29. ejusdem mensis, de Paramono: „ Item Sanctorum Paramonis, „ & Sociorum 375. sub Decio Imperat. & Aquilino præside. Itaque alius quærendus est Acacius Monachus, quem Fasti Græco-Moschi repræsentant. Hic certe alius non est, quam qui colitur in Menæis Græcis ad diem 26. Novembris, cum Synaxario, & hoc elogio. *τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἀκακίου τοῦ ἐν τῇ Κλίμακι*, *eodem die commemoratio S. P. N. Acacii, qui in Scala*. Monasticam vitam egit *ἐν τῇ Ἀσίας μονῇ*, in *quodam Asiæ Monasterio*, sub quodam Abbate, sene admodum austero & inhumano, annos novem, & quum migrasset ad Dominum, sepultus est cum Patribus in cœmeterio. Cætera vide in Synaxario.

XXX.

ANDREAS PRIMOVOCATUS.

Codex uterque Vaticanus: *Andreas Apostolus*. Possevinus: *S. Apostoli Andreæ*: Fasti Græco Moschi: *Andreas*. Menologium Basilianum pag. 221. *Certamen Sancti, & Clarissimi*

Apo-

Apostoli Andreæ, *fratris magni Petri*: qui depingitur ibi in crucem rectam actus, tunica indutus, quatuor clavis in manibus ejus pedibusque confixis, adstantibus duobus hinc inde satellitibus. Huic Picturæ concinere videtur Synaxarium Græcum in Menæis, ubi de Ægea Proconsule dicitur, S. Andream cruci affigi jubente: καὶ σταυρῷ προσηλώσας τὸν Ἀπόστολον, τῆς παρούσης ζωῆς ἐξιστᾷ „ & Cruci Apostolum clavis affigens, ex „ hac vita eduxit „. In Basiliano Synaxario hæc de ejusdem Sancti Andreæ prædicatione & martyrio leguntur. „ Hic „ germanus magni Apostoli Petri frater, post Ascensionem „ D. N. Jesu Christi, prædicavit in tota maritima ora Bithyniæ, „ Ponti, Thraciæ, & Scythiæ: deinde magnam Sebastopolim (*a*) lustravit, quam fluvii duo interscindunt, (*b*) „ *Psarus*, & *Phasis*, cujus (*Phasidis*) sunt accolæ interiores „ (*c*) Æthiopes. Postremo Patras Achaiæ in Peloponnesum „ migravit, ubi ab Ægea Proconsule in crucem sublatus est: „ atque ita mortem obiit. Sacræ vero ejus reliquiæ, tunc „ quidem Patris in Achaia depositæ; postea vero Constantini „ Imperatoris jussu a sancto Artemio unacum Sanctis Apostolis „ Luca & Timotheo Constantinopolim translatæ, sub sacra „ Apostolorum Mensa conditæ fuerunt, gratiam curationum „ emittentes „. In Menæis eadem fere habentur de S. Andrea: sed pro Constantino Imperat., legitur *Constantius*, cujus jussu Sanctus Artemius corpus B. Andreæ Byzantium detulit: Insuper prædicatio S. Andreæ facta dicitur in Bithynia, in Ponto Euxino, in Propontidis partibus unacum Chalcedone & Byzantio, in Thracia, in Macedonia usque ad Istrum fluvium: in Thessalia, in Hellade seu Græcia, & in partibus Achajæ: sed & in Amiso, Trapezunte, Sinope, Heraclia, Amastride, Neocæsarea, & Samosatis urbibus: populis quoque

---

a *Sebastopolim*. Colchorum urbs est, alias dicta *Dioscurias*; a Pityunte stadiis 360. distans; a Trapezunte, stadiis 2260 Vide Cellar. tom. 2. Geogr. antiq. lib. 3. cap. 9. pag. 361., & seq. Pityuntem Sebastopoli vicinam, vocat Theodoritus lib. 5. hist. cap. 34. terminum & Ponti, & Imperii Romani.

b *Psarus*. Ptolemæo *Apsorrus*: Arriano *Apsarus*: Plinio *Absarus*. Qui inter Phasim & Apsarum habitant, *Lazi* sunt: de quibus vide Cellar. tom 2. Geograph. antiq. lib. 3. cap. IX. pag. 365. & 366.

c Menologium Basilianum *interiores Æthiopes* vocat accolas *Phasidis fluvii*, idest, *Colchos*, *Iberes*, *Albanos*. De quibus vide eundem Cellar. Tom. 2. pag. 367. & seqq.

que Alanis, Abasgis, Zecchis, Bosporanis, Chersonitis. Posthæc Byzantium adveniens, perhibetur Stachyn Episcopum ordinasse: postremo in Achajam profectus, ibi in crucem sublatus fuisse. Subjunguntur satis prolixa Acta, quibus titulus: ὑπόμνημα εἰς τὸν ἅγιον ἀπόστολον Ἀνδρέαν τὸν πρωτόκλητον, *Commentarius de S. Apostolo & Primovocato Andrea*. Protocleti, idest, primovocati, cognomentum, & a Græcis, & a Russis, Sancto Andreæ tribuitur; & jure quidem meritoque: nam ipse a Christo Domino ante omnes alios ad Apostolatum vocatus est. Papebrochius ad 30. Nov. Græci metrici. „ De „ forma crucifixionis ejus, librum parare cœperat Joannes Ja„ cobus Chiffletius, Archiater Regius, libris editis & erudi„ tione clarus; sed mori se videns, multa in hanc rem colle„ cta nobis in amicitiæ pignus donavit, ex picturis sculpturis„ que antiquis omnia; sicuti & alia nonnulla sedulitatis ad „ omne argumentum antiquarium se extendentis emolumen„ ta „. In Tabulis nostris Capponianis, nec non in Papebrochianis depingitur, non in crucem sublatus, sed stans, tunica & pallio indutus, barba oblonga, capillis brevibus.

Idem Papebrochius ad 30. Novembris Moscorum figurati, de prædicatione Sancti Andreæ: „ Hunc (inquit) pri„ mum Moscis prædicasse, gloriatur coram Possevino Dux „ eorum Joannes Basilides, eoque parem Romanis facit gen„ tem suam, ut quæ nihilo serius, quam ipsi, fidem excepe„ rit „. Sigismundus vero Herbersteinius: „ Rutheni, in„ quit, in Annalibus suis gloriantur, ante Wlodimirum & „ Olham, ejus aviam, quæ anno mundi 6463. Christi 955. „ dicitur baptismi causa Constantinopolim profecta, eum ibi „ cum Helenæ nomine suscepisse, nec tamen potuisse filium „ Swatoslavum ad fidem quoque Christianam inducere: glo„ riantur, inquam, ante illos, terram Russiæ esse baptizatam „ ab Andrea Christi Apostolo, quem ex Græcia ad ostia Bory„ sthenis venisse ipsi affirmant, & adverso flumine ad mon„ tes, ubi nunc Kiovia est, navigasse, atque ibi omnem ter„ ram benedixisse & baptizasse, Crucem suam illic collocasse, „ prædixisseque magnam ibi gratiam multasque Ecclesias „ Christianorum futuras. Post inde usque ad fontes Bory„ sthenis venisse in Wolock lacum magnum, & per fluvium

„ Lowath descendisse in Ilmer lacum, unde per fluvium
„ Wolchouw, qui ex eodem lacu fluit Novogardiam,
„ inde fluvio eodem in Ladoga lacum, & Heva fluvium,
„ atque in mare usque, quod ipsi Waretzkoje appellant,
„ nos Germanicum, inter Winlandiam & Livoniam, Ro-
„ mam navigando pervenisse „. Hactenus Herbersteinius.

Culcinius ad hanc diem 30. Novembris Par. 2. pag. 104.
„ Gloriosus Apostolus Andreas primo vocatus, prout a Lati-
„ nis pingitur, ita habeo ipsum pictum in meo Anthologio,
„ in Cruce nimirum, ad modum literæ X facta, prædican-
„ tem. Adest & solemne Officium cum duplici Canone, &
„ Synaxario, ex quo fragmentum in Præfatione adduxi, pro-
„ lixo ac eleganti, quo etiam probatur, non vane gloriari
„ Ruthenos, sed ex antiqua traditione ac primæva habere,
„ primum fuisse in Russia fidei Christianæ plantatorem An-
„ dream Apostolum: cui sententiæ subscribunt omnes fere
„ Historici Poloni & Lituani„. Juvat Synaxarium describere, quod Culcinius ipse è Slavica lingua in Latinam conversum exhibet in Appendice pag. 95. verbatim quidem è Græco Synaxario desumtum, præter ea quæ de Russis & montibus Kioviæ dicuntur: hæc enim Græci prorsus ignorarunt; noverunt autem post plura secula Rutheni, qui sua tamen omnia è Ritu Græco mutuati sunt. Verba itaque Synaxarii Russici hæc sunt. „ Andreas primo vocatus Apostolus, natus in oppido
„ Bethsaidæ, fuit frater Petri Apostoli, Principis Discipulo-
„ rum Christi: despiciens vero mundi hujus vanitates, & præ-
„ ponens cunctis virtutibus virginitatem, noluit nubere; sed
„ audiens Joannem Baptistam prædicantem pœnitentiam, se-
„ cutus est eum: postmodum jubente ipso, adhæsit Christo
„ Domino, inter cujus Apostolos primus vocatione fuit, &
„ ideo Primovocati cognomentum accepit, multaque de
„ ipso in sacris literis sunt exarata. Post Ascensionem Domi-
„ ni, distributis per sortem inter se Apostoli ad prædicandum
„ provinciis, oblata est Andreæ ampla pars orbis, nempe Bi-
„ thynia, Pontus Euxinus, Propontis, Byzantium, Thracia,
„ Macedonia, Thessalia, Achaja, & reliquæ provinciæ, ur-
„ besque usque ad Mare Nigrum ac fluvium Danubium sese
„ exten-

„ extendentes. Lustravit magnus Apostolus, illustravitque „ Evangelica doctrina partem orbis sibi commissi, & multa „ passus est adversa, quæ tamen, auxilio Christi suffultus, glo- „ riose superavit. Plurimis prætermissis, quæ eruditos haud „ latent, unam urbem commemorabo. Hæc fuit Sinope, „ qua in urbe quum evangelizasset, raptatus fæde ab Ethni- „ cis, fustibusque ac lapidibus concussus, extra portam eje- „ ctus fuit: at ipse gratia Salvatoris sanatus, multas alias oras „ civitatesque peragravit. Tandem pervenit Byzantium, „ ibidemque primus Christum prædicavit, plurimosque con- „ vertit, Presbyteros ordinavit, Episcopum Stachydem a „ Paulo in epistola ad Romanos laudatum instituit; optimis- „ que relictis ordinationibus, ad Apostolicum rediens munus, „ navigavit in Scythiam; ac tandem divina providentia per- „ veniens in Russiam, accessit montes Kiovienses, dixitque „ suis sociis: Videtis ne hos montes? credite mihi, magnam „ gratiam Dei illos illustraturam, multasque Ecclesias his in „ partibus futuras: illuminabitur enim Sacro Baptismate to- „ tum Ruthenorum dominium. His dictis, ascendit altiorem „ præ reliquis montem, benedixitque eidem, & Crucem „ plantavit, prædicens gentis Russæ conversionem secuturam „ completam ab Apostolico suo Throno, quem in urbe Byzan- „ tina fundaverat. Lustratis superioribus Russiæ partibus, re- „ diit in Thraciam, confirmans Christianos, constituensque „ ipsis Episcopos ac Presbyteros: & multis visitatis urbibus, „ postremo pervenit Patras in Achaja, ubi apud quendam So- „ siam graviter infirmum habens hospitium, sanavit eundem, „ & ob hanc rem integram fere urbem ad Christum convertit. „ Maximillam nobilissimam feminam, & Stratoclem Ægeatis „ Pro-Consulis fratrem a periculosissimis morbis liberavit: „ multas alias curationes miraculosas, impositione manuum, „ fecit. Ob hæc Ægeas Proconsul incidens in amentiam, ad- „ dixit supplicio Crucis Andream; sed ipse tyrannus paulo „ post ex alia domo cadens, cervicem fregit, & periit. Sa- „ crum vero Apostoli Corpus Stratocles & Maximilla deponen- „ tes reverenter de Cruce, tumularunt honorifice, in perpe- „ tuum urbis Patrarum præsidium. At post plurimos annos „ translatum fuit Constantinopolim a Martyre Artemio sub


„ Imperio Constantini, jubente eodem, & collocatum cum „ ossibus Lucæ Evangelistæ & Timothei discipuli Pauli Apo- „ stoli, in illustri Templo Apostolorum. Tui primovocati „ Andreæ precibus, confirma fideles tuos in orthodoxa fide, „ Christe Domine. Amen „. Confer hoc Ruthenicum Synaxarium cum Græco, quod in Menæis impressum est, & videbis, ab illo esse verbatim desumtum; additis tantum iis, quæ de Russia subjunguntur, ab iis verbis: „ navigavit in Scy- „ thiam, usque ad, Apostolico suo throno, quem in urbe By- „ zantina fundaverat „. Intererat siquidem hæc Græcis Menæis adjungere, quæ Ruthenis simul & Græcis grata forent; his quidem, quia Byzantinus Thronus, Apostolicus dicitur & a Sancto Andrea fundatus: Ruthenis autem, quia S. Andreas perhibetur in Russia prædicasse, Russosque benedixisse. Cæterum quæ Græce leguntur in Synaxario, & a Ruthenico Interprete sunt omissa, levioris momenti sunt: nimirum de Sancto Andrea, υἱὸς μὲν Ἰωνᾶ τινος ἑβραίου, ἀδελφὸς δὲ Πέτρου, *filius quidem Jonæ cujusdam Hebræi, frater autem Petri &c.* Item nomina urbium *Chalcedonis, Amisi, Trapezuntis, Heracliæ, Amastridis*: & nomina populorum, *Alanorum, Abasgorum, Zecchorum, Bosporanorum*, & *Chersonitarum*. Id etiam, quod de Sinopensibus narratur, ipsos nimirum præter alia in Sanctum Andream commissa facinora, digitum ejus dentibus avulsisse. Demum, quod Maximilla Ægeæ Proconsulis uxor fuerit. Ista dumtaxat omisit Interpres Ruthenicus: cætera ad Russos pertinentia addidit: addidit quoque cultam a Sancto Andrea virginitatem iis verbis: „ Despiciens vero mundi hujus „ vanitates, & præponens cunctis virtutibus virginitatem, „ noluit nubere „: quæ item verba in Synaxario Græco desunt.

Cæterum quod ad Sancti Andreæ prædicationem spectat, (verba sunt Baronii in notis ad hanc diem) „ in Scythiam „ profectum, illisque gentibus annunciasse Evangelium, „ scribit Origenes in Genes. lib. 3. cap. 1. Sophronius apud „ Hieron. de Script. Eccles. addit non tantum Scythis, sed „ & Sogdianis, Sacis, atque etiam Æthiopibus verbum Dei „ prædicasse: idque confirmat Dorotheus in Synopsi, & au- „ ctor de Vit. & mort. Sanctor. apud Isidorum. De Achaja

„ ac

„ ac Scythia meminit Niceph. Hist. lib. 2. cap. 39. qui & lib. 8. „ cap. 6. ait, eundem peragrasse Cappadociam, Galatiam, „ & Bithyniam usque ad Mare Euxinum. Gregorius Nazianzenus in orat. ad Arian. addit Epirum. Græcis autem an„ nunciasse Evangelium, scribit Chrysostomus in orat. de XII. „ Apostolis, eumque post Petrum consummasse martyrium „ tradit: Sic enim accipias illa ejusdem Joannis Chrysostomi „ verba in Serm. de S. Andrea, quem recitat Metaphrastes, „ habesque eum apud Sur. tom. 6. quibus ait: *Posterior Petro in vitam ingressus est Andreas, & prior Petrum ad „ Evangelium allexit &c.* Quæ verba nonnulli perperam in„ telligentes, dixerunt, Petrum ætate majorem fuisse An„ drea: at vero Andream Petro seniorem fuisse, testatur „ Sanctus Epiphanius in Panar. hæres. 51. De prædicatione „ Andreæ in Achaja meminit Sanctus Hieronymus Epist. 148. „ ad Marcellum in fine „. Horum igitur auctoritate constat, Sanctum Andream peragrasse Cappadociam, Galatiam, & Bithyniam usque ad Mare Euxinum: deinde in Scythiam profectum, Evangelium aununciasse Scythis, Sogdianis, Sacis, atque Æthiopibus: postremo prædicasse in Græcia, Epiro, & Achaja. Sed de his jam fusius egi, quum de prima Slavorum ad Christi fidem conversione disserui. Fabricius tom. 9. Bibl. Græc. pag. 54. de Sancto Andrea hæc Græce scripta producit. Primo, in Andream πρωτόκλητον Apostolum, ἄρτι τῦ παιδὸς Ζαχαρίυ, MSS. Lambec. Tom. 8. pag. 285. Secundo, ἐπειδήπερ πολλοὶ ἀνεγράψαντο βίυς, Vita Sancti Andreæ Apostoli auctore Epiphanio Monacho & Presbytero, quæ tamen fabulosa dicitur Tillemontio Tom. 1. pag. 341. & 620. Tertio, Ζωγράφοι μὲν καὶ λογογράφοι, auctore Arsenio Archiepisc. Corcyræ. Quarto, ὁρῶν λαμπρὰν ταύτην αἴγλην, Græce & Latine Tom. 3. Athanasii Edit. Montfaucon. pag. 466. Quinto, ἰσχυρὸν τῆς ἀποστολικῆς ἀλείας τὸ δίκτυον, auctore Proclo Patr. Constantinopolitan. Græce, & Latine Tom. 1. Auct. noviss. Combefis. pag. 460. Sub Joan. Chrisostomi nomine apud Surium 30. Novembris. Sexto, σάλπιγξ ἡμᾶς ἀποστολικὴ πρὸς πανήγυριν ἤθροισε, Hesychii Presbyt. Hierosol. Meminit Photius Cod. 269. Septimo, ἅπερ ὀφθαλμοῖς ἡμῶν ἐθεασάμεθα πάντες. Incerti MSS. in Biblioth. Coislin. pag. 195.

pag. 195. Octavo, *πᾶσι μὲν τοῖς τοῦ Θεοῦ λόγε φίλοις*, Nicetæ Paphlagonis, Græce & Lat. Tom. 1. Auct. Nov. Combefis. pag. 335. Alios Sancti Andreæ Encomiastas retulit Fabricius in Codice Apocrypho Novi Testamenti pag. 757. Passio, quæ a Presbyteris & Diaconis Achajæ scripta fertur, extat Latine apud Sur. 30. Novembris. Incipit : *Passionem S. Apostoli Andreæ, quam oculis nostris vidimus*.



EPHE-

EPHEMERIDUM
GRÆCO-MOSCHARUM CAPPONIANARUM
TABULA SECUNDA.

MENSIUM DECEMBRIS, JANUARII, FEBRUARII.

Mesaz Decabr.

1 PRorok Naum.
2 Prorok Avakum,
3 Prorok Sophoniy.
4 Joan Damaſkin.
Muczenicza Varvara.
5 Prepodobniy Sava Oſtcen.
6 Sviatiy Nikola Czudotvor.
7 Ambroſiy.
8 Patapiy.
9 Zaczatie Presviatyâ Bogorodyky.
10 Ermogen.
Mina.
Eugraph.
11 Daniil Stopnik.
12 Spiridion.
13 Euſtratiy.
Avxentiy.
Mardariy.
Oreſt.
14 Thirs.
Levkiy.
Philimon.
Apolloniy.
15 Elevtheriy.
Pavel.
16 Prorok Aggey.
17 Prorok Daniil. Anania.
Azariy. Miſail.
18 Sevaſtian i ixe ſnim.
19 Vonifatiy.
20 Ignatiy.
21 Juliana.
22 Anaſtaſiia.
23 Deſiat Muczenik v Crit.

Eu-

Menſis December.

1 PRopheta Nahum.
2 Propheta Abacum.
3 Propheta Sophonias.
4 Joannes Damaſcenus.
Martyr Barbara.
5 Sanctus Sabas ſanctificatus.
6 S. Nicolaus Thaumaturgus.
7 Ambroſius.
8 Pataplus.
9 Conceptio ſanctiſſimæ Deiparæ.
10 Hermogenes.
Menas.
Eugraphus.
11 Daniel Stylita.
12 Spyridion.
13 Euſtratius.
Auxentius.
Mardarius.
Oreſtes.
14 Thyrſus.
Leucius.
Philemon.
Apollonius.
15 Eleutherius.
Paulus.
16 Propheta Aggæus.
17 Propheta Daniel. Ananias.
Azarias. Miſael.
18 Sebaſtianus, & qui cum eo.
19 Bonifacius.
20 Ignatius.
21 Juliana.
22 Anaſtaſia.
23 Decem Martyres in Creta.

Eu-

24 Eugenia.
25 Rozdeſtvo Jiſuſa Chriſta.
26 Sobor Bogorodyky.
Evthymiy.
Czar David.
Jacov.
Joſiph.
27 Stephan. Theodor.
28 ΔAYTMYB NICOMIDII Sozzenik.
29 ΔI. Mladentzeb.
Marcel.
30 Aniſia.
Zotik.
31 Melania.

24 Eugenia.
25 Nativitas Jeſu Chriſti.
26 Synaxis Deiparæ.
Euthymius.
Rex David.
Jacobus.
Joſeph.
27 Stephanus. Theodorus.
28 XII.millium Nicomediæ combuſtorum.
29 Quatuordecim millium Infantium.
Marcellus.
30 Anyſia.
Zoticus.
31 Melania.

TABVLÆ SECVNDÆ.

Meſaz Jenuariy.

1 OBriezanie Goſpodne.
Vaſiliy Velikiy.
2 Silveſter.
3 Prorok Malachiy.
Muczenik Gordiy.
4 Sobor ſedmdeſiat Apoſtolov.
Prepodobniy Theoctiſt.
5 Theopempt. Theona. Sinclitika.
6 Bogojavlenie Goſpodne.
7 Sobor Joanna Creſtitelia.
8 Domnica. Georgiy. Emeliany.
9 Muczenik Polievct.
10 Grigoriy Niſs. Domitianus.
Marcianus.
11 Theodoſiy.
12 Sava. Tatiana.
13 Ermil. Stratonik.
14 Sviatich Muczenik v Raithya izbiennich.
15 Pavel. Joann.
16 Izradenie iz Temniczi.
17 Antoniy.
18 Athanaſiy Velikiy.
Kiril Alexandr.

Ma-

Menſis Januarius.

1 CIrcumciſio Domini.
Baſilius Magnus.
2 Silveſter.
3 Propheta Malachias.
Martyr Gordius.
4 Synaxis LXX. Apoſtolorum.
Sanctus Theoctiſtus.
5 Theopemptus. Theonas. Syncletica.
6 Theophania Domini.
7 Synaxis Joannis Baptiſtæ.
8 Domnica. Georgius. Æmilianus.
9 Martyr Polyeuctus.
10 Gregorius Nyſſenus. Domitianus. Marcianus.
11 Theodoſius.
12 Sabas. Tatiana.
13 Hermilus. Stratonicus.
14 Sanctorum Martyrum in Raithu occiſorum.
15 Paulus. Joannes Calybita.
16 Egreſſio e carcere.
17 Antonius.
18 Athanaſius Magnus.
Cyrillus Alexandrinus.

Ma-

19 Macariy. Arseniy.	19 Macarius. Arsenius.
20 Evthimiy.	20 Euthymius.
21 Maxim. Neophit.	21 Maximus. Neophytus.
22 Timothey. Anastasiy.	22 Timotheus. Anastasius.
23 Climent. Agatangel.	23 Clemens. Agathangelus.
24 Xenia.	24 Xenia.
25 Grigoriy Bogoslov.	25 Gregorius Theologus.
26 Xenophont. Maria.	26 Xenophon. Maria.
27 Vozvrazenesenie Moszcze. Joanna Zlatovstago.	27 Translatio Reliquiarum Joannis Chrysostomi.
28 Ephrem.	28 Ephrem.
29 Ignatiy.	29 Ignatius.
30 Ippolit. Vasiliy, Joann. Grigoriy.	30 Hippolytus. Basilius. Joannes. Gregorius.
31 Kir. Joann.	31 Cyrus. Joannes.

TABULÆ SECUNDÆ.

Mesaz Februariy.	*Mensis Februarius.*
1 Triphon.	1 Ryphon.
2 Stretenie Gospodne.	2 Occursus Domini.
3 Simeon. Anna.	3 Simeon. Anna.
4 Prepodobniy Isidor.	4 S. Isidorus.
5 Agatia.	5 Agatha.
6 Vuкol.	6 Bucolus.
7 Partheniy. Prepodobniy Luca.	7 Parthenius. Sanctus Lucas.
8 Muczeniк Theodor. Zachariy.	8 Martyr Theodorus. Zacharias.
9 Muczeniк Niкiphor.	9 Martyr Nicephorus.
10 Charalampy.	10 Charalampus.
11 Ulasiy.	11 Blasius.
12 Meletiy.	12 Meletius.
13 Prepodobniy Martinian.	13 S. Martinianus.
14 Prepodobniy Kiril. Auxentiy.	14 S. Cyrillus. Auxentius.
15 Onisim.	15 Onesimus.
16 Pamfil, i ixe snim.	16 Pamphilus, & qui cum eo.
17 Theodor.	17 Theodorus.
18 Lev.	18 Leo.
19 Apostol Archip.	19 Apostolus Archippus.
20 Sviatiy Lev.	20 S. Leo.
21 Timothey. Evstathiy Sviatiy, i obrietenie Moscey.	21 Timotheus. S. Eustathius. & Inventio Reliquiarum.
22 Obrietenie Sviatich Muczenich.	22 Inventio SS. Martyrum.
23 Sviatiy Policarp	23 S. Polycarpus.

24 Obrietenie Glavi Preditezy B.	24 Inventio Capitis Præcursoris Secundo.
25 Tarafiy.	25 Tarafius.
26 Porphiriy.	26 Porphyrius.
27 Prepodobniy Procopiy.	27 S. Procopius.
28 Vafiliy.	28 Bafilius.
29 Prepodobniy Caffian.	29 S. Caffianus.



EPHE-


NAPOLI

EPHEMERIDUM RUTHENICARUM.

TABULA SECUNDA.

Mensis December.

I.

Propheta Nahum.

Codices Vaticani Ruthenici hac die vacant. Codex noster Slavicus & Possevinus: *S. Prophetæ Nahum*. Fasti Græcomoschi Papebrochiani: *Nahum*. Menologium Græcum: *εἰς τὴν πρώτην μνήμη τοῦ ἁγίου Προφήτου Ναούμ*, *Prima die Commemoratio Sancti Prophetæ Naum*. Menologium Basilianum To. 2. ad diem 1. Decembris. *Commemoratio sancti & gloriosi Propretæ Nahum*: ubi in utroque Menologio de eodem Propheta hæc leguntur. „ Prophetavit adversus Niniven urbem, post Jonam Prophetam, dicens: Ninive dulcibus aquis ignique subvertetur: quod & contigit. Divino enim jussu propter eorum peccata stagnum, quod urbem ipsam ambibat, terræmotu facto, illam submersit, & ignis ab eremo irruens, reliquias ejus penitus absumsit „. Hæc Græci in Synaxariis. Verum Nahum ipse in suo Vaticinio Niniven aliter exterminandam prædixit: a Chaldæis nimirum obsidendam, capiendam, & diripiendam. Et ad patriam Nahum quod spectat, *Elcæsæus* vocatur. *ἐλκεσεὶ*, inquit Eusebius de Locis, *ὅθεν νῦν Ναοὺμ ὁ ἐλκεσαῖος*. *Elcese. unde nunc Naum Elcesæus*. Eadem & Hieronymus: qui in prooemio ad Nahum prophetam ait, viculum esse in Galilæa. Synaxarium Græcorum: *οὗτος ἦν ἀπὸ ἐλκεσὲμ, πέραν εἰς βαταρεὶμ, ἐκ φυλῆς συμεών*, *Iste erat ex Elcesem, trans Batarim, de tribu Simeon*. At Menologium Basilianum: *Nahum de tribu Simeon, ex regione Judææ fuit*. Syris patria Nahum dicitur [illegible] *Alcus*, unde & ipse *Alcusæus*: neque hæc in Judæa aut Galilæa, sed in Assyria ponitur. Andreas Masius in Epistola ad Augerium Busbeckium de Joanne Sulaka, Patriarcha Chaldæorum, To. 1. Bibl. nostræ Orient. pag. 525. „ Hic jam tum, antequam in Pa-

„ triarcham eligeretur, annos prope duodecim (Panvinius, „ duobus supra viginti) Patrem, ut vocant, egerat, (idest, „ Abbas Monachorum fuerat) atque etiam tum agebat in contubernio cœnobitarum plus minus quinquaginta, quod contubernium, Rabban-Hormisd appellatur, abestque millibus „ passuum fere octo ab Ninive: at ab Alcus patria Nahum „ prophetæ, etiam nunc hujus monumento tam Judæis, quam „ Christianis celebratissima, non amplius duobus passuum millibus „. Quoad ejusdem Nahum formam corporis, subjungit Menologium Basilianum: „ Erat autem mento rotundo, facie „ gracili, tenui capillo, capite subcalvo ac procero „. Nimirum, ita in antiquis tabulis depictus erat. Ibidem pag. 2. Pictura repræsentat eum stantem, medium inter Templum in latere dextro, & urbem Niniven in sinistro, hujus urbis excidium prædicentem. Tabulæ Capponianæ & Papebrochianæ exhibent eum tunica cingulo præcincta, & pallio indutum. Colitur a Latinis hac eadem die, cum hoc elogio: *Nahum prophetæ in Begabar quiescentis*. Quænam autem sit hæc *Begabar*, neque Baronius, neque alii exponunt. Verum ex iis quæ in libro de Palæstina scripsimus, constat, *Bethgabar* (sive Begabar,) aut ipsam Eleutheropolim esse, aut juxta Eleutheropolim situm oppidum. Qua tamen in re a traditione Syrorum longe absunt Latini.

II.

PROPHETA ABACUM.

Hac die Codices Vaticani Ruthenici cum nostro Slavico vacant. Possevinus: *Sancti Prophetæ Abacuc*. Fasti Papebrochiani: *Abacum*. Ita & Græci in Menæis: τῦ ἁγίϐ προφήτϐ Ἀβϐακὺμ, *Sancti Prophetæ Abbacum*. Item Menologium Basilianum ad hanc diem 2. Decembris. *Commemoratio Sancti Prophetæ Ambacum*. Sic enim Græci pro *Abacuc*, dicunt, *Abacum*, *Abbacum*, & *Ambacum*. Colitur a Latinis ad 15. Januarii unacum Michæa Propheta: de quorum corporum inventione scribit Sozomenus Hist. lib. 7. cap. ult. Cassiodorus in Tripart. lib. 1. cap. 49. Nicephorus lib. 12. cap. 48. In Synaxariis Græcis, ex tribu Simeon fuisse dicitur, & prophetasse de captivitate & eversione Hierusalem. Quum vero Nabuchodonosor Rex contra Hierusalem venisset, perhibetur Abacuc ad exteras terras fugisse (idest, ad Ostracinen, Ægypti oppidum juxta lacum Sirbonidem, uti Menæa habent:) & simul ac Persæ (imo Chaldæi)

recess-

recessere, & qui remanserant Judæi in Ægyptum descenderunt, rediisse & ipse in terram suam, & messoribus agelli ministrasse: quibus quum aliquando prandium afferret; domesticis suis dixisse fertur: ego longum ineo iter. Si vero longiorem moram traxero, messoribus vos cibum deferte. His dictis, ab Angelo Babylonem sublatus, quæ aberat passuum mille, bis centum, sexaginta quinque: dedisse cibum Danieli Prophetæ in lacu incluso: & rursus domum delatus, alterum messoribus prandium attulisse, re nemini indicata. Historiam vide Daniel. cap. 14. a v. 32.

Culcinius ad hanc diem ponit *S. Athanasium Monachum Cryptensem*, cujus gesta ex Vitis Patrum Cryptensium exhibet in Specim. pag. 60. his verbis. „ Vixit multos annos hic Athana-„ sius in Monasterio Pieczarensi, ducens vitam exemplarem, „ Deo acceptam, probatamque, postmodum infirmatus ac „ mortuus est. Venientes Fratres ad Cellam, absterserunt fa-„ ciem, manus, pedesque cadaveris, & fasciis illud involutum „ reliquerunt. Post biduum accedentes Monachi cum Hegume-„ no, ut extrema defuncto Fratri justa persolverent, en vident „ ipsum sedentem ac plorantem. Mirantur prius, ac exhorre-„ scunt. Sed tandem audentiores facti, interrogant redivivum, „ quomodo e somno mortis evigilasset, & quidnam in altero „ mundo vidisset? At ipse nil aliud reposuit, præter hoc: vi-„ gilate, & curam habete de æterna vestra salute. Estote obe-„ dientes Hegumeno: pœnitentiam quotidie agite, & assiduis „ orate precibus magnam Deiparam, nostrosque sanctos Patres „ Antonium, ac Theodosium, ut impetrent vobis a Deo perse-„ verantiam in vocatione, obitumque felicem in gratia finali. „ His dictis surrexit, & accepta ab Hegumeno licentia, clausit „ se in cella, nec ex ea pedem unquam extulit per integros „ duos supra decem annos, quibus sancte supervixit, rigidis „ jejuniis ac orationibus continuis semper intentus. Tandem „ imminente extrema die, vocavit ad se Fratres, a quibus Sa-„ cramentis rite munitus, relictisque eis salutaribus documen-„ tis, composuit supra pectus manus, & dulci & tranquillo obi-„ tu migravit ad Dominum. Sacrum ejus Corpus illatum Cry-„ ptis, tumulatumque honorifice. Quidam Monachus nomine „ Babylas, graviter pedibus æger in lecto decumbebat; & „ quum una nocte insolito torqueretur dolore, en stetit coram

„ ipso

„ ipſo Athanaſius, dixitque: veni ad me, frater mi, & ego te
„ ſanabo in virtute Dei mei, cum quo maneo. His dictis eva-
„ nuit ex oculis. Babylas vero vocatis ad ſe Fratribus, rogavit
„ eos, ut ferrent ipſum ad loculum Athanaſii, cujus lipſana de-
„ vote amplectens, illico pedum uſum recuperavit, nec in po-
„ ſterum unquam dolorem ſenſit. Confeſſus eſt publice hoc to-
„ tum Babylas coram omnibus Monachis, & Hegumeno Poly-
„ carpo, qui grates Deo agens, brevem hanc de Athanaſio hi-
„ ſtoriam exaravit. Multas & alias ſcripſit Vitas Patrum Cry-
„ ptenſium hic Polycarpus, qui meritis clarus, Scriptoriſque
„ titulo inſignitus, obiit anno 1182. die 24. Julii, ipſo feſto
„ SS. Romani & Davidis Principum ac patronorum Ruſſiæ.

III.

PROPHETA SOPHONIAS.

Codices Vaticani cum noſtro Slavico vacant. Poſſevinus: *S. Prophetæ Sophoniæ*. Faſti Græcomoſchi: *Sophonias*. Menologium Græcum: *τοῦ ἁγίȣ προφήτȣ Σοφονίȣ*, *Sancti Prophetæ Sophoniæ*. Menologium Baſilianum: *commemoratio Sancti & glorioſi Prophetæ Sophoniæ*. Prophetam hunc, ſicut & Nahum, & Abacuc, hodierni Romani Martyrologii tabulæ recentius adſcriptum receperunt. In Menologio Baſiliano pag. 8. Joanni Theologo, effigie ac lineamentis corporis ſimillimus, niſi quod hic mentum paulo rotundius habebat. Sic quippe eum antiquæ picturæ Byzantinæ repræſentabant. Hoc ipſum habent Græci in Menæis.

IV.

JOANNES DAMASCENUS.

MARTYR BARBARA.

Codex uterque Vaticanus Ruthenicus cum noſtro Slavico *Barbara Virgo & Martyr*. Addit Codex ſecundus: *Joannes Damaſcenus*. Poſſevinus: *S. Martyris Barbaræ*, dumtaxat, inſtar Codicis primi Vaticani. Faſti Papebrochiani: *Barbara*. *Joannes Damaſcenus*. Utriuſque memoriam colunt Græci in Menæis hac die: *τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος βαρβάρας. ϗ τοῦ ὁσίȣ πρς ἡμῶν Ἰωάννȣ τοῦ δαμασκηνοῦ* „ Sanctæ magnæ Martyris Bar-
„ baræ, & S. P. N. Joannis Damaſceni „. At Menologium Baſilianum, de S. Barbara quidem ad hanc diem: *Certamen S. Barbaræ Martyris*: De Joanne vero Damaſceno ad diem 29. Novembris: *commemoratio S. P. N. Joannis Damaſceni*: ubi pictu-
ra

ra Tom. I. pag. 219. repræsentat eundem Joannem unacum Cosma, ambos monachi habitu indutos, & sedentes, atque in libro seu volumine scribentes; hoc addito Synaxario: „ Hic, „ Leone Isauro, ejusque filio Constantino Imperatoribus, flo- „ ruit in urbe Damasco, genere, nobilitate, ac fide clarus, „ patre virtutibus insigni natus; omnemque Græcorum disci- „ plinam, necnon divinas scripturas assecutus, ob Christi au- „ tem fidem patriis opibus derelictis, monachus factus est una- „ cum Cosma, cujus plures extant hymni, qui in Sanctis festis, „ ac præcipue in magna Sancti Paschatis hebdomada, decantan- „ tur. Sanctus vero Joannes multa verborum ubertate, senten- „ tiarumque gravitate, atque Sacræ Scripturæ auctoritate hære- „ sim Iconomachorum confundens, sæpe ærumnis ab hæreticis „ Imperatoribus multatus vexatusque, in optima confessione „ decessit, & a discipulo suo sepultus fuit „. Eadem in Menæis, ubi dicitur, in pace decessisse annos natus centum supra quatuor, ζήσας ἔτη ἑκατὸν πρὸς τοῖς τέσσαρσι. Colitur a Latinis ad VI. Maji, hoc ornatus elogio: „ Damasci natalis B. Joannis „ Damasceni, sanctitate & doctrina celebris, qui pro cultu „ Sanctarum Imaginum verbo & scriptis adversus Leonem Isauri- „ cum strenue decertavit: cujus jussu quum ei dextera manus „ amputata fuisset, Imagini B. Mariæ Virginis, quam defende- „ rat, se ipsum commendans, protinus dexteram integram sa- „ namque recepit „. Exstant ejus res gestæ conscriptæ a Joanne Episcopo Hierosolymitano, quæ habentur in apparatu operum ejus Billianæ editionis, & apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 3. Papebrochius: „ Colitur a LAtinis VI. Maji, ubi vitam damus, „ ex Arabicis Schedis Latine redditam a Joanne Patriarcha Hie- „ rosolymitano duobus forte seculis post ejus mortem „. Quienus in Oriente Christiano Tom. 3. pag. 466. de Joanne VI. Hierosolymorum Patriarcha, qui a Saracenis combustus circa annum Chr. 969. vitam amisit: „ Eum fuisse (inquit) Joannem „ illum existimat Papebrochius loco supra cit. num. 184. (in „ tract. prælim. ad Tom. 3. Maji) & tom. 2. Maji pag. 109. „ num. 3. qui Sancti Joannis Damasceni vitam, ab alio, ut „ potuit, Arabica lingua & literis simpliciter scriptam consecu- „ tus, in Græcum sermonem curavit vertere ad memoriam „ posterorum, multo cum ambitu elegantiaque verborum; „ qualis edita legitur tom. 2. Maji, ad diem 6. pag. 111. Hæc

„ enim

„ enim Joannis Damaſceni vita, Joannis Archiepiſcopi Hieroſo-„ lymitani nomen in omnibus Codicibus præfert „. Elias Jacobitarum Patriarcha, qui ab anno Chr. 709. ad annum 723. Jacobitis præfuit, in libro quem ſcripſit adverſus Leonem Haranitarum Epiſcopum, de S. Joanne Damaſceno cap. 6. aſſerit, quod Tractatum pro Petro Archiepiſcopo ſuo adverſus ipſum (ideſt, Eliam) compoſuit, uti tom. 1. Bibl. Orient. pag. 467. relatis Eliæ verbis obſervavi. Hinc non inani conjectura falſam exiſtimo eam calumniam, quam nonnulli, & in primis Nicon Abbas Græcus in Nomocanone, Cod. Arab. Clement. Vatic. 4. fol. 448., Manſurem S. Joannis patrem, dicunt, Damaſcum urbem Saracenis prodidiſſe. Nam Damaſcus Syriæ urbs a Saracenis non proditione, ſed vi expugnata eſt anno Hegiræ 14. Chriſti 635. quemadmodum ipſi Saracenicæ hiſtoriæ Scriptores teſtantur, nulla facta proditionis, aut deditionis mentione: id quod hiſtorici de Damaſco non tacuiſſent, ſicuti non tacent de aliis Syriæ urbibus per deditionem captis. In Tabulis Capponianis depingitur S. Joannes habitu Monachi & Presbyteri: & quidem recte: ſuit enim, uti in titulo Synaxarii legitur, *μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Ἰωάννου μοναχοῦ καὶ πρεσβυτέρου τοῦ Δαμασκηνοῦ*. *Commemoratio S. P. N. Joannis Monachi & Presbyteri Damaſceni.* Tabula Papebrochiana eundem repræſentat habitu monaſtico cum ſtola e collo pendente, barba oblonga, caput cucullo variegato tegentem. Faſciam voluit deſignare Moſcus Pictor, quam ſolent, Epiſcopi præſertim Græci in Syria, poſt Saracenorum irruptionem, cucullo ſuperimponere. Ita & depicta cernitur S. Joannis Imago in Menæis Græcorum ad hanc diem 4. Dec.

S. Barbara in iiſdem Menæis depicta eſt habitu regio, crucem dextra tenens, ſiniſtra expanſa. In Tabulis Papebrochianis additur capiti corona regia; crucem geminam manu geſtat: capillos habet ad humeros defluentes, tunicam cingulo præcinctam, pallium ſine manicis. Tabulæ vero Capponianæ repræſentant eam inſtar Virginum, tunica indutam & pallio, quo & caput tegit. Porro de eadem Sancta Virgine & Martyre agunt Græci & Latini hac die. Extant ejus Acta (ut verbis Baronii utar) quæ feruntur nomine Joannis Damaſceni & Arſenii; alia a Metaphraſte edita, quæ omnia Surius retulit in Tom. 6. Alia rurſus manuſcripta in nonnullis antiquis Codicibus, eademque inter ſe varia habentur: in quibus omnibus non tantum de loco

ea

ea est discrepantia, dum alii in Tuscia, alii Nicomediæ ferunt passam, sed plerique ponunt Heliopoli, ut ex Græcis Metaphrastes, & ex Latinis Mombritius tom. 1. vit. Sanctorum. Verùm quæ fideliora videntur ejus Acta, ut quæ feruntur nomine Joannis Damasceni, & alia quæ extant in Codice manuscripto S. Mariæ ad Martyres, aliisque perantiquis manuscriptis, Nicomediæ Martyrio coronatam tradunt. Rursus etiam, quod ad tempus spectat, depravati videntur nonnulli Codices, qui eam referunt ad tempora Maximiani. Sed ea Acta quidem nobis fideliora probantur, quæ & habemus in nostra Bibliotheca, quorum est exordium: *Post Imperatorem Alexandrum Maximinus &c.* Quæ eam sub Maximino Imp. qui successit Alexandro, passam testantur, feruntque eam ab Origene literis sacris imbutam. Sane quidem quamplures mulieres ab eo fidem Christianam edoctas, scribit Eusebius hist. lib. 6. cap. 4. & 7. Hæc Baronius. Cæterum hanc Sanctam sub Maximiano Imp. a proprio patre Dioscoro decollatam, testatur Menologium Basilianum ad diem 4. Dec. pag. 10. nec non Menologium Græcum in Synaxario, ubi utrobique dicitur *ex Oriente*, ἀπὸ τῆς ἀνατολῆς, fuisse, quæ verba magis favere videntur Heliopolitanis in Phœnice, quam Nicomediensibus. Et suam quidem extitisse hanc Sacram Virginem, Heliopolitani etiamnum gloriantur. Antiquum sub S. Barbaræ nomine monasterium extitisse juxta Edessam Mesopotamiæ urbem, constat ex Codice Syriaco 111. quem ex Oriente in Bibliothecam Vaticanam invexi, exarato „ die 24. Martii anno „ Græcorum 1072. (hoc est Chr. 861.) in Monasterio S. Bar„ baræ, quod in Monte Edessæ situm est „. Vide Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 63. Igitur longe ante eum Christi annum jam Syris nota erat & culta S. Barbara: adeoque nugari mihi videtur, qui ex Sanctis Virginibus Catharina, Irene, Barbara, & Christina, unam tantum Virginem eamque Irenem conflare conatur; nullo alio, ut videtur, permotus argumento, quam quod in Usuardi, & Adonis Martyrologiis error ille obrepserit, quod S. Barbara in Tuscia passa dicatur. Sed de his fusius sermo redibit, ubi de Actis Græcis, & Syriacis hujus Sanctissimæ Heliopolitanorum totiusque Phœnicis patronæ. In Tabulis Menologii Basiliani depicta est habitu Virgineo, genu flexo, & collo inclinato coram impio patre Dioscoro, qui propriis manibus ense evaginato eam decollare conatur. In marmore Neapolitano diserta fit ipsius com-

commemoratio ad hanc eandem diem : *Nat. Sanctæ Barbaræ.*

V.

SANCTUS SABAS SANCTIFICATUS.

In utroque Codice Vaticano Ruthenico: *Sabbas Abbas*. Noster Slavicus: *S. P. N. Beati Monachorum Institutoris Deiferi Sabæ*. Possevinus, *S. Patris Sabæ*. Fasti Papebrochiani: *Sabas*. Menologium Basilianum: *Commemoratio S. P. N. Sabæ*. Depingitur habitu Monastico, capite nudo, calceis nigris, stans extensis in cœlum manibus, alloquens Deum, in forma Radii è nubibus prodeuntem: è regione repræsentatur Monasterium ejusdem Sancti Abbatis, quod adhuc in Palæstina exstat, viginti fere milliaribus ab Hierosolymis in ortum & austrum distans. In Menæis Græcorum, Imago quoque Sancti Sabæ, habitu monastico exhibetur, sinistra expansa, dextra manu tenentis volumen explicatum, in quo scriptum, *ὥσπερ τοιχ. Θεοῦ*, supple: *instar muri, timor Domini*. Ad latera capitis radiati: *ὁ ἅγιος Σάβας. Sanctus Sabas*. Synaxarium: *τῷ αὐτῷ μηνὶ πέμπτῃ, μνήμη τοῦ ὁσίου πρς ἡμῶν Σάββα τοῦ ἡγιασμένου*: „ Eodem mense, „ die v. Commemoratio S. P. N. Sabbæ sanctificati „. Marmor Neapolitanum: *V. Dep. S. Sabæ*. Martyrologium Romanum, „ Mutalæ in Cappadocia Sancti Sabbæ Abbatis, qui in Palæsti- „ na miro sanctitatis exemplo refulsit „. Cætera. Natus enim Mutalæ, seu Mutalascæ, ut habet Cyrillus (*a*) in ejus Vita, & Synaxarium Græcum, in Cappadocia, patre Joanne, matre Sophia, decimo septimo Consulatu Theodosii, idest, anno Chr. 439. Sed claruit, obiitque in sui nominis celeberrimo Monasterio in Palæstina. Scripsit ejus Acta Cyrillus Monachus, qui eodem seculo vixit: citantur autem in Concil. Nicæno II. Act. I. & 4. Latine extant in antiquis manuscriptis Codicibus; eademque descripsit Metaphrastes; sed aliqua superaddens. Genuina Græce & Latine edidit Cotelerius in monument. Ecclesiæ Græcæ tom. 3. pag. 220. Arabica vetustissima versio exstat in Bibl. Vat. in Cod. Arab. XLV. [Tom. 2. Bibl. Orient. pag. 511.] qui Codex in membranis exaratus dicitur primum a Monacho Antonio Davide filio Salomonis Bagdadensis in Laura Sancti Sabæ; deinde ex eo exemplari descriptus ab Isaaco Monacho pro monte Sinai, mense Rabi priore, anno Hegiræ 272. [hoc est, Christi 885.] Et de anno quidem obitus & ætatis Sancti Sabæ,

a Apud Coteler. in monument. Ecclef. Græc. Tom. 3. pag. 221.

Sabæ, in vulgata Latina ejusdem Vita hæc leguntur: „ Tradidit animam quinta Decembris, Indict. x. ab initio Mundi „ seno millenario atque trigesimo secundo, ab Incarnatione „ Christi quingentesimo trigesimo tertio, anno sexto Justiniani, videlicet Consulatu Lampadii & Orestis: defunctus est „ nonagesimo quarto suæ ætatis anno „. Hæc ibi. Verum quam hæc a vero Cyrilli Scythopolitani textu abhorreant, mox videbimus. Baronius relatis iis Latinæ vitæ verbis: „ Consulatus „ inquit, Lampadii & Orestis non incidit in annum Domini „ 533. sed in 531. quo quidem anno Sanctum Sabam ex hac „ vita migrasse, ostendimus tom. 7. Annalium: sicque corrigendum etiam, quod in eodem Codice legitur, ipsum pervenisse ad annum ætatis nonagesimum quartum: nam nonnisi annos nonaginta duos vixisse probatur, quem Cyrillus „ natum dicit Coss. Theodosio Juniore XVII. & Festo „. Est is annus a Chr. 439. Ab an. enim 439. quo natus est Sabas, ad annum 531. quo eum Baronius obiisse vult, sunt anni 92. non 94. Quare juxta eundem Baronium, cui & Pagius ad an. 531. num. XI. suffragatur, errorem irrepsisse dicendum est, in Menologio Basiliano ubi perhibetur *ad Deum migrasse* ὀγδοήκοντα πέντε ἐτῶν γενόμενος, *annos natus octoginta quinque*. Item in Synaxario Græco: φθάσας δὲ εἰς τὸ ἀκρότατον τῆς κατὰ Χριστὸν ἡλικίας, ὡς ἐτῶν γενέσθαι τεσσάρων καὶ ἐννενήκοντα, πρὸς κύριον ἐξεδήμησεν: „ Quum autem ad extremam secundum Christum „ ætatem pervenisset, annos fere quatuor supra nonaginta natus, migravit ad Dominum „ Postremo gravissimus omnium est error de anno *centesimo quinto*, qui habetur de ætate Sancti Sabæ in Actis Theodosii Cœnobiarchæ. At vero hæc Baronii, & Pagii supputatio corruit, si ad Græcum Cyrilli Textum animum advertamus. Verba Cyrilli apud Cotelerium Tom. 3. pag. 353. num. 77. hæc sunt. „ Atque ipsius mors contigit „ quinto Decembris mensis, Indictione decima; a Creatione „ quidem Mundi, ex quo tempus cœpit cursu Solis mensuram „ habere, anno sexies millesimo & vigesimo quarto; a Dei „ Verbi autem Incarnatione ex Virgine & Nativitate secundum „ Carnem, anno vigesimo quarto supra quingentesimum, juxta „ tempora conscripta a Sanctis nostris Patribus, Hippolyto illo „ antiquo Apostolorum familiari, Epiphanio Cypriorum Archiepiscopo, ac Herone Philosopho, & Confessore. Ratio

 „ autem

„ autem temporis vitæ ipsius in corpore hæc est. In Palæstinam „ venit annos natus decem & octo: mansit in Cœnobio annis „ septemdecim: & in solitudinibus maximaque Laura annos „ transegit quinquaginta novem: obiit vero ætatis suæ anno „ nonagesimo quarto, post Consulatum Lampadii, & Orestis „ secundo, sexto præsentis a Deo protecti Imperii „. Omnes istæ temporis notæ a Cyrillo adhibitæ, nobis dant exeuntem annum Christi vulgarem 532. Nam annus Justiniani sextus inchoatus fuit die 1. Aprilis anno Christi 532. Quum autem Sanctus Sabas natus dicatur Consulatu Theodosii decimo septimo, idest Chr. 439. & mortuus die 5. Decembris annos ætatis agens 94. sequitur, ipsum obiisse exeunte anno vulgari Christi 532.: qui quidem annus adhuc currebat sic notatus, *Post Consulatum Lampadii & Orestis II.* Quamobrem hæc Cyrilli supputatio a Baroniana anno uno dumtaxat differt: Baronius enim mortem Sancti Sabæ consignat ad annum Christi 531., Cyrillus vero ad annum 532., exeuntem, qui idem erat Justiniani sextus, & post Consulatum Lampadii & Orestis Secundus. Baronius non animum advertit ad ea Cyrilli verba: *μετὰ τὴν ὑπάτειαν Λαμπαδίου καὶ Ὀρέστου τὸ δεύτερον*, *Post Consulatum Lampadii & Orestis Secundo*: sed loco hujus Consulatus, accepit Consulatum antecedentem, qui in Fastis sic notatur: *Post Consulatum Lampadii & Orestis*; quique in annum Christi 531. incidit. At vero Cyrillus expresse habet, *Post Consulatum Lampadii & Orestis Secundo*, qui, Baronio ipso teste in Annalibus „ Est quingentesimus trigesimus secundus Redemptoris nostri annus, absque „ Consulibus novis, ex more creatis, post Consulatum Lampadii & Orestis Secundo, notatus reperitur in Fastis, quo „ Justiniani Imperatoris sextus inchoatur annus „. Cæterum epocha illa, qua idem Cyrillus utitur, a Creatione Mundi *anno sexies millesimo, vigesimo quarto*, & ab Incarnatione *anno vigesimo quarto supra quingentesimum*; hæc, inquam, epocha, nullum debet nobis negotium facessere: non enim sic accipienda est, sicuti nunc a nobis vulgo accipi solet. Duplex quippe distinguenda est epocha mundana: altera, quam Constantinopolitani adhibent, eamque ajunt vulgarem Christi epocham antecessisse annis 5508. altera Alexandrinorum, quæ Christianam antecedit annis 5492. Id & Pagius ipse docet, dum ad an. Christi 532. n. 7. loquens de anno ædificati a Justiniano Sanctæ Sophiæ

phiæ Templi, hæc habet. „ Annum & mensem ejus conditus, „ memorat Zonaras, sed non sine errore: ait enim Justinianum „ ædificationem auspicatum *anno ab orbe condito* 6040. *Indi-* „ *ctione* xv. *mense Februario*, mense scilicet post Ecclesiæ con- „ flagrationem. Legendum enim, *Indictione* x. quam is an- „ nus Mundi secundum Constantinopolitanos per xv. divisus „ repræsentat, quæque hoc Christi anno (532.) ante mensem „ Septembrem in cursu fuit. Diem notavit Cedrenus, qui „ ait: *Anno ab origine Mundi* 6008. *Indictione* xv. *vigesima* „ *tertia die Februarii mensis*, *hora prima diei*, *instaurationem* „ *magni Templi aggressus est Justinianus*. Sed error est tam in „ Indictione, quam in anno. Si enim Cedrenus adhibuit Eram „ mundanam Constantinopolitanam, reponendum *anno* 6040. „ Si Alexandrinam, qua plerumque utitur, legendum, *anno* „ 6024. quæ unitate addita, ut fieri debet, *Indictionem* x. ex- „ hibet „. Hactenus Pagius: quo docente, manifestum fit, a Cyrillo epocham mundanam Alexandrinam fuisse usurpatam, dum annum sextum Justiniani, & post Consulatum Lampadii & Orestis annum secundum, ait concurrisse cum *an. Mundi* 6024. *Incarnationis* 524.: Nam eodem Pagio ad annum Christi 527. num. 8. teste, „ Duæ Incarnationis Eræ apud Orientales vige- „ bant: altera in Patriarchatu Alexandrino, altera in Antio- „ cheno. Prior primum Incarnationis annum ab anno Juliano „ XLIII. & ab anno Mundi 5501. deducebat, & pro fundamen- „ to ponebat, Christum Carnem sumpsisse mense Martio anni „ Juliani XLIII. Antiocheni vero, Christi Incarnationem a die „ 25. mensis Martii anni Juliani XLVI., & Mundi 5493. auspi- „ cabantur, licet temporis progressu tam Alexandrini, quam „ Antiocheni, annos Mundi & Incarnationis a Kalend. Septem- „ bris communius inchoarint „ Cyrillus noster epocha quidem Alexandrina usus annum Incarnationis ab anno Mundi 5501. (ut scribit Pagius) deducit. Sic enim in Vita Sancti Sabæ compo- nit *annum Mundi* 6024. cum *anno Incarnationis* 524. Et in Vi- ta S. Euthymii apud Cotelerium Tom. 2. pag. 293. n. 109. *ann. mundi* (quo S. Euthymius obiit) *quinquies millesimum non- gentesimum sexagesimum quintum*, ait fuisse „ A Domini no- „ stri Jesu Christi in Carne adventu annum quadringentesimum „ & octogesimum quintum „. Jam vero ex hac ipsa S. Euthy- mii Vita, aliud nobis suppetit argumentum, non modo ut pla-

num

num compertumque fiat, annos Incarnationis a Cyrillo Scythopolitano ab anno Mundi 5501. deduci; sed etiam, ut adversus ipsum Pagium ostendatur, annum Mundi 6024. & Christi 524. quo Sanctus Sabas secundum Cyrillum ad superos migravit, non esse annum vulgarem Christi 531. sed 532. Ait siquidem Pagius ad ann. 472. num. 3. loquens de obitu Sancti Euthymii „ Obitus Sancti Euthymii Abbatis contigit anno sequenti. Cyrillus „ enim Monachus, qui vitam ejus scripsit, diversam ab ea, „ quam Metaphrastes exhibet, quamque solam Baronius viderat, ait: *Obitus ejus accidit vigesima mensis Januarii, undecima Indictione*: Et paulo post. *Quinto Leonis Imperatoris* „ *Consulatu, ejusdemque Imperii decimo sexto anno, vivendi* „ *finem fecit*: ideoque anno sequenti, quo Leo quintum Con„ sulatum gessit, & Indictio XI. mense Januario in cursu fuit „. In Textu Græco Cyrilli Scythopolitani hæc duo desiderantur, quæ Pagius ex corrupto exemplari hic habet: *Indictio scilicet undecima, & quintus Leonis Imperatoris Consulatus*. Sic enim legitur apud Cotelerium tom. 2. pag. 493. „ Sabbato noctu „ dormit in pace, & ad eam quæ illic est transit beatitudinem; „ revera senex & plenus dierum, vigesima die mensis Januarii, „ in anno quidem a Mundi Creatione, secundum tempora „ scripta ab Hipolyto illo antiquo ipsisque Apostolis familiari, „ & ab Epiphanio Cyprio, & ab Herone Philosopho & Confes„ sore, quinquies millesimo nongentesimo sexagesimo quinto, „ a Domini autem nostri Jesu Christi in Carne adventu, qua„ dringentesimo & sexagesimo quinto „. Et post pauca. „ At„ que natus est quidem ex revelatione, ut jam a me dictum „ fuit. Tertium autem agens annum, Deo consecratur, sci„ licet sub initium Imperii Theodosii Magni. Quumque transi„ isset per omnes Ecclesiasticos gradus, venit Hierosolymam „ circa annum vitæ suæ vigesimum nonum. At (*a*) sexaginta „ octo annis in solitudine perlatis, nonagesimo quidem & nono „ anno suæ ætatis, decimo autem sexto Imperii Leonis, exce„ dit ei vita „. Itaque deest *quintus Consulatus Leonis, & Indictio undecima*; exprimitur tamen *annus Leonis decimus sextus*: inchoatus anno Christi 472. & desinens in diem 26. Januarii anni sequentis

a Apud Coteler. pag. 294. in Græco Textu: ὀκτὼ δὲ πρὸς τοῖς ἑξήκοντα χρόνους ἐν τῇ ἐρήμῳ διενεγκών. In Latina interpretatione perperam omittitur, *octo supra sexaginta*: & hic legitur: „ At sexaginta annis in solitudine perlatis.

ſequentis 473., ex quo recte colligit Pagius, Sanctum Euthymium obiiſſe die 20. Januarii anno Chriſti 473., quo die & anno adhuc in curſu erat annus Leonis decimus ſextus. Verum id potuiſſet clarius & manifeſtius colligere ex anno Mundi 5965., Incarnationis 465. qua epocha Cyrillus utitur, quum de Sancti Abbatis Euthymii obitu loquitur: annus enim ille in annum vulgarem Chriſti 473. ex dictis incidit. Si enim octo annos addas anno Incarnationis ab Alexandrinis uſurpato, habebis pro anno Cyrilliano 465., annum vulgarem 473. Atque hæc fuſius a nobis idcirco dicta ſunt, ut Sanctiſſimorum Palæſtinæ noſtræ Archimandritarum res geſtæ magis magiſque illuſtrentur, & eruditiſſimum Cyrilli Scythopolitani opus ab erroribus, quorum falſo inſimulatur, vindicetur.

VI.

Sanctus Nicolaus Thaumaturgus.

Codex uterque Vaticanus: *Nicolaus Epiſcopus*. Poſſevinus: *S Patris Nicolai*. Noſter Slavicus: *S. P. N. Thaumaturgi Nicolai*. Faſti Græco Moſchi: *Nicolaus*. Menologium Græcum: *τοῦ ἐν ἁγίοις πρς ἡμῶν Νικολάυ ἀρχιεπισκόπυ μύρων τῆς λυκίας, τοῦ Θαυματυργοῦ*: *S. P. N. Nicolai Archiepiſcopi Myrorum in Lycia, Thaumaturgi*: ubi depingitur (*a*) capite nudo radiato, barba rotunda, habitu Pontificio cum Pallio, dextra manu Græco more benedicens, ſiniſtra librum clauſum tenens. Eodem modo depictus cernitur in Menologio Baſiliano ad eandem diem 6. Dec. pag. 12. Stans nimirum in Templo, habitu Pontificio indutus, cum hoc Synaxario: „ Conſtantino magno Imperatore floruit iſte magnus Pon„ tifex, & Thaumaturgus, Epiſcopus in Myra Lyciæ urbe: & „ primum quidem monaſticam agens vitam, toto animo in vir„ tutes contendit. Deinde Epiſcopus ordinatus, multa mira„ cula

---

a In ſecunda Nicæna Synodo, Act. 4. Indict. xi. „ Theodorus Sanctiſſimus My„ rorum Epiſcopus dixit. Prædictæ narrationi ego ſimilia expertus ſum. Quum enim „ a quibuſdam Primotibus quædam paterer; meus Archidiaconus, vir pius ac timens „ Deum, mihi dicit: vidi Patriarcham in viſione dicentem mihi: Ad nos veniat Me„ tropolita, & omnia ejus, ut ei expediet, componentur. Ego autem Archidiaco„ num interrogavi: Quo ore, qua forma tibi apparuit Patriarcha? Iſque reſpondit „ mihi: ore rubicundus, coma ſenili. Ego tunc ei dico: non eſt ejus Imaginis Pa„ triarcha: quin ille habitus refert potius, Sancti Imaginem Nicolai, qui eſt formæ „ ejuſmodi, ut narraſti. Ac ille reſpondit mihi: Ita ſane verum eſt: tali namque for„ ma præditum illum vidi qui hæc mihi locutus eſt. Ex hoc ergo cognovi, ex ejus ſi„ militudine cum Imagine, ſanctum ei Nicolaum apparuiſſe.

„ cula patravit. Tres enim homines a morte liberavit, qui falso „ delati, & in vincula conjecti, ad supplicium ducebantur: sed „ accurrens ille, gladioque jam cervicibus iminente, e carnificis manibus ereptos, eos solvit. Totidem alii conjurationis „ in Constantinum Imperatorem a PræfectoAblavio falso insimulati, & in Prætorio inclusi, quum capite plectendi essent, „ Sanctum Nicolaum invocarunt; qui per quietem Constantinopolim adveniens, Imperatori & Præfecto præcepit, ut illos „ dimitterent. Tandem post multa alia miracula in pace decessit „ Idem fere Synaxarium legitur in Menæis Græcorum, cui & subjunguntur quædam alia a S. Nicolao patrata miracula; nec non Vita ab anonymo fuse descripta, hoc titulo: *βίος τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Νικολάου, ἐπισκόπου μύρων τῆς λυκίας*, *Vita S. P. N. Nicolai, Episcopi Myrorum in Lycia*. Initium. *σοφόν τι χρῆμα ζωγράφων* (*a*) *χείρ*. Huic vitæ Asteriscum apponit cl. Fabricius Bibliothecæ Græcæ Tom. 6. pag. 550. quo signo ait pag. 510. eas Sanctorum Vitas a se notari, quas genuinas Simeonis Metaphrastæ esse viri docti existimant. Hanc a Metaphraste conscriptam Vitam edidit Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Baronius in notis ad VI. Dec. „ Habemus (inquit) in nostra Bibliotheca alia „ ejusdem Nicolai Acta a Joanne Diacono conscripta, quem putamus eundem cum eo, qui etiam S. Gregorii Papæ vitam scriptis mandavit: in his enim copiosus fuit. Est ejus Præfationis exordium: *Sicut* (*b*) *omnis materies si ab imperfecto artifice &c.* Testatur auctor eadem Acta fuisse conscripta a „ S. Methodio Episcopo Constantinopolitano: Edidit ea Mombritius Tom. 2. vit. Sanctorum „. Hæc Baronius. Johannes iste fuit Diaconus Ecclesiæ Neapolitanæ, uti ex ipsius Prologo in vitam B. Nicolai Episcopi apud Mombrit. tom. 2. pag. 162. constat: „ Quod ego Johannes indignus Diaconus Servus S. Januarii „ multum devitans, tibi me sæpius roganti, frater Athanasi, „ rusticitatis opponebam „ Ac proinde omnino diversus ab altero

a Cod. MSS. habent: *ζωγράφου χεὶρ* „. Scita quædam Sapiensque res est, pictoris „ manus, & quæ pulchre quidem veritatem scit imitari „. Codd. Membran. Vatic. Græc. MSS. 555. 793. 802. 812. 814. necnon Bombyc. 800. 813. 1190. His adde Acta, Cod. 821. pag. 249. *ἐν τοῖς καιροῖς τῆς Βασιλείας Κωνσταντίνου*. Et pag. 256. *ἐν τοῖς καιροῖς Κωνσταντίνου τοῦ εὐσεβεστάτου*. Ubi miracula S. Nicolai narrantur. Edidit cl. Falconius in lib. cui titulus: *Acta omnia S. Nicolai*, Neapoli 1751. pag. 30. & 34. Ibid. pag 82. ex cod. Vat. 821. pag. 260. aliud miraculum: *ἐξελθόντος στρατοῦ τῶν Οὐανδήλων*.

b Extat in Cod. Latino Vatic. 5696. Nec non apud Falconium tom. cit. pag. 112.

tero Joanne Diacono, vitæ S. Gregorii Magni ſcriptore: hic enim Joannes, fuit Romanæ Eccleſiæ Diaconus, Anaſtaſii Bibliothecarii familiaris, claruitque circa annum 875., teſte Gul. Caveo in hiſt. liter. Tom. 1. pag. 394. Joannes vero, *Vitæ B. Nicolai Epiſcopi* Scriptor, fuit *Eccleſiæ Neapolitanæ Diaconus*, ſeu, ut ſe ipſe vocat, *Sancti Januarii Martyris Servus*, ideſt, Diaconiæ S. Januarii Præpoſitus, ſcripſitque vitas *Neapolitanorum præſulum*, & alia quæ cl. Muratorius Tom. 1. Par. 2. Rer. Italicar. Scriptorum a pag. 287. enumerat, ubi eundem ſaltem uſque ad annum 901. vixiſſe, oſtendit. Ex eo vero, quod Synchroni quodammodo fuerint, Joannes Romanus, & Joannes Neapolitanus, non recte unus cum altero confundi debet, quum eos ſatis diſtinguat patria, & munus, & ſcripta. Exſtat in Biblioth. Vat. Codex ſatis vetuſtus, notatus num. 5007., Membraneus in 4., complectens vitas Epiſcoporum Sanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ, exaratus decimo ſeculo literis majoribus Latinis a fol. 1. ad 100. & Langobardicis undecimo vel duodecimo ſeculo a fol. 101. ad 130. ideſt uſque ad finem: ubi adnotatur: *Iſte liber eſt D. Bartholomæi, quod eſt de Benevento*: ſpectabat enim ad Eccleſiam S. Bartholomæi poſitam Beneventi, atque inde in Vaticanam Bibliothecam translatus eſt ante Pauli V. tempora, cujus inſignia in operimento coriaceo rubro viſuntur. Et titulo quidem caret: nam incipit ab his verbis: *Anno quadrageſimo ſecundo Imperii Cæſaris Octaviani*. Editus tamen eſt a cl. Muratorio, ut modo dicebam, Tom. 1. Par. 1. Rer. Italic. Script. a pag. 291. cum hoc titulo. „ Chronicon Epiſcoporum „ Sanctæ Neapolitanæ Eccleſiæ, auctore Johanne Diacono Ec- „ cleſiæ S. Januarii ad Diaconiam in urbe Neapoli poſitæ „. Et quidem recte: nam Joannis Diaconi nomen expreſſe legitur ad calcem vitæ S. Athanaſii Epiſcopi fol. 130. pag. 1. his verbis: „ Hucuſque Johannes Diaconus. Quæ ſequuntur, Petrus edi- „ dit Neapolitanæ Sedis Subdiaconus „. Ex iis autem, quæ Petrus edidiſſe dicitur. in laudato Codice Vaticano non extant, præter Fragmentum vitæ *Athanaſii* junioris Epiſcopi, Nepotis videlicet præfati *Athanaſii Præſulis*, in quo Johannes opus ſuum terminavit: cætera avulſis olim foliis deſiderantur. Igitur, quamquam Johannes huic ſuo operi Prologum non præmiſerit, aut, quod verius exiſtimo, Prologus ex Codice noſtro exciderit, in vita tamen Joannis III. qui inter Epiſcopos Neapolita-

nos XLIV. numeratur, ingenue fatetur Auctor, se adhuc juvenem ei operi manum admovisse: „ Johannes (inquit apud Murator. pag. 314.) Episcopus sedit annos VII. menses IX. dies XXII. Si enim hujus vitam, vel mores, qualiter a juventute juste & pie vixerit, scribere tentavero, non dico meæ adolescentiæ, cujus sensus propter ætatem adhuc intercluditur, verum etiam sagacioribus oneri fuerit „. Eodem fere Prologo idem Johannes utitur in vita S. Nicolai, excusans scilicet ætatem. „ Sicut omnis materia, inquit, si ab imperito artifice constructa fuerit, non solum deformitatis, verum etiam ruinæ damna patitur; ita scripturarum series, si a viro indocto prompta verbositate ordinata fuerit, non a venusti tantum sermonis facundia, sed etiam ab intellectus corruet altitudine. Quod ego Joannes indignus Diaconus Servus Sancti Januarii multum devitans, tibi me sæpius roganti, Frater Athanasi, rusticitatis obstaculum opponebam. Sed quum mihi crebris in precibus illud Apostolicum ingereres, caritas omnia vincit, tandem aliquando assensum præbui, ut propter devotionem, quam te erga Sanctissimum Dei famulum Nicolaum a progenitoribus habere gaudebas, nativitatem & vitam atque miracula, quæ per eum Dominus gessit, Latinis explicarem sermonibus. Verum quia scio, me penes liberalissimos magistros inefficacis sermonis esse, ideo deprecor omnes, qui hujus operis studiosi lectores accesserint, ut non facillimam prorumpant in clamationem, & me indoctum, meque inertem judicare incipiant. Dent ergo veniam ætati, dent & naturæ: enimvero quintum percurrens lustrum, natura fragilior plus discere, quam scribere aliquid appetebam „. Anno igitur ætatis vigesimo quinto vitam hanc scripsit Johannes Diaconus; & quidem partim (ut inquit) a Methodio Constantinopolitano Episcopo acceptam, partim ab aliis. Verba ejus refero. „ Sane ortum Sancti hujus, & vitam, & laudem, quam Methodius Patriarcha Argolico stylo, cuidam Primicerio Theodoro nomine eum roganti, de eo est prosecutus, summatim breviterque studuimus carpere. Sicui forte displicet hæc nostra brevis narratio; mittimus eum ad Græcorum (*a*) phalerata commenta, quæ tanto largius de eo differuntur, quanto

a Præter Methodii, Leonis Sapientis, & Andreæ Cretensis scripta, de S. Nicolao extat Græce, *Nicetæ Rhetoris* Paphlagonis oratio, init. ὁ μὲν θεσπέσιος Δαυΐδ. Et Aucto-

„ to illi & in genere, & in sermone congruunt. Cætera quo„ que miracula ejus, ex aliis doctoribus sumentes, magis sen„ sum, quam verba protulimus. Excessum vero ejus, qualiter „ e seculo Sanctus abierit, ideo non scripsimus, quia nusquam „ illum invenire potuimus „. Nimirum, quum Johannes Diaconus hæc circa annum 860. scribebat, nondum erat edita S. Nicolai vita, a Metaphraste post ann. 912. jussu Constantini Porphyrogeniti scripta, cujus initium: *σοφόν τι*: nondum editum Menologium Basilianum, quod circa annum 980. vulgatum est: nondum Synaxaria Græca a Nicephoro Xanthopuli post annum Christi 1333. composita: nondum denique prodierat *Laudatio S. Nicolai a Leone Sapiente* post annum 890. scripta, cujus initium, *ἐπειδήπερ χαίρει Θεός*. Sed solum *Andreæ* (a) *Cretensis Encomium* in eundem, quod incipit: *ἄνθρωπε τοῦ Θεοῦ*: quamquam ex hoc encomio, nihil hauriri potest, quod ad obitum S Nicolai describendum faciat. Sola itaque in lucem emissa fuerat *Vita*, seu potius *Laudatio*, a S. Methodio, qui ab anno 842. ad annum 846. Constantinopolitanæ præfuit Ecclesiæ, conscripta. Hanc sane Methodii laudationem, inter ea, quæ de S. Nicolao a Fabricio tom. 6. Bibl. Græc. pag. 550. & Tom. IX. pag. 127. scripta recensentur, habemus Cod. Vat. membr. 824. pag. 151. Initium: *ὄρθρος ἡμῖν φαιδρότατος*: Ex quo eandem Laudationem edidit Falconius pag. 39. Init. *Fulgidissima pietatis aurora*. Exstat eadem in Cod. Vat. 655. 803. & 866. & apud Lambec. Tom. VIII. pag. 308. modo sub nomine *Michaëlis Archimandritæ* Monasterii Chœnolacci in Bithynia ad Oxiam montem siti; modo inscripta *Methodio Patriarchæ Constantinopolitano*: Unus enim idemque *Michaël* renunciatus Patriarcha, *Methodii* nomen assumsit. Porro ex hac Laudatione, & ex Joannis Diaconi, qui illam legit, testimonio constat, hoc in ea narrari de S. Nicolao, quod ipse exscribit ab initio usque ad pag. 168. nimirum, 1. quod Pataræ in Lycia natus est: 2. quod adolescens,

Auctoris incerti apud Lambec. Tom. VIII. pag. 376. Initium: *εὐλογητὸς εἶ κύριε ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστέ*. Latine vero de Translatione ex Myra Lyciæ ad Apuliæ oppidum Barium, apud Surium ad IX. Maji, Ursone Archiepiscopo jubente, init. *Universis Christi Ecclesiis*.

a Inter orationes Andreæ Cretensis, edidit Græce & Latine Combefisius pag. 188. 196. Hoc tamen Encomium iterum Græc. Lat. editum pag. 75. Falconius, nullo fretus veterum testimonio tribuit Leoni Sapienti, his verbis: „ Scriptum ab Imp. Leone VI. „ dicto Sapiente (vestigia S. Methodii presse sequuto post annum 886. ex quo imperavit „ usque ad annum MXI. (leg. 911.)

parentibus orbatus, facultates suas pauperibus distribuit; & quum quidam Patarensis civis tres filias ob paupertatem prostituere cogitaret, Nicolaus noctu per fenestram tantum pecuniæ in ejus domum injecit, quantum illis in matrimonium collocandis satis esset: 3. quod Myræ Episcopus ordinatus, & fidem Orthodoxam adversus Arianos & Sabellianos propugnavit, & idolorum templa evertit. 4. quod a nautis dum in periculo maris versarentur, absens invocatus, iisque apparens, tempestatem sedavit: 4. quod quum Lyciæ regionem fames oppressisset, a nautis qui ex urbe Alexandrina Constantinopolim frumentum deferebant, centum modios ex unaquaque navi sibi tradi in pauperes distribuendos, rogavit, promittens, integrum frumentum, quod Alexandriæ acceperant, Byzantium ipsos delaturos: quemadmodum & contigit. 6. quod, quum Dianæ idolo comminuto cunctos fere incolas ad Christi fidem adduxisset, Cacodæmone in forma mulieris, oleum veneno admixtum nautis tradente, ut ad S. Nicolaum deferretur, Sanctus Episcopus iisdem nautis apparens, præcepit, ut illud in mare projicerent: quo facto, oleoque illo inter fluctus maris, uti sanctus prædixerat, ardente, cognoverunt, eum diabolum fuisse. 6. demum, quod (*a*) tres Tribuni Nepotianus, Ursus, & Harpilion, a Constantino Imp. missi cum exercitu ad compescendum tumultum in Phrygia exortum, quum vidissent, tres viros morti condemnatos, a S. Nicolao fuisse liberatos, quumque ipsi post sedatum Phrygiæ tumultum, Byzantium rediissent, per calumniam a Præfecto Ablabio delati, & ab eodem Imp. Constantino condemnati, quum se propter famam ejus miraculorum, Nicolao longissime absenti commendassent, ab ipso tum Imperatori, tum Ablabio minaciter apparente, liberati sunt. Hæc in sua Laudatione Methodius, & ex Methodio paraphrastice Joannes Diaconus in Codice Vaticano Regio Alexandrino 125. a fol. 45. ad 49. Quæ vero sub ejusdem Joannis nomine, quoad S. Nicolai miracula & obitum, tam apud Mombritium tom. 2. Vit. Sanctorum, quam in Codice Regio Alexandrino 529. a fol. 119. ad 123. (quamquam ad Joannem ipsum referri nequeant, ut alibi ostendi-

a Hæc etiam narratio, præter Methodii Laudationem, extat Græce auctore incerto. Initium: *ἐν τοῖς χρόνοις Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως ἀνταρτασία ἐγένετο ἐν τῇ Φρυγίᾳ.* Vide Fabric. tom. 6. Bibl. Græc. pag. 550.

dimus:) hæc sunt, de quibus idem, quisquis sit, auctor, apud Mombritium pag. 168. sic præfatur. „ Refero itaque caritati „ vestræ, quod veridica relatione a quibusdam Grajis comperi: „ Sed illi hoc ipsum fama Myrensium accolarum profitebantur: „ tamen sive aliter, sive ita se veritas habeat, judicio narrantium „ est committendum„: Hæc, inquam, sunt quæ sequuntur. 1. quod, quum Vandalorum (a) exercitus de Africæ partibus applicuisset ad terram Calabridem, atque eandem regionem igne succenderent, reperta est ibi a quodam barbaro in cujusdam christicolæ domo Sancti Nicolai Imago in tabula honeste depicta; quam protinus in sinu suo abscondit, quamvis ignoraret quid esset. Quum autem quemdam ex captivis Christianis interrogaret, cujus esset ea figura, isque, *Sancti Nicolai*, respondisset, multis miraculis clari; reversus ille barbarus cum exercitu Vandalorum in Africam, posuit eam Imaginem mante suum telonium [erat enim telonearius:] inquiens: *Nicolaë*, habeto custodiam super telonium hoc: nam ego alibi necesse habeo proficisci. Eo autem absente, quum latrones telonium ingressi, omnia diripuissent, sola Imagine, quæ deforis pendebat, relicta; veniens barbarus, vacuumque telonium reperiens, accepto flagello, sancti Nicolai Imaginem tundere cæpit, dicens: certe te in ignem projiciam, nisi omnia mea reddideris. Sanctus vero Nicolaus latronibus apparens, eos monuit, ut cuncta quæ diripuerant, ad telonium referrent. Quo ab iis facto, quum mane venisset Barbarus, videretque cunctam substantiam quam amiserat, in Christum credidit, & baptizatus est ipse & domus ejus tota, & construxit Ecclesiam in honorem S. Nicolai. Atque hæc fuit prima occasio, qua apud Africanas regiones beatus agnitus est Nicolaus, & paulatim nomen ejus apud Barbaros crevit. 2. Quod quum S. Nicolaus ad Dominum migravit, ejusque corpus a Clericis & Sacerdotibus ablutum, linteaminibus abstergeretur, quidam Cethron nomine, petiit & obtinuit unum e linteaminibus: allatumque in suam civitatem, quæ dicitur *Excoranda*, [ita oscitanter Latinus vitæ S. Nicolai consarcinator, *Oenoandam* Ciliciæ urbem vocat] suæque uxori Euphrosynæ ostensum, deposuit in Ecclesia, quam ipse cum conjuge in honorem S. Nicolai extra portas civitatis in parte Orien-

a Græce extat in Cod. Vat. 821. pag. 169. Init. Ἐξελθόντος [illegible] τοῦ τῶν Οὐανδάλων στρατοῦ.

Orientis quasi stadiis duobus ædificavit, *Apollonio Episcopo* eam dedicante: ubi & plurima patrabantur miracula, inter quæ & illud, quod Cethron ex *Euphrosyna* conjuge suscepit filium, vocavitque (*a*) *Adeodatum*. Quum autem complesset puer annos septem, & una cum conjuge Cethron pater eum ad Ecclesiam S. Nicolai adduxisset, venerunt Agareni, & prædati sunt omnes viros ac mulieres, inter quos etiam puer est captus, Cethrone cum uxore in civitatem suam profugientibus: Agareni vero duxerunt captivos in Babyloniam; & dividentes inter se captos, pervenit puer Adeodatus in manum Regis Marmorini. Anno sequente quum Cethron & Euphrosyna ad festum S. Nicolai in eadem Ecclesia celebrandum rediissent, Sanctum rogantes, ut filium sibi restitueret, sicuti tres illos innocentes de laqueo mortis & de ira Constantini liberaverat; quumque eadem die in Babylonia puer Adeodatus scyphum accepisset ad potum parandum, & aquam in manu sua ad lavandum scyphum, ut Regi potum præberet, suspirans, eo quod esset expletus annus quo captivus in obsequium Regis venerat, jussusque a Rege, ut causam suspirii ediceret, Domine Rex, inquit, recordatus sum, quia hodie pater meus & mater mea faciebant magnam solemnitatem in Ecclesia S. Nicolai: Rege autem dicente; fer mihi potum, & desine talia cogitare: subito Vir Dei Nicolaus adfuit, & apprehendit puerum per verticem capilli capitis sui, & reportavit & reddidit illum matri suæ. Duobus istis miraculis tertium ab eodem auctore præmittitur, in hæc verba p. 168. „ Quodam tempore quum quidam magnatum civitate prædicta, in vidiosa factione, Pontificem Sedis ipsius propellere „ non erubuissent, continuo desinit oleum tantæ perfluere bene- „ dictionis. At ubi idem Antistes suam recepit Cathedram, „ confestim salutaris liquor stillare more pristino cœpit „. Vides, ut Auctor hæc tria postrema miracula ex ore Græcorum accepisse

a Latinus vitæ S. Nicolai consarcinator, pro *Basilio* ab Agarenis Cretensibus facto captivo, *Adeodatum* obtrudit ad *Babyloniam* abductum. Confer cum hisce Latinis Græca scripta de miraculis S. Nicolai, quæ exstant Cod. Vat. 821. a pag. 264. & Cod. 824. a pag. 369. quæ Falconius edidit Græce & Latine a pag. 56. ad 75. quam tamen miraculorum enarrationem perperam refert ad S. Methodium, his verbis: „ Enarratio miraculorum magni inter Archiepiscopos Dei, & ob miracula sibi cognominis (idest Thaumaturgi) Nicolai, qui fuit Archiepiscopus Myrorum Provinciæ Lyciæ. Hæc homilia est ejusdem S. Methodii Patriarchæ Constantinopolis ad suum populum „. Init. καλὸν ἡμᾶς. Sunt autem miracula VII, sed præpostero ordine enarrata, ut videre est Cod. Græc. MSS. 821. a pag. 264.

cepiſſe ſe profitetur, eaque *judicio narrantium eſſe committenda*: & jure quidem meritoque: nam, utut de ſubſtantia hiſtoriæ nihil hæſitemus, Auctori tamen Græcos impoſuiſſe conſtat, primo, dum Vandalos vocant, qui ex Africa in Calabriam irruperant, quum Saraceni fuiſſent ſectæque Mahometicæ, non Arianæ hæreſeos profeſſores: idque factum oportuit poſt annum 902. quo Abrahimus Africæ Rex in Siciliam & Calabriam invadens, ibi interiit, quemadmodum alibi oſtendimus; adeoque longe poſt ſcriptam a Joanne Diacono S. Nicolai vitam. Secundo, dum factum illud Agarenorum in Lyciam invadentium, puerumque Adeodatum in Babyloniam ad Regem Marmorinum (imo, Miramominum ſive Amir-mumenin, quo titulo Babylonicum Chalipham ſectarii ornant:) trahentium, ad tempora S. Nicolai Epiſcopi detorquent, quaſi ſtatim poſt Sancti obitum contigerit: id quod a veritate omnino abhorret, & iis etiam, quæ antea de Conſtantino Imperatore a ſancto adhuc vivente per viſum, ut Tribunos dimitteret, admonito dicta fuerant, repugnat: nam Conſtantinus Imperator anno Chriſti 337. in vivis eſſe deſiit: Babylonii autem Chaliphæ ante ſeptimum & octavum ſeculum non extitere. Mitto quæ de obitu S. Nicolai ejuſque ſepultura in cit. Cod. Vat. 529. narrantur: tum quia S.Nicolaum aſſerunt a Conſtantini temporibus uſque ad Juſtinianum vixiſſe: quod omnino aſyſtatum: tum etiam quia a propoſito Joannis ſcopo abhorrent, qui in Prologo profitetur, exceſſum S. Nicolai, qualiter e ſeculo ſanctus abierit, ſe ideo non ſcripſiſſe, quia numquam illum invenire potuit.

Cave autem, ne ex hoc aut Græculorum aut Latini interpretis commento, quod Joanni Diacono propinatum fuit, id colligas, quod in mentem venit Illmo Falconio S.Severinæ Archiepiſcopo, viro cæteroquin non indocto, ut diceret, S. Nicolaum non temporibus Conſtantini magni claruiſſe, ſed ſerius in mundum veniſſe; hoc eſt, ſexto Chriſti ſeculo natum Pharrois in Lycia anno circiter 480. ordinatum Pinarorum & Didymorum Epiſcopum anno 547. mortuum anno 551. Juſtiniani Imperatoris anno 25. Nam ſanctum Virum ſub Diocletiano quidem & Maximiano paſſum, ſub Conſtantino autem Nicænæ primæ Synodo interfuiſſe, eaque patraſſe, quæ ſupra ex Methodio narrata ſunt, nemo negaverit, niſi qui auctoritatem Eccleſiæ univerſæ & Græcæ & Latinæ flocci pendat. Præterea Rabanus, Ado &

Uſuar-

Usuardus in suis Martyrologiis de eodem agunt tamquam seculi Constantiniani Pontifice.

Quæ vero Illmum Falconium, ut in hanc absurdam de sancto Nicolao sententiam descenderet, impulere, eadem ipsa convincunt, illum pro sancto Nicolao Myrensi alterum sequioris ævi Nicolaum Pinarensem perperam & oscitanter accepisse. Atqui vel ex ipsis Nicolai Pinarensis Actis nosse debuerat, præter hunc Pinarensem, cujus Acta describit, extitisse S. Nicolaum Myrensem, duobus & amplius seculis Pinarensi priorem. Nam pag. 2. num. 3. ipse Pinarensis dicitur ordinatus Lector a Nicolao Myrensi Archiepiscopo, ἐν τῷ μαρτυρίῳ τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου Νικολάου, *in Martyrio sancti & gloriosi Nicolai*: Et mox subjungitur de eodem Martyrio sive Æde sacra: „ Erat „ autem Nauclerus quidam ab Ascalone, nomine Menas, qui „ auditis, quæ de sancto viro & Archimandrita Nicolao [*Nicolai Pinarensis patruo*,] prædicabantur, venit in occursum „ ejus in Myra, in Martyrium sancti Nicolai „. Quid ad hæc Falconius? Comminiscitur, Templum illud Myrense non S. Nicolao Episcopo, qui quarto sæculo vivebat, sed sacrum fuisse Nicolao uni e XL. Martyribus Sebastenis, cujus nomen in eorum Martyrum actis memoratur. Nugæ. Non enim is Nicolaus sociorum Martyrum Dux fuit, quemadmodum Mauricius Thebæorum, ut ejus nomen præ ceteris celebraretur: & Falconius noster ludit in voce *Martyrii*, perinde ac si *Martyrium* non æque de æde *Sanctis Confessoribus*, ac *Martyribus* dicata occurrat frequentissime apud probatos auctores. Omnis enim Ecclesia, titulo cujusvis Sancti, vocatur *Martyrium*. Sic Athanasius Apol. 2. pag. 834. σωτήριον μαρτύριον vocat *Templum Resurrectionis Domini*. Et Hieronymus in Hilarione: „ Causam occultandi juxta præceptum Antonii fuisse referentes, ne Pergamus, qui in illis locis ditissimus erat, sublato ad villam „ suam sancti corpore, Martyrium fabricaret „. Mitto alia de Sancto Nicolao Myrensi Nicænorum temporum Pontifice argumenta, a cl. viris adversus temerariam hanc Falconii scriptionem producta. Idque unum addo, sicuti in Codice nostro Vaticano Græco 821. post Acta *Nicolai Pinarensis* subjunguntur quædam miracula, quæ ad *Nicolaum Myrensem* spectant, utpote Constantini Magni temporibus peracta; ita qui ejusdem Myrensis Acta Latine consarcinarunt, utraque in unum confudisse mihi videntur.

Quis

Quis vero Athanasius sit, cui Joannes Diaconus vitam Sancti Nicolai nuncupat, ex dictis de Codice Vaticano 5007. patet. Nimirum, Athanasius junior, filius Gregorii Consulis ac Ducis, nepos S. Athanasii quadragesimi quarti Neapolitanorum Episcopi, qui anno Christi 872. ad superos migravit, coliturque in Martyrologio Romano ad 15. Julii. Is enim Athanasius, dum Joannes annum ætatis vigesimum quintum agens eam S. Nicolai vitam scripsit, adhuc & ipse juvenis erat: unde Joannes eum *Fratrem Athanasium* vocat: postea vero in locum patrui Athanasii suffectus, Neapolitanam Ecclesiam rexit annis 22. mensibus 5. diebus 2. uti scribit Petrus Subdiaconus, Joannis ejusdem Continuator. Hujus autem Athanasii junioris, jam Parthenopensis Ecclesiæ Præsulis, jussu, Joannes è Græco in Latinum transtulit *Acta Sanctorum Eustratii & Sociorum*, Baronio teste, ubi in Prologo se ipsum appellat *Joannem Servum Sancti Januarii*. Præterea idem Joannes Diaconus *Passionem* XL. *Martyrum Sebastenorum* Græce ab Evodio Episcopo Cæsareæ scriptam Latio donavit, eaque primum edita est anno 1604. a Gerardo Vossio Borchlonio; tum an. 1668. eandem PP. Henschenius & Papebrochius intulerunt in Acta Sanctorum ad diem x. Martii p. 12. Tom. 2. Disertis enim verbis in Præfatione ita scribit: „ Dominus Johannes spiritualis noster Pater, Abbas quoque Monasterii sancti Severini, quum me infelicissimum Johannem Diaconum, servum sancti Januarii Martyris, non meis meritis unice diligeret, & crederet suis jussis in nullo me ire sinistrum: cæpit sæpissime coram me devotionem referre, quam erga prædictos haberet Martyres „. Ejusdem Abbatis Monasterii S. Severini in gratiam Joannes Diaconus scripsit *Historiam Passionis Sanctorum Sosii atque Januarii*, simulque Translationis Corporis ejusdem Sancti Januarii, factæ sub Stephano, junioris Athanasii successore, qui circa annum 895. Neapolitanæ Ecclesiæ præesse cæpit: quemadmodum ex Præfatione colligitur: ita enim Johannes Diaconus exorditur: „ Post nunnulla tyrocinii mei opuscula, quibus aliquantisper juvenilem animum caritatis exercuisse videbar imperio, nullius fore disponebam intentionis, nisi ut me magis hebetaret desidia, quam fomenta lividæ stomachationis alicui pro talibus subministrarem experimentis „. Prodiit hoc opus apud Surium ad diem 23. Septembris. Aliud etiam opus, rogante Johanne Abbate Mona-

sterii Neapolitani sancti Severini conscripsit Johannes Diaconus, cui titulus, *Historia Translationis Sancti Severini Noricorum Apostoli*, editum a Bollando in Act. Sanctorum in Addend. ad diem 8. Januarii, Tom. 1. pag. 1098. quæ quidem Translatio facta dicitur *Anno vigesimo quarto Leonis & Alexandri Imperatorum*, hoc est, anno Chr. 910. uti censent Ambrosius Staibanus, & Caracciolus: si ab anno 886. quo Leo Sapiens Basilio Augusto parenti successit, exordium ejus Imperii arcessas: aut anno 894., si deductam Johannis Diaconi epocham velis ab anno 870. quo Leo & Alexander Imperatores a patre fuerunt renunciati. Quæ tamen Leonis & Alexandri epocha non ad Translationem Corporis S. Severini [quæ aliquot post annis facta est nimirum ann. 902.] referri debet, sed ad tempus quo Panormitani a Rege Africano defecerunt, quum eorum defectio in causa fuerit, ut Abrahimus Africæ Rex in Siciliam properaret, inque Christianos desæviret, atque adeo Corpus etiam S. Severini e Castro Lucullano Neapolim transferretur, quemadmodum alibi ostendimus: ubi & Joan. Diaconi opus diximus *Martyrium S. Procopii* Episcopi Tauromenitani, qui sub eodem barbaro Rege Africano passus est. Demum, auctore Caracciolo, *Homilia in honorem S. Agrippini*, fœtus est Joannis Diaconi, a quo & vitam S. Nicolai, & vitas Neapolitanarum Episcoporum accepimus. Hæc de Joannis Diaconi scriptis, mutuati sumus a cl. Muratorio in Præfat. ad vitas Antistitum Neapolitanorum, Tom. 1. Part. 1. Rer. Ital. Script., quem tamen satis mirati sumus nullam vitæ S. Nicolai ab eodem Joanne conscriptæ mentionem fecisse.

Redeo ad Sanctum Nicolaum. De eo Auctor Romani Martyrologii parvi, Ado Viennensis, Rabanus, Vandelbertus Monachus Prumiensis, Usuardus, quorum verba recitat Falconius a pag. 110. Marmor quoque Neapolitanum, seculo IX. exaratum, hæc habet ad VI. Decembris: *Nat. S. Nicolai*. Ut enim de cultu hujus Sancti ad Italos transmisso verbis utar Johannis Diaconi: „ Nullus est jam in orbe terrarum locus tam remo- „ tus, tam abditus, nec etiam solitudo, aut eremus, quem „ fama & miracula Domini Nicolai Confessoris piissimi non il- „ lustraverint. Testes ex hoc existunt non solum omnes pro- „ vinciæ Græcorum, de quibus originem duxisse comprobatur, „ verum etiam omne Orientale Regnum. Testes etiam & Bar- „ barorum diversæ nationes diversis linguis utentes, universam „ pene

„ pene Africam habitantes, quæ obsequium ei piæ devotionis „ exhibent. Italiæ vero habitatores promptis animis, quamvis „ nostris temporibus inchoaverint devote celebrare ejus festa „ solemniter, didicerunt ejus miraculis assidue jocundari; Ec- „ clesias plurimas auxiliante Domino in honore ejus construere „ & dedicare meruerunt, ut hic eum patronum & advocatum, „ & in futuro apud ipsum Mundi conditorem intercessorem „ habeant: Per eum qui vivit & regnat cum Patre in unitate „ Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen „. Hæc Joannes scribebat circa annum Christi 860. quum adhuc & ipse & Athanasius Gregorii Ducis filius, [postea ann. 872. Neapolitanus Antistes,] juvenes essent. Quare videtur, primum Neapoli, deinde per totam Italiam, Sancti Nicolai cultus fuisse propagatus. Ad Ruthenos quod spectat, quam singulari cultu ii Sanctum hunc venerentur, non solum legimus apud Possevinum & alios; sed etiam in eorum Diptycis, Triptycisque videmus, in quibus omnibus invenitur Sanctus Nicolaus, ac ferme primo & potiori inter Sanctos ejus Ordinis loco. Papebrochius ad VI. Decembris Moschorum figurati: „ Sed & hoc „ a Græcis didicisse Ruthenos, probare potest pictura Græca- „ nica ex Parisiensi S. Genovefæ Gazophylacio inferius exhi- „ benda „. Exhibet eam in Appendice pag. LXIII. col. I. his verbis: „ Magnam autem utriusque [idest, Zosimæ & Sabbatii] „ venerationem in sua gente probat mihi Diptycon quoddam „ apud nos existens, cujus una tabella Christi Thronum habet „ cum Deipara, & Joanne; altera tres solum Sanctos, scilicet „ Sanctum Nicolaum, & hos duos Sanctos. Ipsam tabellam to- „ tam exhibeo tum quia necdum omnes literas assequor, ut eas „ peritiori cuipiam explicandas proponam, tum quia volo ex- „ hibere ornatum æneardum lamellarum, quibus vacuum a fi- „ gurarum pictura tabellæ fundum quandoque implent talium „ Artifices. Simul etiam hic vides cujusque Sancti nomen ar- „ genteis lamellis seorsim inscriptum „. Hæc Papebrochius, cujus in gratiam literas Ruthenicas, quas ipse ignorare se fatetur, expono. In latere dextro stat Sanctus *Nicolaus*, habitu Pontificio Græco ornatus, nudo capite, sed radiato, barba rotunda, dextra benedicens, sinistra librum clausum pectori admotum tenens, cum his supra caput literis: *Sviaty Nikola*, *Sanctus Nicolaus*. In medio Sanctus *Zosimas* barbatus, capillis

 atton-

attonsis, caputio ad humeros reducto, duobusque hinc inde circulis signato, habitu monastico, idest tunica & pallio undequaque clauso, pendente supra tunicam è collo usque ad medium corpus sacro Schemate, cruce insignito, his supra caput literis: *Prepodobny Zosym*, *Sanctus Zosimas*. In sinistro latere, *S. Nilus* eodem ac Zosimas habitu, cum literis: *Prepodobny Nil*, *Sanctus Nilus*. In Triptycho majori apud eundem Papebrochium pag. LXII. in Tabella dextera, primum locum occupat idem *Sanctus Nicolaus* habitu Pontificio indutus. In Triptyco minori pag. LXIII. in Tabella dextera, idem *Sanctus Nicolaus* in primo loco, & post ipsum S. Stephanus Protomartyr. In Diptyco Gazophylacii Canonicorum Regularium S. Genovefæ Parisiis, pag. LXI. in medio *S. Jo. Chrysostomus*, a dextris *S. Nicolaus*, a sinistris *S. Basilius*, nominibus ad latera capitis adscriptis.

Possevinus: „ Eum [inquit] non solum depictum, verum etiam pene totum desculptum [res alioquin rara apud Moschos, a statuis formandis justo alieniores:] Vidimus apud Novogardiam magnam. Vocant autem Sanctum Nicolaum Czudothworetz, quasi θαυματουργόν: „ De plurimis ejus miraculis [inquit Sigismundus Herbersteinius,] quotidie prædicant: quorum unicum, quod non ante multos annos contigit [scribebat autem Sigismundus circa an. 1549.] placuit hic adjungere. Michaël quidam Kysalitzki, vir magnus ac strenuus, in quodam conflictu Tartarico, quemdam magni nominis Tartarum fugientem est persecutus: quem quum citato equi cursu assequi non posset, Nicolae, inquit, perduc me ad hunc canem. Tartarus hæc audiens, territus exclamat: Nicolae, si hic tuo auxilio me assequetur, nullum miraculum facies: si vero me, alienum a tua fide, ab illius persecutione incolumem servaveris, tum magnum erit nomen tuum. Ajunt, Michaëlis equum restitisse, Tartarumque elapsum: Tartarum quoque deinceps Nicolao, ob incolumitatem suam, in singulos vitæ suæ annos, certas mensuras mellis obtulisse; totidemque mensuras misisse Michaëli pariter, in memoriam liberationis suæ, adjecta etiam honoraria veste ex pellibus madauricis „. Hactenus de Sancto Nicolao, apud Christianos omnes, maxime vero Ruthenos, celeberrimo. De Translatione Reliquiarum ejus, dicam postea ad diem

diem 9. Maji. Non est tamen omittendum, quod Cl. Cangius in Constantinopoli Christiana lib. 4. cap. VI. de Ædibus Sacris, Sanctis Martyribus, Confessoribus &c. dicatis, num. 67. & seq. Quatuor recenset in honorem Sancti Nicolai erectas Ecclesias in hæc verba. „ LXVII. Sancti Nicolai Episcopi εὐκτήριον, seu Oratorium, intra magni Palatii septa ædificavit Basilius Macedo, „ ut auctor est Scylitzes, ubi etiam statuitur ab Anna Comnena lib. 2. Alexiad. pag. 52. R. E. uti a nobis observatum: versus ædem S. Barbaræ, a Pachymere lib. 4. cap. 8. seu versus „ Acropolim. LXVIII. Sancti Nicolai ædes versus Blachernas „ memoratur apud auctorem Chronici Alexandrini in Heraclio „ pag. 904. 906. edit. Reg. qui incendio absumtum ab Avaribus narrat. Ibidem etiam statuitur ab Anna Comnena pagin. 294. E. R., neque alia videtur ab ea, quam SS. Prisco & „ Nicolao excitasse Justinianum, scribit Procopius lib. 1. de „ Ædificiis cap. 6. quippe, quum ad Blachernas apud eundem „ statuatur. Vide Menæa VI. Novembris, Lambecium l. 4. de „ Bibl. Cæs. pag. 123. & notas nostras ad Alexiadem pag. 359. „ E. R. LXIX. Sancti Nicolai ædes τὰ Βασιλίδου dicta, a Basilide „ Patricio & Quæstore, qui Justiniano Magno imperante vixit, „ in domo propria ædificata fuit, ut habet Codinus pag. 62. „ E. R. Basilidis istius meminit Procopius lib. 1. de Bello Pers. „ cap. 24. LXX. S. Nicolao & S. Augustino Cantuariensi Episcopo ædem sacram extruxit nobilis quidam Anglus, qui Constantinopolim exul secesserat post expugnatam a Willelmo „ notho Angliam, ut habet Gotselinus lib. 1. de Miraculis ejusdem S. Augustini cap. 26. „. Hactenus Cangius. Cl. Falconius in not. ad vitam Sancti Nicolai, quem cum Pinarensi confundit, Basilicam a Justiniano in honorem *SS. Prisci & Nicolai* Constantinopoli ædificatam, non ad Nicolaum Myrensem spectare contendit, sed ad *Nicolaum* unum ex XL. *Martyribus*, cui etiam alteram in urbe Myrorum extructam, cujus in vita Nicolai Pinarensis fit mentio, tribuendam esse affirmat. E contrario Cangius, aliique putant, eam ædem quam Justinianus condidit, ad Sanctum Nicolaum Myrensem esse referendam. Mihi duo sunt certa: Primum Ecclesias Sanctis quidem quadraginta Martyribus in toto orbe dicatas fuisse, nullibi tamen uni eorum nominatim expresso, sive is Nicolaus sit, sive Cyrion, aut Meliton: quia nempe nobis non constat, quis eorum Dux fuerit, ut illius

illius nomen præ ceteris celebretur, ficuti Mauricii nomen inter reliquos Thebææ Legionis milites clarius evafit. Alterum, tam contra Falconium, quam contra Cangium aliofque certum eft, Juftinianæam illam ædem neque S. Nicolao uni ex XL. Martyribus, neque S. Nicolao Myrenfi Antiftiti fuiffe nuncupatam, fed duobus Sanctis Martyribus *Prifco* & *Nicolao*, quorum in Menæis Græcorum diferta fit mentio ad diem VII. Decembris, his verbis: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τῶν ἁγίων Μαρτύρων Πρίσκυ, Μαρτίνυ, καὶ Νικολάυ. ὧν ὁ δὲ πέλυξι κατακοπεὶς. ὁ δὲ ξίφος διὰ πυρὸς; ἐτελειώθησαν. ἡ δὲ σύναξις αὐτῶν τελεῖται πλησίον τῦ τείχυς τῶν Βλαχερνῶν. „ Eadem die SS. Martyrum Prifci, Martini, [*pro* „ Μαρτίνυ, *perperam fcribitur* Μαρτύρυ: *fed error in verfibus fe-* „ *quentibus emendatur*] & Nicolai: quorum is quidem fecuri- „ bus diffectus, tertius autem per ignem, confummati funt. „ Synaxis vero eorum peragitur juxta Mœnia Blachernarum „. Subjunguntur hi ςίχοι, verfus:

Τιμῶ θανόντα πρίσκον ἄρτῳ γηΐνῳ.
Χριςός ἄρτῳ γὰρ ψωμεῖ τῶν Ἀγγέλων.
Πέλυξι συγκόπτυσι Μαρτίνυ Κρέα,
Κρεῶν μακέλλας δυσσεβεῖς ἀνθρωπίνων.
Ἐξῆλθε δόγμα δαίμοσι πλάνης θύειν,
Οἷς Νικόλαε μὴ θύων εἰς πῦρ θύῃ.
Honoro mortuum Prifcum pane terreftri.
Chriftus enim pane Angelorum pafcit.
Securibus concidunt Martini carnes,
Carnium humanarum ligone impii.
Exiit Edictum erroris, de immolando Dæmonibus,
Quibus, Nicolae, quum non immolares, in ignem es immolatus.

Cur autem *Prifci* & *Nicolai*, non Martini nomine ea Ecclefia fit condita, non aliam caufam fuiffe fufpicor, nifi quia illorum Corpora, non iftius, ibi fuerint recondita.

VII.

AMBROSIUS.

Codex Vaticanus primus Ruthenicus: *Ambrofius Epifcopus*. Secundus hac die vacat. Poffevinus: *S. Patris Ambrofii*. Fafti Papebrochiani: *Ambrofius*: ubi depingitur habitu Epifcopali cum pallio Pontificio, more Græcorum. Menologium Bafilianum: *Die 7. Commemoratio S. P. N. Ambrofii Epifcopi Medio-*

diolani. Eadem in Menæis Græcorum. Kalendarium marmoreum Neapolitanum: *Dep. S. Ambrosii Episcopi*, idest, Depositio, sive dies obitus: Ita enim Græci hac die natalem Sancti Ambrosii celebrant. At in Martyrologio Romano non *Depositio*, sed *Ordinatio Sancti Ambrosii* hac die recolitur, quæ contigit, Baronio teste, anno XI. Valentiniani junioris, Gratiano III. & Equitio Coss. anno Domini 374. *Depositio* vero, in eodem Martyrologio ad diem 4. April. celebratur. Vide Baronium in not. ad eandem diem, ubi ostendit, Sanctum Ambrosium anno ætatis 64. in humanis esse desiisse, nimirum an. Christi 397. tertio ab obitu Theodosii Imperatoris anno. Vitam ejus Metaphrastes Græcam fecit, cujus initium: *Οὐαλεντινιανὸς μετὰ τὴν τελευτὴν Ἰοβινιανοῦ*. Fabricius in Bibl. Græc. tom. 6. pag. 511. Ambrosii autem apud Græcos & Russos colendi æque ac Sancti Gregorii Papæ, occasionem primam esse arbitratur Papebrochius, vel ipsas eorum vitas, vel illustriora quædam opera ex Latina in linguam ipsorum conversa. Neutrum Sanctis Hieronymo & Augustino obtigit: ideoque neuter horum, fastis Ecclesiæ Orientalis adscriptus est.

VIII.

PATAPIUS.

Codex uterque Vaticanus Russicus vacat hac die. Possevinus: *S. Patris Potapii*; sic enim Rutheni vocant. Fasti Græco-Moschi Papebrochiani: *Potapi*, *Patapius*. Floruit is Constantinopoli solitarius, inscriptus etiam Romano hodierno. Vitam S. Andreas Cretensis composuit, ejusque illustre compendium fecit Metaphrastes, quod apud Lipomanum & Surium Latine extat. Fabric. tom. 6. Bibl. Græc. pag. 552. „ Patapii Thebani „ Ægyptii, Eremitæ, *ὡς λαμπρὰν καὶ πνευματικήν*. Et alia oratio „ quæ incipit: *πάντα πιστεύειν ἄξιον*: utraque auctore Andrea „ Cretensi, inter cujus orationes Græce & Latine editæ a Com- „ befisio. Vita ejusdem: *οὐ πολλοὺς αἴγυπτος*, Latine apud Su- „ rium 8. Decembris. „ Papebrochius de hac postrema vita: „ Græce variis in Codicibus vidimus, necdum curavimus exci- „ piendam „. Græci in Menologio agunt de Patapio hac die, cum Synaxario, in quo dicitur Thebis in Ægypto ortus, Constantinopoli claruisse. At Menologium Basilianum ad diem 9. Decembris pag. 12. ejus commemorationem ponit, asseritque, *pretiosas ejus Reliquias Constantinopoli quiescere*.

CON-

IX.

CONCEPTIO SANCTISSIMÆ DEIPARÆ.

Codex uterque Vaticanus Rufficus: *Conceptio Annæ*. Ita & Poffevinus: *Conceptio Sanctæ Annæ*: & Fafti Græco-Mofchi: *Zaczatie Sviatyia Anny*, *Conceptio S. Annæ*. Et Menologium Bafilianum ad hanc ipfam diem IX. Decembris: *Conceptio Sanctæ Annæ Matris Deiparæ*. Menologium denique Græcum: ἡ σύλληψις τῆς ἁγίας Ἄννης, τῆς μητρὸς τῆς Θεοτόκου: *Conceptio Sanctæ Annæ*, *Matris Deiparæ*. In omnibus & Græcis & Ruthenicis picturis, repræfentatur in Templo feu potius Conclavi ornato, Joachimus Annam uxorem amplexans, & ofculans; Ita & in Triptycho minore apud Papebrochium pag. LX. fuperimpofita epigraphe: *Conceptio S. Annæ*: & ad utrumque latus in ora inferiore adfcriptis nominibus: *Anna*: *Joachim*. Culcinius Par. 2. pag. 105. „ Adeft in meo Anthologio Imago, quæ re„ præfentat Sanctos Joachimum & Annam in Viridario feorfim, „ & longe inter fe ftantes atque orantes. Porro unus Angelus „ è nube Joachimum, alter Annam, alloquuntur, Conceptio„ nem Nativitatemque annunciantes „. Recole quæ fupra diximus ad XXIII. Septembris, ubi de Conceptione Sancti Joannis Baptiftæ. Nam Orientales ab antiquis temporibus tres Conceptiones celebrarunt, quarum prima dicitur *S. Joannis Baptiftæ*, quando nimirum Angelus apparuit Zachariæ, annuncians ei, ac dicens, Luc. 1. verf. 13. „ Ne timeas Zacharia, quoniam exau„ dita eft deprecatio tua: & uxor tua Elifabeth pariet tibi Fi„ lium, & vocabis nomen ejus Joannem „. Et poft pauca. „ Et „ dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc fciam? Ego enim fum „ fenex, & uxor mea proceffit in diebus fuis „. Et paucis interpofitis. „ Et factum eft, ut impleti funt dies officii ejus, „ abiit in domum fuam „: Poft hos autem dies concepit Elifabeth uxor ejus [utique ex Zacharia marito] & occultabat fe menfibus quinque, dicens: „ Quia fic fecit mihi Dominus in „ diebus, quibus refpexit auferre opprobrium meum inter ho„ mines „. Hoc feftum, quod Græci *Conceptionem Baptiftæ* vocant, apud Syros vocabulo honeftiori, fed idem fignificante, appellatur: ܣܘܒܪܗ ܕܙܟܪܝܐ *Annunciatio Zachariæ*. Secunda, *Conceptio Chrifti Filii Dei in utero Virginis*, quando fuit annunciata ab Angelo, ei dicente Luc. 1. verf. 31. „ Ecce concipies „ in utero, & paries Filium, & vocabis nomen ejus Jefum „:

Et

Et quæ fequuntur. Hoc etiam Feftum tam Syris, quam Græcis & Latinis vocatur *Annunciatio Deiparæ:* & ad 25. Martii celebratur ab omnibus præter Armenos, qui illud ad aliam diem recolunt, uti jam fæpe notavimus, & fufius fermo redibit, quum de Faftis Ecclefiæ Armenæ differemus. Tertia demum, de qua hic agitur, *Conceptio Deiparæ:* quam Latini quidem appellant *Conceptionem B. Virginis Mariæ*; Græci vero, & alii Orientales, *Conceptionem S. Annæ*, & cum addito, *S. Annæ Matris Deiparæ*: id quod eodem recidit. Duplex enim diftinguenda eft Conceptio: *Activa* fcilicet, qua Joachimus & Anna opere maritali invicem convenientes, præftiterunt ea, quæ maxime fpectabant ad ipfius corporis formationem, organizationem, & difpofitionem ad recipiendam animam rationalem a Deo infundendam. Et *Paffiva*, quæ in eo momento confiftit, quo anima rationalis a Deo infunditur in corpus jam apte formatum: „ Ipfa „ nimirum animæ infufio & unio cum corpore debite organiza- „ to vulgo nominatur Conceptio paffiva, quæ fcilicet fit illo „ ipfo inftanti, quo rationalis Anima Beatæ Mariæ Virginis, „ Corpori ejus, omnibus membris ac fuis organis conftanti „ unitur „: quemadmodum ex Theologorum placitis diftinguit SSmus D. N. BENEDICTUS XIV. Pont. Max. de Fefto Conceptionis Beatiffimæ Virginis, Par. 2. num. 185. pag. 605. edit. Bononiæ anno 1740. Primum Conceptionis fenfum defignant Græci, dum illam vocant *Conceptionem S. Annæ:* activam fcilicet, qua S. Anna in utero concepit Beatiffimam Virginem Mariam: fecundo modo Conceptionem accipiunt Latini, dum illam dicunt, Conceptionem *Beatæ Virginis Mariæ*, hoc eft, quando Beata Virgo Maria in utero Matris fuæ Annę primum concepta eft. Non folum autem Græci & Syri, fed etiam Armeni, tres olim antedictas Conceptiones coluerunt: nam Matthæus Parifienfis ad annum 1228. narrat veniffe in Angliam Armeniorum Archiepifcopum ad Sancti illic Albani Monafterium: „ Interrogatum autem inter loquendum ab uno, qui „ fuit ei affidens Collateralis Monacho, fi in partibus fuis „ Conceptio Beatæ Mariæ celebraretur, refpondiffe: Celebra- „ tur. Et hæc eft ratio: quia Angelo nunciante Joachim do- „ lenti & defertum tunc inhabitanti, ipfa Conceptio facta eft. „ Similiter & Conceptio Beati Joannis Baptiftæ, fimili ratio- „ ne. De Conceptione autem Domini, quæ facta eft Angelo „ annun-

„ annunciante Mariæ, quæ concepit ex Spiritu Sancto, nulli „ fidelium venit in dubium „. Hæc ille, verissime quidem quoad tres Conceptiones, sed non recte, quoad primam, quum sit, Angelo nunciante Joachim dolenti, & desertum tunc inhabitanti, ipsa Conceptio facta est: nam Sanctus Lucas testatur, Zachariam, ut impleti sunt dies officii ejus [in Templo] abiisse in domum suam; post hos autem dies, concepisse Elisabeth uxorem ejus: neque enim absente Zacharia, uxor ejus concepit, sed de ipso Zacharia uterum gessit.

Jam vero si quæras, quo tempore Conceptæ Deiparæ Festum apud Orientales cæperit, & qua occasione; certum quidem tempus definiri nequit: at constat, eam festivitatem esse antiquissimam. Etenim in Menologiis vetustissimis inseritur ad IX. Decembris: item in Codicibus Evangeliorum ante annum Christi octingentesimum exaratis, diserta fit ejus mentio in Catalogo Festorum per anni circulum, qui Catalogus solet quatuor Sacris Evangeliis subjungi. Insuper Novella, quam suis ad Photii Nomocanonem Scholiis inseruit Theodorus Balsamon, Manuelis Comneni Imperatoris de publicis in populo festis, lex habet: *Nonus dies Decembris, quia tunc Genitricis Dei nostri Conceptio celebratur*. Festum autem istud Manuel Comnenus, qui ab anno 1143. ad ann. 1181. imperavit, nequaquam instituit, sed juxta vetustum Imperii morem sanxit etiam in populo esse feriatum. Nicon Monachus Græcus, qui sub Patriarchis Antiochenis, quos laudat, Joanne, Nicolao, & Petro circa annum Chr. 1060. vivebat, in opere, quod Arabice Typicon inscriptum & in capita XL. divisum, ex Patriarchali cella, mihi dum in Syria anno 1716. versarer, ab Athanasio Patriarcha dono datum, in Bibliothecam Vaticanam deportavi, ejusque Synopsim Tom. I. Bibl. Orient. pag. 620. exhibui, cap. 8. Calendarium Festorum repræsentat, uti sua ætate in usu erant apud Græcos in Patriarchatu Antiocheno: die autem IX. Decembris hæc habet: *Conceptio S. Annæ, quando concepit B. Virginem Mariam Dei Genitricem*. Denique Georgius Nicomediensis Episcopus homil. in Conceptionem S. Deiparæ affirmat, istud Festum esse *non novissime institutum*. Prodiit hæc homilia unacum aliis Georgii operibus Græce & Latine per Combefisium in Auctario novissimo Paris. 1648. Tom. I. a pag. 995. Hunc autem Georgium sub Heraclii Imperio, hoc est inter annum. 610.

num.610. & 640., floruisse, suasque homilias scripsisse, contendit idem Combefisius, eumque sequutus Christianus Lupus not. in S. Leonis IX. Concilium Moguntinum pag. 496. & alii post ipsum: at vero Caveus hist. Liter. tom. 1. pag. 396. affirmat, eum Photii familiarem fuisse, & ex magnæ Ecclesiæ Chartophylace ad Nicomediensem Archiepiscopatum evectum, claruisse circa ann. 880. ac proinde illum cum Georgio Piside, qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ item Chartophylax fuit, & circa annum 640. *Cosmopoëam*, seu Carmen Jambicum in Hexaëmeron a se scriptum, Sergio Patriarchæ Byzantino nuncupavit, sed Nicomediensis Archiepiscopus numquam fuit, perperam fuisse confusum. Quidquid tamen sit de hoc Georgio, certum est, saltem ante annum 880. Festum Conceptionis apud Græcos celebrari consuevisse; atque adeo ejus initia videntur ad tempora S. Joannis Damasceni extendi posse, hoc est, ad annum Chr. circiter 700. quum scilicet narratio illa de Deiparæ genealogia, Conceptione & Nativitate cœpit in vulgus tanti viri auctoritate fulta exire.

Atque hæc de Orientalibus. Ad Latinos quod spectat, quando apud ipsos hoc Festum cœperit, non plene constat. Exstat S. Anselmo tributa epistola cum hoc Procemio: „ Conceptio Venerandæ Dei Genitricis, quemadmodum per multa „ signorum experimenta in Anglia & in Francia, cæterisque „ climatibus mundi celebranda sit declarata, me narrantem „ audiat dilectio vestra. Factum in Anglia miraculum evenisse ait Ramesiensi Abbati Helsino (quem alii Elpinum, „ aut Hellinum vocant) Conquæstoris Regis Gulielmi ad Danos Legato circa ann. 1066. ideoque tunc Conceptæ Deiparæ festum ex Divino jussu fuisse in Anglia institutum. Refert „ & alias, ob quas in Francia & Aquilejensi Patriarchatu sit institutum idem festum, revelationes factas tempore Caroli „ Francorum Regis Illustrissimi „. Et quidem istum Franciæ Regem non fuisse Carolum magnum, evincit Romani Ordinis & Amularii Fortunati auctoritas. Etiam Adonis Viennensis, & Usuardi, & Wandelberti Martyrologia, & Moguntina S. Leonis IX. Papæ Synodus anno 1049. celebrata, & Aquensis Abbatum conventus, & Herardi Turonensis Archiepiscopi Capitula, licet omnia sui temporis festa enumerent, de Conceptionis festo non meminerunt. Quare de adducta S. Anselmi epistola re-

ćte ſcribit in ſuis ad Romanum Martyrologium notis Cardinalis Baronius : „ An Anſelmi ſit, a multis merito ducitur in con„ troverſiam, quum habeat multa, quæ eidem auctori repu„ gnent „. Hactenus Lupus in notis ad S. Leonis IX. Concilium Moguntinum pag. 496. Subjungit : „ Quidquid ſit, apud An„ glos antiquum eſt hoc feſtum. Etenim de ſextodecimo, qui „ ſub Henrici primi regno floruit, ſui ad ſanctum Albanum Mo„ naſterii IV. Abbate Gaufredo ſcribit Matthæus Pariſienſis : „ *Statuit Conceptionem B. Mariæ Virginis in cappis feſtive ce„ lebrari*. Non ipſum feſtum inſtituit, ſed jampridem inſtituto „ hanc ſolam addidit ſolemnitatem. Et ex hoc ſtatuto omnino „ prodiit ſupra laudatum colloquium Albanenſis Monachi cum „ Archiepiſcopo Armeniorum. Quare & veri ſpeciem ha„ bent hæc laudati Cardinalis Baronii verba : *ex quibus omni„ bus ſatis compertum habetur, ejuſmodi celebritatem in An„ glia primum celebrari cœptam*. Attamen ut vera ſint, iſta „ feſtivitas apud ipſos debet acquiſito per Guilielmum Nor„ mannum Regno eſſe vetuſtior. Hæc enim noſtra Synodus „ (*Moguntina ſub S. Leone IX.*) eſt longe vetuſtior, atque „ ita laudem hanc transferet in Germanos „. Paulo antea idem Lupus pag. 495. aliud hujus Synodi Decretum ex magno Belgii Chronico recitaverat in hæc verba : „ Synodus Moguntiæ ge„ neralis celebratur in præſentia S. Leonis Papæ & Henrici Im„ peratoris, in qua inter alia inſtituitur feſtum Conceptionis „ B. Mariæ Virginis „. Ac proinde, ſi hocce Decretum Synodi Moguntinæ verum eſſet ; ſequeretur, in Germania fuiſſe celebratum feſtum Conceptionis aliquot annis antequam in Anglia Abbati Rameſienſi revelaretur. Pergit Lupus pag. 497. „ Ut „ ut ſit, certum eſt feſtum hoc apud utramque gentem conſtan„ ter & dudum viguiſſe. De Germanis id non obſcure docet „ Chronicon Eccleſiæ Auguſtanæ. Et in in ſua Oxonienſi (an„ no 1188.) ſub Honorio III. celebrata Synodo ſtatuit Stepha„ nus Cantuarienſis Archiepiſcopus : *Omnia feſta B. Mariæ ſub „ omni veneratione ſerventur, præter feſtum Conceptionis, cu„ jus celebrationi non imponitur neceſſitas*. Eſſe voluit liberum „ in populo feſtum, uti in hac Diœceſi eſt feſtum S. Joſephi. At „ vero de ejus ad quarti decimi (*a*) ſeculi annum vigeſimum „ octavum ſucceſſore Simone ſcribit Thomas Monachus Wal„ ſingha-

a Imo, *tertii decimi*.

„ finghamensis: *Simon Archiepiscopus statuit de consensu Concilii, ut festum Conceptionis B. Mariæ solemniter celebretur*. „ Ex Anglia traductum est ad eidem Domino subjectam Normandiam. Ad duodecimi sæculi finem fuisse istic universale, „ apud Philippum Labbe ostendit Chronicon Ecclesiæ Rothomagensis [ad annum 1197.] Ex Normandia in Franciam venit, etiam in Primatialem Lugdunensem Ecclesiam, inductam „ variis rationibus, necnon & revelationibus, quæ an sint istæ „ ipsæ, quas refert adscripta S. Anselmo epistola, non possum „ affirmare. Quidquid sit, graviter hæc improbavit S. Bernardus, dictasque rationes ac revelationes acriter invasit per hasce ad Lugdunensem Ecclesiam literas [epist. 174.] „ Inter „ Ecclesias Galliæ constat profecto Lugdunensem hactenus præeminuisse, sicut dignitate Sedis, sic honestis studiis, & laudabilibus institutis. Ubi enim æque viguit disciplinæ censura, morum gravitas, maturitas consiliorum, auctoritatis „ pondus, antiquitatis insigne? Præsertim in Officiis Ecclesiasticis haud facile unquam repentinis visa est novitatibus acquiescere, nec se aliquando juvenili passa est decolorari levitate, „ Ecclesia plena judicii. Unde miramur satis, quod visum „ fuerit hoc tempore quibusdam vestrum, voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam ritus Ecclesiæ nescit, non probat ratio, nec commendat antiqua traditio. Nunquid Patribus doctiores, aut devotiores „ sumus? Periculose præsumimus, quidquid ipsorum in talibus prudentia præterivit. *Et infra*. Si sic videbatur, consulenda erat prius Apostolicæ Sedis authoritas, & non ita præcipitanter atque inconsulte paucorum sequenda simplicitas imperitorum. Et ante quidem apud aliquos errorem compereram; sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de simplici „ corde & amore Virginis veniebat. Verum apud sapientes, „ atque in famosa nobilique Ecclesia, & cujus specialiter filius „ sum, superstitione deprehensa, nescio an sine gravi offensa „ etiam vestri omnium, dissimulare potuerim. Quæ autem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis: Romanæ præsertim Ecclesiæ auctoritati atque examini totum hoc, „ sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo: ipsius, „ siquid aliter sapio, paratus judicio emendare „. Hactenus S. Bernardus. Concludit Lupus pag. 498. „ Ex quo lucet festum

„ stum hoc a Romana tunc Ecclesia necdum fuisse admissum.
„ Quin imo tria dumtaxat Deiparæ festa coli a Romana Eccle-
„ sia, dudum post, sub Urbani VI. Pontificatu, scripsit in libro
„ de observantia Canonum [cap. 12.] Radulphus Tungrensis.
„ Quis Romanus Pontifex admiserit, ignoro. Ipsum interim
„ & in Romana & in aliis Ecclesiis, & quidem *ex antiqua con-*
„ *suetudine*, suo tempore viguisse, affirmat, ideoque ad omnes
„ sub præcepto extendit Ecclesias, & largis Indulgentiis perpe-
„ tuo ornat Synodus Basileensis sess. 36. Longe amplius exalta-
„ vit Sixtus IV. addens Octavam, & istas ipsas Indulgentias,
„ quibus Dominici Corporis festivitatem honoravit Urbanus IV.
„ Attamen sine præcepto. Quod tandem omnibus ad Catholi-
„ cam Hispaniæ Monarchiam spectantibus populis, ob devotas
„ Philippi IV. Regis in sacram Virginem preces imposuit Ale-
„ xander VII. Et ejus in populo celebritatem, licet Innocen-
„ tius X. exstinxerit ob causas, multæ Ecclesiæ constanter reti-
„ nuerunt. Sancti Bernardi intercessio adeo non fuit efficax.
„ Nec tamen culpandus est ejus zelus. Nam quod etiam ad-
„ versus Dominicæ nativitatis festum, dum ipsum quarto prius
„ seculo admisit Antiochena Ecclesia, docti & graves viri inter-
„ cesserint, testatur S. Joannes Chrysostomus. Plura nova fe-
„ sta zelum istum sustinuerunt. Porro ad cujus preces, vel
„ ob quas rationes Leo Nonus hoc festum instituerit, igno-
„ ramus.

Hæc ex Lupo hactenus. Eadem antea scripserat Eminentissimus Baronius, affirmans, hoc Festum in Anglia celebrari cœptum paucis ante S. Anselmum annis, eique S. Anselmum favisse: postea in Franciam invectum, non sine contradictione S. Bernardi: demum accessisse Sanctæ Romanæ Ecclesiæ assensum atque Decretum: novissimeque sacrum Concilium Tridentinum, ac S. Pium V. Pontificem illud observandum esse firmasse. Porro expendenda sunt a nobis, quæ de Anglis, Gallis & Germanis circa hoc festum narrantur. & Primum quidem de Synodo Moguntina anno Chr. 1049. celebrata, ajo, nullam esse Belgii Chronico fidem habendam, dum in eo narratur, quod inter alia, in ipsa Synodo a S. Leone IX. instituta, *fit festivitas Conceptionis B. Mariæ Virginis*. Si enim hoc verum esset, Canonici Lugdunenses adversus sanctum Bernardum Synodi illius auctoritate sese defendissent, & Bernardus ipse, qui sexa-

sexaginta post annis obiit, non ausus fuisset festum Conceptionis, tamquam novam inductam celebritatem, traducere: Ecclesia etiam Romana ipsum festum usque ab eo anno celebrare cæpisset, sancti Leonis Noni auctoritati obsecundans. Itaque, ut conjicio, sequioris ævi scriptores quum accepissent, Festum ejusmodi jam in Anglia & Gallia celebrari cœptum, vel rumore vulgi decepti, vel in Germanorum gratiam, commenti sunt, illud ipsum festum ante Anglos & Gallos sub Leone IX. Papa anno Christi 1049. institutum fuisse. Simile factum legimus in apocryphis & commentitiis Chronicis, quæ sub nomine *Flavii Dextri*, *&* *Luitprandi Cremonensis Episcopi* conficta sunt: in quibus ad auram Hispanorum captandam augendamque gloriam, affirmatur, *Festum hoc in Hispania a S. Jacobo Apostolo institutum*: Quamquam Franciscus Biverus de isto articulo adeo erubuit, ut agi dicat non de Passivæ, sed de Activæ Conceptionis, seu Dominicæ intra immaculatum Virginis uterum Incarnationis festo.

Quod vero ad Anglos spectat; Theophilus Raynaudus ex manuscripto Codice monasterii Sancti Raguberti Jurensis edidit Epistolam seu sermonem *S. Anselmi de Conceptione B. Virginis Mariæ*: cujus initium: „ Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus, & Anglorum Pastor, Coëpiscopis suis, & omnibus „ B. Mariæ mysteria colentibus; salutem, & perpetuam in „ Christo benedictionem. Conceptio venerandæ Dei Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, dilectissimi Fratres, quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia & in Francia, cæterisque climatibus mundi celebranda sit declarata, „ me narrantem audiat dilectio vestra. Tempore namque illo, „ quo divinæ placuit pietati Anglorum gentem de malis suis „ corrigere, suæque servitutis officiis arctius adstringere; „ gloriosissimus Normannorum Dux Gulielmus eandem patriam „ debellando subegit „. Definit in hæc verba. „ Statuit autem idem festum (*sexto Idus Decembris*) in Cœnobio *Remessiensi* celebrari: & ipse quandiu vixit, devotis obsequiis „ celebravit. Et nos ergo, Fratres dilectissimi, si portum salutis volumus apprehendere, Dei Genitricis Conceptionem „ dignis obsequiis & officiis celebrabimus, ut ab ejus Filio digna mercede remuneremur „. Prodiit in novissima editione operum S. Anselmi Cantuariensis Archiepiscopi editione, opera

& stu-

& studio D. Gabrielis Gerberon Monachi Congregationis S. Mauri in secunda editione, Lutetiæ Parisiorum 1721. pag. 505. Eadem Epistola, manu exarata, exstat in nonnullis antiquis Breviariis, in modum Lectionum, inserta ad diem 8. Decembris; atque, ut alia Breviaria omittam, in Codice Membraneo, signato *lit. B.*, num 82. qui Codex servatur in Archivo Sacrosanctæ Basilicæ Vaticanæ, cui ego indignus Canonicus præsum, complectens *Breviarium Romanum*, Picturis & Sanctorum Imaginibus ornatus, circa annum Christi 1300. exaratus, quem una cum aliis permultis optimæ notæ Codicibus, eidem Sacrosanctæ Basilicæ Jordanus Ursinus S. R. E. Cardinalis anno Christi 1439. moriens ex Testamento reliquit. In hoc Codice habetur *Officium in Conceptione B. Virginis*: ubi depicta cernitur Deipara, puerum Jesum in ulnis gestans. In sex autem primis Lectionibus historia Festi narratur ex *Epistola S. Anselmi*, iisdem fere verbis ac supra. Incipit enim sic: „ Anselmus Cantuariensis Archiepiscopus & Pastor Anglorum, Coëpiscopis suis, cunctisque Orthodoxis, salutem perpetuam, & in Christo benedictionem. Conceptio veneranda Dei Genitricis, Virginis perpetuæ Beatæ Mariæ, dilectissimi fratres, quemadmodum & per multa signorum experimenta in Anglia & in Francia, cæterisque climatibus mundi celebranda sit declarata, me narrante audiat dilectio vestra „. Tempore namque illo. Cætera. Definit in sexta Lectione: „ Promitte, inquit ille, Domino & mihi, quia diem Conceptionis & Creationis Matris Domini nostri Jesu Christi, solemniter celebrari & celebrandam prædicabis. At ille prudentissimus. Et quis, inquit, dies in hoc festo celebrandus erit? Sexto, ait, Idus Decembris, hoc festum solemniter celebrandum tenebis „. Hactenus in Breviario Vaticano „. Cætera omissa sunt, quæ ex Raynaudo in editione operum S. Anselmi pag. 506. sequuntur. „ Et quo, inquit Abbas, officio utemur in Ecclesiastico obsequio? Omne, inquit, officium quod dicitur in ejus Nativitate, dicetur in Conceptione; excepto quod nomen Nativitatis mutabitur in nomen Conceptionis. His dictis ille disparuit: & dicto citius sedata tempestate, Abbas incolumis concito flatu applicuit litoribus Anglicanis: & quæ viderat & audierat, quibus potuit notificavit. Statuit autem idem festum in cœnobio celebrari, & ipse quandiu vixit, devotis obsequiis celebravit: *ut supra*.

Ex

Ex eodem fonte desumtæ sunt *quatuor Lectiones*, quæ habentur in festo Conceptionis Deiparæ, in Breviario Romano, quod olim ad Mathiam Corvinum Regem Hungariæ spectabat, nunc autem in Vaticana Bibliotheca servatur inter *Codices Urbinates* num. 112. manu exaratum picturisque elegantissimis exornatum anno Christi 1488. Ubi Lectiones quidem sunt universim IX. sed ultima Lectio ex Evangelio Matthæi, *Liber generationis Jesu Christi*, & Homilia S.Hieronymi Presbyteri: „ Quærat diligenter lector, & dicat: quum Joseph non sit pater „ Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum ordo deductus usque ad Joseph „ ? primæ autem octo Lectiones historiam Festi Conceptionis Deiparæ continent. Et in quatuor quidem prioribus, generatim de Conceptione Virginis differitur: quarum prima incipit pag. 352. „ Crescente religione Christiana, Dei filius, via, veritas & vita, qui revelat secreta, & „ producit in lucem abscondita secretorum, ad ædificationem „ Ecclesiæ, multa revelavit modernis temporibus, sanctis Viris, quæ in primitiva Ecclesia erant occultata, & incognita „ fidelibus Christianis. Quocirca quoniam dies Conceptionis „ B. Virginis ex secreto divini consilii per multa temporum curricula fuerat orthodoxis Christianis occultus, voluit eum Spiritus Sanctus speciali privilegio honorare, & congruis temporibus revelare „. In quinta autem Lectione, & sic deinceps usque ad octavam inclusive, narratur historia Conceptionis, iisdem fere verbis, ac supra in Epistola, ut dicitur, S. Anselmi. Incipit igitur Lectio v. pag. 353. „ Et ut revelationis hujus series eo videatur clarius, quo fuerit brevius explicata: contigit, quod quum Rex Danorum, audita morte „ Heraldi Regis Anglorum, quem Gulielmus Dux potentissimus Normannorum devicerat, venire contra dictum Ducem „ in Angliam properaret, ut eo expulso, illam terram suo dominio subjugaret; idem Dux Venerab. Abbatem Remessiensis monasterii, Elsinum nomine, ad partes Daciæ destinavit: „ ut ipse, prout erat providus, pacificus & discretus, adventum ipsius Regis adverteret, & pacem inter eos, prout posset, melius reformaret. Ad hæc autem Abbas Elsinus, acceptus Deo, & gratus hominibus, in Daciam profectus est: ac „ in conspectu dicti Regis tantam gratiam adinvenit, quod ad „ votum omnia, pro quibus missus fuerat, expediret „. Per-

git narrans, Abbatem illum volentem per mare ad propria remeare, quum navim conscendisset, in maris periculo constitutum, ac jam naufragio proximum, unacum nautis & sociis, ad Deum clamasse „ ac Beatam Virginem his verbis invocasse: o Ma-
„ ria Dei celsa, placa mare maris Stella, tuum natum interpel-
„ la, ne nos involvat procella, & tempestas obvia. Et tu Vir-
„ go Lux Solaris, quæ cunctis auxiliaris, quum devote invoca-
„ ris, trahe nos ad portum maris, pietatis gratia „. Quum igitur, inquit, sic orarent „ apparuit eis Angelus Pontificalibus
„ vestibus ornatus. Quem dictus Abbas videns juxta navem as-
„ sistere, sperans ex hujusmodi visione sibi a Deo subsidium ad-
„ venisse, ait intra se: Ad Dominum quum tribulater clamavi,
„ & exaudivit me; reducens ad memoriam, quod dicit alibi ve-
„ ritas per Prophetam: clamabunt ad me, & ego exaudiam eos.
„ Tunc Angelus devotionem ejus aspiciens, omnibus admiranti-
„ bus ait, dicens; o Abbas Elsine: Surge & mecum loquere. Ego
„ sum Angelus Domini missus ad te, ut annunciem tibi Conce-
„ ptionem Virginis benedictæ. Unde, si verbis meis credideris,
„ a præsenti periculo liberaberis, & ad propria prospere remea-
„ bis. Qui statim prompto animo respondit Dei nuncio, se com-
„ pleturum quicquid ei injunxerit & facturum. Ad quem Ange-
„ lus. Promitte igitur, devotissime Conceptionem Reginæ gloriæ
„ annuatim te colere, & solemniter celebrare. Ad hoc Abbas præ-
„ dictus semper devotissimus circa servitium B. Virginis & inten-
„ tus, interrogavit Angelum: & quando celebrabitur istud festum?
„ & Angelus ad eum: Sexto Idus Decembris festum istud cele-
„ brabis, & celebrandum aliis nunciabis. Ad quem Abbas: &
„ quo utar officio, quod conveniat huic festo? & Angelus ad
„ eum: officium quod in Nativitate ejus dicitur, & in Conce-
„ ptione dicetur, donec ab Ecclesia illud ordinetur. Et ubi
„ Nativitas in ejus Nativitate dicitur, Conceptio in hac celebri-
„ tate dicatur. Igitur vir Dei auditis verbis Angeli & plenius
„ intellectis, oravit & dixit: Gratias ago tibi, Domine Jesu
„ Christe, qui me servum tuum quamvis indignum dignatus es
„ per Angelum visitare, & Conceptionem Matris tuæ B. Mariæ
„ Virginis revelare: cujus Conceptionis diem promitto & vo-
„ veo tibi Domino Jesu Christo, sexto Idus Decembris perpe-
„ tuo colere & solemniter celebrare. Quibus sic promissis, An-
„ gelus disparuit, serenitas rediit, & tempestas omnino cessa-
„ vit.

„ vit. Tunc Vir Dei ait: Domine Deus virtutum, quis si„ milis tibi? potens es Domine, & veritas tua in circuitu „ tuo. Tu dominaris potestati maris, motum autem fluctuum „ ejus tu mitigas. Post hæc vero idem Abbas Elsinus vento „ prospero in Angliam profectus, quod promisit & vovit, „ devotus implevit. Nam dictum Festum, quoad vixit, so„ lemniter celebravit, & in Monasterio suo perpetuo cele„ brandum in Anglia ordinavit. Verum etiam in multis aliis „ locis & provinciis, ad honorem Dei Genitricis, & gloriam, „ venerabiliter colitur, & solemniter celebratur „. Hactenus in Codice Vaticano Urbinate. Eadem fere leguntur in alia narratione, quam ex MS. Codice Gemmeticensi 40. edidit Gerberonius in edit. operum S. Anselmi pag. 507. Incipit autem. „ Eo tempore quo Guillelmus Normannorum Dux po„ tentissimus prostrato Anglorum Rege Heraldo, ipsos Anglos „ bello strenue superando sibi subjecerat, quidam Abbas, Elsi„ nus nomine, in Ecclesia Apostolorum Petri & Pauli, Sancti„ que Augustini Anglorum Apostoli residebat: qua in Ecclesia „ ipsius Augustini cæterorumque Archiepiscoporum corpora sibi „ succedentium requiescunt. Hic itaque Elsinus certis ex cau„ sis in Ramesiensem Ecclesiam promotus, Domino Jesu Chri„ sto devotissime famulabatur, ejusque genitricem, servitium „ ejus faciendo, devotissime venerabatur. Contigit autem, ut „ Danorum Rex, audita Heraldi morte, Anglorumque subje„ ctione, venire in Angliam properaret, & suo eam dominio „ subjugare „. Cætera ut in Cod. Vat. Urbinate, excepto quod ibi pax dicitur per Elsinum inter Angliæ & Daniæ Reges conciliata; in hoc vero Codice Gemmeticensi de pace illa ne verbum quidem; quinimo Elsinus perhibetur cum classe Danorum in Angliam navigasse: „ Sed Rex Daciæ secum illum regre„ di permisit „. Quæ tamen omnia sunt certe ex priore illa, quam vocant, S. Anselmi epistola decerpta; & manifestum faciunt, Conceptionis Deiparæ festum in Anglia in Monasterio Ramesiensi primum fuisse celebratum circa annum 1066. quo Gulielmus Conquæstor Angliam suæ ditioni subjecit.

Quid vero de hac narratione, deque ea, quæ sub nomine Sancti Anselmi circumfertur Epistola, sentiendum sit, præter Eminentissimum Baronium loc. citato docet nos Editoris Operum Sancti Anselmi Gabrielis Gerberonii censura in dictam Epistolam.

ſtolam. Fictitiam enim eam eſſe demonſtratur primo, quia Inſcriptio illa non eſt Anſelmi: qui nuſquam in epiſtolis ſuis *Anglorum Paſtorem* ſe ipſum nuncupat. Secundo, Sanctus Anſelmus Coëpiſcopos non fuiſſet alloquutus his verbis: *Dilectiſſimi Fratres, dilectio veſtra*, abſque ulla dignitatis ac paternæ reverentiæ nota, quam in cæteris ſemper adhibuit. Tertio, quia Epiſtolæ non clauduntur his vocibus: „ Præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto filio ejus, qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat Deus per infinita ſecula ſeculorum. Amen.

Atque hæc quoad Sanctum Anſelmum. Ad veritatem vero narrationis quod attinet, commentitiam eſſe idem Gerberonius oſtendit. Nullus enim ex hiſtoriæ Anglicanæ Scriptoribus refert a Gulielmo Conquæſtore in Daniam miſſum Elſinum, qui, utrum claſſis, ut fama erat, in Angliam dirigenda pararetur, ſagaciter exploraret [aut, quod Breviarium in Codice Urbinate addit, pacem inter Angliæ & Daniæ Reges conciliaret.] Imo tradunt omnes, Gulielmum, ſtatim atque in Angliæ Regem ſacratus eſt, in Normanniam transfretaſſe, & aliquanto poſt Danorum potentiſſimam claſſem in Angliam irrupiſſe. Cum quibus profecto male cohæret iſtius Epiſtolæ ſive ſermonis narratio. Si enim Elſinus paratam claſſem renunciaſſet Gulielmo, vel ipſe ex Anglia in Normanniam non exiiſſet; vel ſaltem Dani Angliam eo imparato non invaſiſſent: [multo minus ea irruptio Danorum in Angliam contigiſſet, ſi pax, ut in Breviario legitur, inter utroſque Reges inita per Elſinum fuiſſet:] Præterea Elſinus, Anglice Ajegelſin, non fuit in Abbatem Rameſienſem electus, niſi anno 1080. uti habetur in Regeſto de Ramſey fol. 218. & nuſquam in Daniam tranſmigraſſe legitur. Fabula eſt igitur, Cœnobii Rameſienſis Abbatem Elſinum a Gulielmo I. accerſitum directumque fuiſſe in Daniam, ſtatim atque Angliam ſuæ ditioni ſubjecit, hoc eſt, anno 1066. Demum videtur Elſinus Abbas Rameſienſis confundi cum altero Elſino Abbate Sancti Auguſtini, quum dicitur in Codice Gemmeticenſi: „ Quidam Abbas, Elſinus nomine, in Eccleſia Apoſtolorum Petri & Pauli, Sanctique Auguſtini Anglorum Apoſtoli, reſidebat „. Et poſt pauca: „ Hic itaque Elſinus, certis ex cauſis in Rameſienſem Eccleſiam promotus „. Et quidem [ut ſcribit Gerberonius] Guillelmus Torne in Chronicis Abbatum Sancti Auguſtini Cantuar. ad annum 1059. inter cætera ſcribit, quod

quod ipso Elsino, & Stigando Archiepiscopo Cantuariensi ducibus, populus Cantiorum anno 1066. Guillelmo occurrerunt; & quod pacto inter eos fœdere Abbas iste in Daniam navigaverit, sed profugus, ut iram Guillelmi declinaret, non ut ejus Legatus aut Explorator; ut fingit fabula. Denique quod non solum non fuerit ad Ecclesiam Ramesiensem promotus, sed quod nusquam ex eo tempore comparuerit Egelsinus sive Elsinus iste: adeo ut in ejus locum Rex alium suffecerit nomine Scotlandum, cujus instantia, a Rege mandatum est, ea omnia bona Cœnobio Sancti Augustini restitui, quæ Abbas iste Egelsinus, quem Rex ipse in suo rescripto vocat fugitivum, vel concesserat, vel abripi permiserat. Non ergo is Elsinus est, qui a Rege in Daniam missus est, & cui re cum Danis facta in Angliam redeunti, facta sit præfata revelatio. Nec enim is fuit unquam Ramesiensis Cœnobii Abbas, nec ad Danos transivit, nisi profugus; unde nec uspiam reversus est. Huc accedit, quod hæc narratio tam varie descripta est, ut mendacio in incerto fluctuanti, quam veritati quæ sibi constet, propior sit. In ea, quam edidit Pater Yenez in Appendice tom. 7. Chron. Ord. Sancti Benedicti, narratur, quod *Sanctus Nicolaus* sit infulatus ille, qui Elsino naufraganti succurrit: in aliis autem editionibus, *Angelus Pontificali habitu indutus*. Alias diversas circumstantias jam indicavimus; adeo ut revelationem hanc factam Abbati in naufragio constituto Durandus Episcopus Mimatensis, qui anno 1296. Romæ obiit, lib. 7. de Divin. Offic. concludat, non esse authenticam nec approbandam.

Sed fictam hanc narrationem clarius apertiusque convincunt ea verba, quæ initio leguntur: „ Conceptio venerandæ „ Dei Genitricis perpetuæ Virginis Mariæ, dilectissimi Fratres, „ quemadmodum per multa signorum experimenta in Anglia & „ in Francia, cæterisque Climatibus mundi celebranda sit de- „ clarata, me narrantem audiat dilectio vestra „. Quo enim pacto „ in Francia cæterisque Climatibus mundi per multa si- „ gnorum experimenta jam declarata dicitur celebranda Dei- „ paræ Conceptio „, quæ primum in Anglia dumtaxat & in Cœnobio Ramesiensi celebrata ibidem narratur circa ann. 1070. utpote Elsino revelata, ex Dania in Angliam redeunti tunc, quum in Anglia Gulielmus Primus Regnum iniisset, eademque a Sancto Anselmo, uti etiam dicitur, per epistolam tunc primum

mum Coëpiscopis suis & reliquis fidelibus patefacta? Quomodo temporibus Sancti Anselmi, qui anno Chr. 1109. undecimo Kal. Maji obiit, ut *in Anglia & in Francia cæterisque Climatibus mundi* celebraretur, indicta perhibetur, quæ quum primum circa annum 1140. a Canonicis Lugdunensibus celebrari in Francia cœpta est, subindignantem nacta est S. Bernardum Abbatem, quod novam inducerent celebritatem?

Hæc igitur, & alia, quæ brevitatis gratia omittimus, argumenta, satis declarant, quo primum tempore & a quibus ea narratio excogitata sit, quæ sub nomine Sancti Anselmi venditatur. Nimirum iisdem ipsis temporibus, quibus Sanctus Bernardus Canonicos Lugdunenses ob noviter celebratam in Ecclesia Lugdunensi Conceptionis Deiparæ Solemnitatem redarguit. Sciebant namque Canonici Lugdunenses justam esse æquamque Sancti Bernardi reprehensionem, ipsos redarguentis, quod novum Festum induxissent. Ut igitur ab hac reprehensione sese expedirent, epistolam illam sub nomine Sancti Anselmi confinxere, in qua ex divina revelatione Abbati Elsino facta solemnitas Conceptionis in Angliæ Monasteriis celebrata dicitur, eademque a Sancto Anselmo probata, omnibusque Episcopis per universum terrarum orbem patefacta. Id enim sibi volunt, ni fallor, ea verba: „ Quemadmodum per multa signorum experi„ menta in Anglia, & in Francia cæterisque Climatibus mundi „ celebranda sit declarata. „ Fateor, ab Auctoribus communiter affirmari eam celebritatem prius fuisse cultam in Anglia, quam in Francia: fateor etiam, genuina documenta proferri, quæ testantur, Sanctum Anselmum eidem festivitati consensisse. Matthæus enim Parisiensis ad annum 1228. narrat, Archiepiscopum quendam Armenum in Angliam profectum, circa festum Conceptionis Deiparæ fuisse interrogatum, an apud Armenios perageretur: „ Interrogatus [inquit] inter loquendum ab uno, „ qui fuit ei assidens Collateralis, Monacho, si in partibus suis „ Conceptio Beatæ Mariæ celebraretur; respondit: celebratur: „ & hæc est ratio, quia Angelo nunciante Joachim dolenti, & „ desertum tunc inhabitanti, ipsa Conceptio facta est. Simili„ ter & Conceptio Beati Joannis Baptistæ simili ratione. De „ Conceptione autem Domini, quæ facta est Angelo annun„ ciante Mariæ, quæ concepit ex Spiritu Sancto, nulli Fide„ lium venit in dubium „: quæ interrogatio manifestum facit, jam

jam antea id festum in Anglia celebratum, etsi non in omnibus Ecclesiis, nec sine nonnullorum contradictione, uti recte advertit Thomassinus *de Festis lib. 2. cap. 5. num. 4.*; sed clarius de Anselmo loquuntur Patres Concilii Londinensis, celebrati anno Christi 1328. inter Concilia Angliæ tom. 2. pag. 494. „ Venerabilis Anselmi Prædecessoris nostri, qui, post alia quædam „ antiquiora solemnia, Conceptionis solemne superaddere di- „ gnum duxit, vestigiis inhærentes, statuimus & firmiter præ- „ cipiendo mandamus, quatenus Festum Conceptionis prædi- „ ctæ in cunctis Ecclesiis nostris Cantuariensis provinciæ festive „ & solemniter de cætero celebretur „. Quo Concilii Londinensis testimonio ajunt satis aperte demonstrari, a temporibus Sancti Anselmi Festum Conceptionis Deiparæ, si non in tota Anglia, saltem in Ecclesia Cantuariensi, celebratum fuisse, adeoque quadraginta & amplius annis, antequam ad Lugdunensem manaret Ecclesiam. Fateor demum a doctis viris hoc probari, & quod ea revelatio Elsino Abbati facta sit, & quod illa narratio genuinum Sancti Anselmi Opus dicatur. Hinc Christianus Lupus notis in Concilium Moguntinum sub Leone IX. tom. 3. antiquæ editionis pag. 497. „ An Anselmi sit, a multis merito du- „ citur in controversiam; quum habeat multa, quæ eidem Au- „ thori repugnant „: quæ Lupi verba sunt ex Baronio in notis ad 8. Decembris desumpta, ubi ait: „ Ex quibus omnibus sa- „ tis compertum habetur, ejusmodi celebritatem in Anglia pri- „ mum celebrari cœptam, eidemque favisse Sanctum An- „ selmum, qui & de Conceptione Commentarium scripsisse „ fertur: sed an ejus sit, a multis merito ducitur in con- „ troversiam, quum habeat multa, quæ eidem auctori repu- „ gnent.

Verum ibi Baronius non loquitur de laudata Epistola sive narratione; sed de Commentario, qui sub Anselmi nomine circumfertur, hoc titulo inscriptus: „ Tractatus de Conceptione „ Beatæ Mariæ Virginis. Incipit: Principium, quo salus mun- „ di processit, mihi considerare volenti, occurrit hodierna „ festivitas, quæ Conceptione Beatæ Matris Dei Mariæ multis „ in locis festiva redditur. Et quidem priscis temporibus fre- „ quentiori usu celebrabatur, ab eis præcipue, in quibus pura „ simplicitas & humilior in Deum vigebat devotio. At ubi & „ major scientia & præpollens examinatio rerum, mentes quo- „ rum-

„ rumdam imbuit & erexit; eamdem solemnitatem, spreta „ pauperum simplicitate, de medio sustulit, & eam quasi ratio„ ne vacantem, redegit in nihilum „. Hujusce Tractatus fragmenta cum hac epigraphe „ De Conceptu Virginali passivo „ primus ediderat P. Raynaudus, contendens Sancti Anselmi genuinum opus esse. Integrum postea edidit ex MSS. Codicibus Cluniacensi & Corbejensi, Gabriel Gerberonius inter opera Anselmi pag. 499. ubi notat, in Codice Cluniacensi nomen Anselmi præferri sic: *Tractatus B. Anselmi de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis*. At vero falsam esse Inscriptionem, idem Gerberonius ostendit in censura in eundem Tractatum, cujus argumenta ibi vide. Quo autem tempore, & quo auctore id operis lucem viderit, & quam absurde ad Sanctum Anselmum referatur, idem Gerberonius declarat his verbis. „ Ipse quoque „ Tractatus hic suæ integritati ac puritati jam redditus, se non „ nisi post Anselmi tempora editum protestatur. Etenim ab ipso „ sermonis exordio declaratur, 1. Quod multis in locis jam tum „ festiva erat Solemnitas Conceptionis Beatæ Mariæ. 2. Quod „ priscis temporibus frequentiori usu celebraretur, dum pura „ simplicitas vigebat. 3. Quod perspicacia & examinatio quo„ rumdam, qui seculari, & Ecclesiastica auctoritate, divitia„ rumque abundantia præeminebant, hanc Solemnitatem quasi „ ratione vacantem de medio sustulerit & redegerit in nihilum. „ 4. Quod caritas simplicium de tantæ Festivitatis abolitione „ tum gemeret „. At ista [inquit Gerberonius] cum Anselmi ætate stare nequeunt: sicut nec commentum illud, quo ista Festivitas dicitur ab Anselmo instituta, dum Lugduni moraretur. Quandoquidem de iis plane siluit Edmerus, qui singula vel minutissima, quæ Lugduni ab Anselmo gesta sunt, accuratissime describit tam in libris de ejus vita, quam in historia novorum. Nec ullus de istius Festivitatis institutione aut abolitione eo tempore scripsit, quum tamen hujusce ætatis gesta tot Scriptores nobis tradiderint. Denique qui dici potest priscis temporibus instituta Festivitas, prævalente, contra charitatem simplicium, auctoritate quorundam qui Ecclesiastica dignitate præeminebant, abolita esse ipsa ætate Anselmi, qui post priorem suum è Civitate Lugdunensi [ubi ab eo instituta fertur] reditum, vix decem annos impleverit? Non ergo Anselmi, sed Bernardi ætas hæc tulit. Ea siquidem tempestate, videlicet circa ann. 1140., Lugdu-

Lugdunensis Ecclesia festivam recolere voluit Beatæ Virginis Conceptionem: quod quum S. Bernardus & plures alii minus æque ferrent, graves inde controversiæ motæ sunt, iis contendentibus, 1. Quod nulla esset hanc Conceptionem specialiter recolendi ratio. 2. Quod, si ante Christi partum Beata Virgo decessisset, originalis peccati sortem non evasisset, ut refert ipse Auctor hujusce libri: his autem subindicari præ cæteris ac redargui videtur Potho Prumiensis, qui anno 1151. in lib. 3. de Statu Domus Dei (tom. 12. Part. 1. Biblioth. Patrum) sub finem ait, maxime absurdum videri, quod Festum Conceptionis Sanctæ Mariæ fuerit de novo inductum, nec tamen se devotioni Fidelium derogare, si hujus festivitatis rationem quærat. Ubi Potho sensum ac verba profert Sancti Bernardi in epist. 174. ad Canonicos Lugdunenses. Quum autem in ea epistola S. Bernardus dicat se jam antequam eam scriberet, hunc [verba ejus sunt] errorem apud aliquos comperisse; sed dissimulando pepercisse simplicium devotioni, quem iniquiori animo tulit in sapientibus viris, & in insigni Ecclesia; ex his fit manifestum, 1. Hoc Sancti Bernardi tempore, qui post Anselmum floruit, aliquos dumtaxat simpliciores, de quibus in præfato Tractatu dictum est, Beatæ Mariæ Conceptionem fuisse veneratos. 2. Necdum publice, ac solemniter ab Ecclesiis [videlicet Galliæ & Angliæ] recoli solitam. 3. Et proinde hanc festivitatem ab Ecclesia Lugdunensi non ex Anselmi instituto, nec ejus ætate fuisse celebratam: quum S. Bernardus illius Ecclesiæ Canonicos hujus celebritatis redarguerit, statim atque eam deprehendit: *Superstitione*, inquit, *deprehensa &c.* Eam autem non ignorasset, si ab Anselmi temporibus esset instituta in ea Ecclesia, cujus ipse, ut ibi ait, specialiter erat filius. Quum ergo hæc, quæ in eo Tractatu de festivitatis illius institutione & abolitione scripta legimus, Sancti Anselmi temporibus minime congruant; Tractatus hic non ab Anselmo, sed ab alio recentiore compositus est.

Hactenus Gerberonius, verissime quidem, quod ad Tractatum illum Anselmo abjudicandum spectat. Verum ego his adjungo meam conjecturam de ejusdem Tractatus auctore, atque ætate. Ajo itaque, unum eundemque esse istius Tractatus, ac antedictæ Epistolæ sive historiæ de Conceptione B. Virginis Mariæ auctorem; unum idemque tempus: nisi quod in historia quidem, narratur seu potius confingitur *miraculum* de

prima illius Festi institutione sub Gulielmo I. ejusque probatione facta a S. Anselmo; in hoc vero Tractatu, sub nomine ejusdem Anselmi, respondetur iis, qui Festo Conceptionis contradicebant: idque totum paulo post editam illam a S. Bernardo epistolam contra Canonicos Lugdunenses, Festum Conceptionis noviter celebrantes, contigisse. Patet hoc ex ipsis argumentis, quæ in isto Tractatu proferuntur: in quibus S. Bernardi epistola manifeste sugillatur, dum in exordio dicitur, quod priscis temporibus Festum Conceptionis, frequentiori usu celebrabatur, quum pura simplicitas vigebat; & quod perspicacia & examinatio quorumdam, qui seculari & Ecclesiastica auctoritate præeminebant, hanc solemnitatem, quasi ratione carentem, de medio sustulit & in nihilum redegit. Verum, auctor istius Tractatus (qui certe circa annum 1145. scripsit contra epistolam S. Bernardi pro Canonicis Lugdunensibus) omnia miscet, suique ipsius immemor, nugatur „ multis in locis jam tum festivam „ fuisse solemnitatem Conceptionis B. Mariæ, eamque priscis „ etiam temporibus frequentiori usu a simplicioribus viris cele„ bratam „: nugatur, inquam, quum hoc asserit, qui in historia ipsius Festi scripserat, illud in Angliæ Monasterio Ramesiensi ex divina revelatione Elsino Abbati facta circa annum 1066. primum fuisse institutum. Si eo anno primum fuit institutum, quomodo Anselmum, qui obiit anno 1109., inducit scribentem, ipsum Festum *a priscis temporibus frequentiori usu celebratum*? Si ab ipso Anselmo ea solemnitas (uti in epistola fertur) omnibus Episcopis & Christi fidelibus patefacta, & in Ecclesia Cantuariensi Anglicanarum omnium prima, instituta & sine contradictione celebrata; quomodo in hoc Tractatu asseritur, quod eandem solemnitatem, spreta pauperum simplicitate, major scientia & præpollens quorundam examinatio, de medio sustulit, & quasi ratione carentem, ad nihilum redegit? Quinam, quæso, temporibus S. Anselmi, in Anglia exstitere præpollentes Ecclesiastica & seculari auctoritate atque opibus homines, qui Festum illud, Rege Gulielmo approbante, Archiepiscopo Cantuariensi consentiente, divina revelatione institutum, de medio tollendum contenderent? Quis historicus de controversia illa apud Anglos aut Gallos sub S. Anselmo excitata, verbum ullum fecit? Certum est itaque tam Epistolam, quam Tractatum istum ad ea dumtaxat tempora referri, quibus S. Ber-
nar-

nardus Canonicos Lugdunenſes reprehendit, quod feſtum Conceptionis Deiparæ noviter celebrarent. Ac proinde aſſentiri iis nequeo, qui illud feſtum Anſelmi temporibus in Anglia primum fuiſſe inſtitutum ſcribunt: deceptos nimirum affirmo, qui hæc de Anglis ajunt, tum illius Epiſtolæ, tum hujus Tractatus de Conceptione B. Mariæ teſtimonio, id ad Anglos retuliſſe, quod primum a Gallis in Eccleſia Lugdunenſi circa annum 1140. celebrari cœptum eſt.

Neque mirum videri debet, quod ſub nomine S. Anſelmi, utrumque illud opuſculum confictum ſit ea occaſione, qua S. Bernardus inductam a Canonicis Lugdunenſibus Conceptionis ſolemnitatem redarguit. Aliud inſuper ei epiſtolæ ſubjungitur falſo Anſelmi nomine, ut antiquitas ejus Feſti demonſtraretur. Recitatur a Gerberonio inter opera S. Anſelmi pag. 506. in hæc verba. „ Rurſum hæc ſolemnitas alibi alio modo declaratur. Tempore namque Caroli Regis Francorum illuſtriſſimi, Clericus quidam ordine Diaconus, Ungariæ Regis germanus, Matrem Jeſu toto corde diligens, ejus Horas ſollicite decantabat. Parentum autem ſuorum conſilio nubere volens cum quadam adoleſcentula valde pulcherrima, accepta a Presbytero nuptiali benedictione, quadam die, Miſſa etiam celebrata, recordatus, quod ejuſdem Beatiſſimæ Virginis Horas illa die juxta morem ſolitum non cantaverat, ſponſam domum mittens, omnes ab Eccleſia exire coëgit, & ipſe juxta Altare Virginis ſolus remanſit. Quumque Horas Dominicæ Matris decantaret, & hanc Antiphonam, *Pulchra es, & decora filia Jeruſalem*, diceret, ſubito apparuit ei Virgo Maria cum duobus Angelis, dextram ejus manum & lævam tenentibus, dicens ei: Si ego ſum pulchra & decora, quid eſt, quod dimittis me, & ſponſam aliam accipis? numquid ego ſum optime formoſa? Numquid ego ſum pulchrior illa? Ubi vidiſti tam pulchram? Cui ille ſtupefactus ait: Domina mea dulciſſima, claritudo tua omnem mundi pulcritudinem excellit. Quid vis, Domina, ut faciam? Ait illa: Si ſponſam carnalem, cui adhærere vis, amore mei dimiſeris, me ſponſam in cœleſti Regno habebis: Et, ſi Conceptionis meæ feſtum annuatim 6. Idus Decembris ſolemniter celebraveris, & celebrandum prædicaveris; mecum in Regno Filii mei laureatus eris. His dictis B. Virgo diſparuit; Clericus vero do-

„ mum adire renuit, & absque parentum suorum consilio, ad „ Abbatiam quamdam extra patriam illam perrexit, & ibidem „ Monachali habitu decoratus, & post tempus exiguum meritis „ B. Mariæ semper Virginis, quæ quidem diligentes se decorat semper & beatificat, Aquilejæ Episcopus Patriarcha factus, Conceptionis B. Virginis die præfato, quandiu vixit, „ annuatim cum propriis octavis diligenter celebravit, & ubique celebrandum prædicavit „. Quid de hac narratione Gerberonius? In sua censura hæc habet. „ Non magis veri „ speciem habet quod de quodam Diacono Hungariæ Regis „ germano narratur. Hunc (a) volunt esse Fridericum quadragesimum tertium Aquilejensis Ecclesiæ Patriarcham, quem „ Caroli Calvi filium, & Monachum Fuldensem fingunt, deinde ab eo in Archiepiscopum assumpto institutam fuisse hanc „ festivitatem. Ughellus in tom. 5. Italiæ sacræ, quæ Romæ „ edita est, hanc fabulam rejicit & confutat ex eo, quod iste „ Archiepiscopus inter Caroli filios non recenseatur in stemmate Carolingorum: neque in Epitaphio, quod ejus sepulcro „ incisum est, ulla de iis habeatur mentio: nec de eo Christophorus Browerus ullam mentionem habet in libro Antiquitatum Fuldensium, ubi de præstantia, doctrina & pietate illustrium Fuldensium Monachorum diserte agit. Denique nullus scitur Aquilejensis Patriarcha fuisse Regis Hungariæ germanus. Nec de festivitate recens inducta Bernardus, Potho, „ & alii circa annum 1140. causati fuissent, si in Italiæ sede Patriarchali ab anno 884. quo iste Aquilejensis Archiepiscopus „ electus est, vel paulo post, cum Octavis fuisset celebrata „. Hæc Gerberonius. At ego lupum, ut ajunt, aure teneo. Fabulam hanc esse, quis non videt, quum legit „ Diaconum Latini ritus, parentum suorum consilio, nupsisse cum quadam „ adolescentula, accepta a Presbytero nuptiali benedictione „? Si Græci, apud quos Presbyter & Diaconus, ductam ante Diaconatum uxorem retinere fas est, hoc non faciunt, ut post ordinationem uxorem ducant; quomodo (S. Anselmo narrante & probante:) religiosus ille piusque Diaconus Latinus, post ordinationem, accepta a Presbytero nuptiali benedictione, uxorem ducit? eique Deipara apparens, tamquam Græci Latinique ritus prorsus ignara, non nuptias contractas exprobrat, sed solum mo-

a Wion lib. 2. Ligni vitæ.

monet, dicens; „ Si ego pulchra sum & decora, quid est quod „ dimittis me, & sponsam aliam accipis „ ? Sponsam vocans, non concubinam? Apage has fabulas: quæ eodem, ut ex contextu patet, tempore eodemque auctore excogitatæ sunt, quo Tractatus de Conceptione Deiparæ, Anselmo affictus. Etenim non sufficere existimavit male feriatus auctor, miraculum confinxisse de prima Conceptionis institutione in Monasterio Angliæ facta perque Anselmum probata; sed, quia in illo Tractatu dixerat „ Festum Conceptionis priscis temporibus frequentiori „ usu fuisse celebratum; (id quod in prima illa conficta historia non ostendebatur;) opus fuit fabulam fabulis adjungere de hoc Festo jam pridem circa annum 884. in Aquilejensi Ecclesia instituto; & quidem a Diacono, qui uxorem duxerat accepta benedictione Presbyterali, quique postea dimissa uxore, Monachus factus, ac demum Patriarcha Aquilejensis electus fit.

Diaconum cum uxore vidimus in scena productum. Videamus nunc Presbyterum adulterio & sacrilegio inquinatum, quo prædicante, dicitur Festum Conceptionis in Gallia antea celebratum, quam in Anglia. Narratio hæc, seu potius putidissima fabula, subjungitur sub Anselmi nomine, eidem Epistolæ apud Gerberonium p.526.„Aliud etiam miraculum hujus festivi- „ tatis alibi divina inspirante gratia a nobis declaratur. In pe- „ lago Gallico Canonicus quidam, ordine Sacerdos, solitus „ B. Mariæ Virginis Horas Canonicas decantare, a villa qua- „ dam, ubi cum uxore alterius fornicatus fuerat, rediens, ad „ oppidum in quo morabatur, tendere curans, & pelagus Se- „ quanæ transmeare cupiens, solus navem ingressus, Domi- „ nicæ Matris Horas navigando canere cœpit. Cumque Invi- „ tatorium, *Ave Maria gratia plena, Dominus tecum*, dice- „ ret, & jam in medio fluminis esset; ecce turba magna Dæmo- „ num in profundo pelagi unacum ejus navicula cum præcipita- „ vit, & ejus animam rapuit ad tormenta. Die autem tertia „ locum, quo Dæmones eum tormentis afficiebant, venit Ma- „ ter Jesu cum magna Angelorum societate, dicens eis: Ut „ quid animam famuli nostri ita injuste affligitis? nos, inquiunt, „ eam debemus habere, & merito; quoniam in nostris operi- „ bus capta est. Quibus Mater Jesu: Si illius debet esse, cujus „ opera faciebat, ergo nostra debet esse, quoniam Matutinas

„ no-

„ nostras, dum vos eum peremistis, decantabat: unde magis „ rei estis, qui inique contra me egistis. His dictis Dæmones „ huc illucque dispersi fugerunt, & B. Maria animam reduxit „ ad corpus, & hominem ab utroque funere suscitatum per bra- „ chium arripiens, aquam a dextris & a sinistris quasi murum „ stare jubens, de profundo pelagi ad portum incolumem re- „ duxit. At ille gaudens, pedibus B. Virginis prostratus ait: „ Charissima Domina mea, & Virgo speciosa Christo gratissi- „ ma, quid tibi tribuam pro tantis beneficiis quæ mihi fecisti? „ liberasti me de ore leonis & de tormentis inferni gravissimis „ animam meam. Cui Mater Jesu ait: Precor te, ne de cæ- „ tero in adulterii peccatum cadas; ne fiat tibi novissimus er- „ ror pejor priore. Precor te iterum, ut de cætero festum „ Conceptionis meæ devote celebres annuatim 6. Idus Decem- „ bris, & ubique celebrandum prædices. Mox ut id dixit „ B. Virgo Maria, eo cernente cælos ascendit, & ipse eremiti- „ cam vitam ducens, quod sibi acciderat, cunctis audire vo- „ lentibus narravit; & postea quandiu vixit, illud Festum „ Conceptionis solemniter & devote celebravit, & celebran- „ dum prædicavit „. Pergit fabulator: „ & nos fratres caris- „ simi, nostra Archiepiscopali auctoritate corroboramus atque „ præcipimus, ut nullus nostrum ita sit rebus temporalibus aut „ propriis delictis desperatus, quin B. Mariæ Virginis Conce- „ ptionem celebret annuatim. Sicut enim in Sancta Ecclesia ejus „ extollitur Nativitas, ita debet ejus extolli Conceptio; nisi „ enim conciperetur, nunquam nasceretur „. Cætera. Gerberonius ad hanc fabulam: „ Impœnitentiæ finali (inquit) „ quæ illud peccatum est, quod neque in futuro seculo remitte- „ tur, nimium favet tertia hujusce epistolæ narratio: & scri- „ pturæ dicenti, quod ubi arbor ceciderit, ibi manebit, Ec- „ clesiæque profitenti, quod in inferno nulla est redemptio, „ nimis repugnat, ut fidem mereatur. Hæc autem ratio, quod „ ideo extolli debeat B. Mariæ Conceptio, sicut & ejus Nativi- „ tas, quia nisi illa conciperetur, non nasceretur; a S. Bernar- „ do refertur ac refellitur: quod argumento est, fabulam „ hanc ea ætate fuisse confictam.

Hæc igitur omnia evidenter (ut opinor) demonstrant, non modo hasce tractationes non esse S. Anselmi, sed neque verum esse, Festum Conceptionis B. Mariæ Virginis in Anglia fuisse ejus-

ejusdem Anselmi temporibus celebratum: quidquid dicant Patres Concilii Londinensis anno Christi 1328. celebrati, affirmantes,, S. Anselmum post alia quædam antiquiora solemnia, ,, Conceptionis solemne superaddere dignum duxisse ,, . Nam Patres illos, verosimile est, epistola illa & Tractatu, Anselmo tributis, deceptos id affirmasse, quod revera Anselmus neque probavit, neque rejecit; imo quod Anselmi tempore neque in Francia institutum fuerat. Hoc siquidem patet ex eo, quod illius Festi in Anglia vel in Francia ante exortam illam S. Bernardi cum Canonicis Lugdunensibus controversiam, nemo unus scriptorum meminit; & Canonici quidem Lugdunenses exemplo Anglorum se se defendissent, si Festum Conceptionis antea in Anglia celebratum fuisset; sed neque id ignorasset S. Bernardus, neque tamquam rem novam ab Ecclesia Lugdunensi inductam reprehendisset. Idem confirmant Interrogationes illæ Armenio Archiepiscopo in Anglia factæ circa Festum Conceptionis anno circiter Chr. 1228. nam, etsi ex iis colligitur, ut supra dicebam, id Festum ante eum annum jam in Anglia celebratum; attamen non in omnibus Angliæ Ecclesiis, nec sine nonnullorum contradictione: quæ contradictio locum utique non habuisset, si indubiis documentis constaret, jam ab anno 1066. illud Festum a Deipara revelatum, in Monasterio Ramesiensi & aliis celebratum, & ab Anselmo denique Angliæ Primate paulo post probatum.

Restat itaque dicendum, non Anglos, sed Gallos fuisse, qui temporibus S. Bernardi, hoc est, circa annum 1140. Conceptionem Deiparæ solemni ritu celebrare cœperunt. Id constat ex Epistola 174. in qua S. Bernardus ad Canonicos Lugdunenses scribens, illud Festum traducit, tamquam novum, Patribus ignotum, a ritu Ecclesiastico abhorrens: ,, Unde miramur, inquit, satis, quod visum fuerit hoc tempore ,, quibusdam vestrum, voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam Ritus Ecclesiasticus nescit, non probat ratio, non commendat antiqua traditio. Subjungit, se hactenus siluisse, quum videret a nonnullis simplicibus idem festum celebrari; sed silentium abrumpere se coactum, quum cerneret, eum morem in Lugdunensem nobilem Ecclesiam inductum absque sedis Apostolicæ permissu. Verba ejus hæc sunt. ,, Nam, si sic videbatur, consulenda erat prius ,, Apo-

„ Apostolicæ Sedis authoritas, & non ita præcipitanter atque „ inconsulte, paucorum sequenda simplicitas imperitorum „. An pauci dicendi essent & imperiti Angli cum S. Anselmo, si in Anglia id festum jam fuisset inductum, & ab Anselmo Angliæ Primate probatum? Igitur quum paucos & imperitos dicit, intelligit S. Bernardus non Anglicanas quasdam Ecclesias, neque Gallicanas (ut nonnulli volunt) sed paucos & imperitos in Gallia privatos homines, qui Festum illud colebant absque Episcoporum auctoritate, & Sede Apostolica inconsulta. Pergit S. Bernardus. „ Et ante quidem apud aliquos errorem compe„ reram; sed dissimulabam, parcens devotioni, quæ de sim„ plici corde & amore Virginis veniebat. Verum apud sapien„ tes, atque in famosa nobilique Ecclesia, & cujus specialiter „ filius sum, superstitione deprehensa, nescio, an sine gravi „ offensa etiam vestri omnium dissimulare potuerim. Quæ au„ tem dixi, absque præjudicio sane dicta sint sanius sapientis: „ Romanæ præsertim Ecclesiæ authoritati atque examini totum „ hoc, sicut & cætera, quæ ejusmodi sunt, universa reservo, „ ipsius, siquid aliter sapio, paratus judicio emendare „. Hæc S. Bernardus, qui tamen efficere nequivit, ut Galli a Festo Conceptionis celebrando desisterent: neque enim legitur, Canonicos illos Apostolicam Sedem ea de re consuluisse, neque ab eo festo celebrando abstinuisse: quinimo Lugdunensium exemplo, ad alias etiam Ecclesias Festum hujusmodi manavit, & ad ipsam etiam Ecclesiarum Matrem Romanam pervasit, in qua primum quidem nonnulli privatim illud celebrabant, postea vero, ipsa Sede Apostolica probante, in Ritum Ecclesiasticum inductum est. S. Bonaventura, S. R. E. Cardinalis Episcopus Albanensis, & Ecclesiæ Doctor, qui anno Chr. 1274. obiit, videtur innuere, etiam Romæ a nonnullis per eam ætatem celebratum fuisse: sic enim scribit in lib. 3. Sentent. dist. 3. quæst. 1. pag. 34. (edit. Venet. anni 1580.) „ Nullius Conceptionis so„ lemnitatem celebrat Ecclesia, nisi solius Filii Dei in Annun„ ciatione B. Mariæ Virginis. Sunt tamen aliqui, qui ex speciali „ devotione celebrant Conceptionem B. Virginis, quos nec „ omnino laudare, nec simpliciter audeo reprehendere. Non „ omnino approbare audeo, pro eo quod Sancti Patres, qui „ alias solemnitates Virginis, Spiritu Sancto docente, statue„ runt, qui etiam magni amatores & veneratores B. Virginis „ fue-

„ fuerunt, Conceptionem Virginis solemnizare non docuerunt:
„ &c. Non etiam audeo omnino reprehendere; quia, ut qui-
„ dam dicunt, hæc solemnitas celebrari non cœpit humana in-
„ ventione, sed divina revelatione: (*alludit utique ad ante-*
„ *dictam Epistolam jam tum sub nomine S. Anselmi ambulan-*
„ *tem*) quod si verum est, sine dubio bonum est solemnizare
„ in ejus Conceptione; sed quia hoc authenticum non est, non
„ compellimur credere; quia etiam contra Fidem rectam non
„ est, non compellimur negare „. Hæc tamen S. Bonaventuræ verba quum possint intelligi de festo Conceptionis alibi, non Romæ celebrato; idcirco ad alia argumenta procedimus, quibus demonstretur, Romæ etiam celebratum olim ejusmodi Festum. Alvarus Pelagius, qui anno Chr. 1340. decessit, testatur concionem Romæ se habuisse in Ecclesia S. Mariæ Majoris in die festo Conceptionis B. Virginis, quod Festum non Conceptionis ipse vocat, sed *Sanctificationis*; sequutus videlicet doctrinam S. Bonaventuræ, loco cit. sic scribentis: „ Potest etiam esse,
„ quod illa solemnitas potius refertur ad diem Sanctificationis,
„ quam Conceptionis „. Vide Bailletum in historia hujus Festi, ubi de Alvari Pelagii concione loquitur, narratque, Joannem Bacconem Carmelitam, qui anno 1350. obiit, testari, in Ecclesiis sui Ordinis id Festum singulis annis celebrari consuevisse: id quod & Gavantus notat Sect. 7. cap. 2. num. 8. de Festis mensis Decembris. Quamobrem Patres Concilii Basileensis anno 1439. Sess. 36. doctrinam de Immaculata B. Virginis Conceptione probantes, illam jam cultu Ecclesiastico celebratam supponunt, his verbis: „ Doctrinam illam asserentem, gloriosam Virginem Dei Genitricem Mariam, præveniente & operante Divini Numinis gratia singulari, nunquam actualiter subjacuisse peccato originali, sed immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa; tamquam piam & consonam cultui Ecclesiastico, Fidei Catholicæ, rectæ rationi, & sacræ Scripturæ, ab omnibus Catholicis approbandam fore, tenendam, amplectendam, & definimus & declaramus, nullique de cætero licitum esse in contrarium prædicare seu docere „. Sixtus autem IV. duas hac de re edidit constitutiones, primam scilicet anno 1466. in qua Indulgentias concedit iis qui in Festo Conceptionis, Officium & Missam, quæ ipse probaverat, recitarent, aut horis Canonicis assisterent; alteram anno 1483., in qua eos damnat, qui asserere aude-

auderent, piaculum esse, Festum ejusmodi celebrare; aut hæresim sapere siquis affirmaret, B. Virgnem peccatum originale non contraxisse, quemadmodum constat in Extravagant. De Reliquiis & veneratione Sanctorum: hac vero in postrema editione hæc Sixti IV. verba leguntur. „ Sane quum S. Romana Ecclesia „ de intemeratæ semperque Virginis Mariæ Conceptione publi- „ ce Festum solemniter celebret, & speciale ac proprium super „ hoc Officium ordinaverit„. Id tamen Officium per Sixtum IV. approbatum, in aliud postea commutatum est, quod S. Pius V. edidit, de quo vide Gavantum loc. cit. num. 8. Bailletum in historia hujus Festi, Natalem Alexandrum in Hist. Eccles., secul. 2. dissert. 16. §. ad tertiam probationem. Denique Clemens VIII. idem Festum Ritu, ut ajunt, duplici celebrandum jussit: Clemens IX. Octavam adjunxit: & Clemens XI. an. 1708. inter Feriatos de præcepto adscripsit constit. 40. Bullarii sui pag. 190.

Sed quorsum hæc tam subtilis enarratio de Festo Conceptionis Beatæ Virginis in Ecclesiam Latinam invecto? Ut nimirum suis non debeamus laudibus Sanctam Neapolitanam Ecclesiam fraudare; in qua longe ante Gallicanam, Anglicanam, & Romanam Ecclesiam, Festum Conceptionis Deiparæ celebratum fuisse, more tamen a Græcis accepto, ad diem scilicet IX. Decembris, constat ex Kalendario Marmoreo Neapolitano, exarato seculo IX. uti quoad ejus Kalendarii ætatem demonstrat cl. Alexius Symmachus Mazochius, ejusdem Neapolitanæ Ecclesiæ Canonicus, & Regius Sacræ Scripturæ Interpres in Commentario eruditionis referto, edito Neapoli anno 1744. cui titulus: *In vetus marmoreum Sanctæ Neapolitanæ Ecclesiæ Kalendarium Commentarius*. In eo siquidem Kalendario, ad IX. Decembris hæc habentur: *Conceptio Sanctæ Mariæ Virginis*. Nimirum Conceptio passiva Deiparæ, quando in utero matris Annæ concepta est: nam de Conceptione ejusdem Deiparæ activa, quando Angelo nunciante concepit de Spiritu Sancto Jesum Christum Dominum nostrum, in eodem Kalendario agitur ad diem 25. Martii. Igitur primi omnium Latinorum, ante Gallos & Anglos, aliosque, Neapolitani in Italia fuerunt, Conceptionis Sanctissimæ Deiparæ, a Græcis acceptæ, cultores. Quamobrem quum idem Festum in eadem nobilissima Italiæ Ecclesia a Latinis hominibus jam ante seculum IX. celebratum sit, atque subse-

subsequutis temporibus celebrari non desierit; miror, cur nullam ejusce rei notitiam Sanctus Bernardus habuerit, dum Canonicos Lugdunenses reprehendens scribit, eos voluisse mutare colorem optimum, novam inducendo celebritatem, quam Ritus Ecclesiasticus nescit, non probat ratio, non commendat *antiqua Traditio?* Maxime quum hac de re satis edoceri potuisset a Normannis, qui ejectis è Sicilia Saracenis, Regno utriusque Siciliæ jam potiti fuerant, quo anno Sanctus Bernardus scribebat. Miror etiam, cur alii recentiores Scriptores, celebrati primum ejus Festi gloriam Anglis, aut Gallis tribuant. Miror denique, quod festo illo tamquam novo in controversiam adducto, nemo unus extiterit, qui Græcanicæ Ecclesiæ antiquissimam illius celebrandi consuetudinem adduceret. Nimirum iis temporibus, Orientalium Ecclesiarum Ritus aut erat prorsus ignotus; aut propter instauratum nuper a Michaële Cerulario Schisma Photianum, nihili a S. Bernardo, nihili a Lugdunensibus Canonicis habebatur.

Quid vero ex istius Festi apud Ecclesiam universam celebratione consequatur, an scilicet exinde sentiendum sit, Beatam Virginem Mariam sicut numquam actuali, ita & [præveniente & operante divini numinis gratia singulari] numquam actualiter subjacuisse peccato originali, sed *immunem semper fuisse ab omni originali & actuali culpa, sanctamque & immaculatam*; etsi nulla adhuc circa hunc articulum prodierit Sedis Apostolicæ definitio; sententia tamen affirmativa videtur menti Ecclesiæ Romanæ conformior, non quidem ratione ipsius Festi, [quod etiam ii celebrant qui putant Virginem in primo instanti in peccato originali conceptam; & Joannis quoque Baptistæ Conceptionem Græci recolunt, quem certum est in originali peccato conceptum, & mox sanctificatum:] sed ratione *Conceptionis Matris Dei futuræ*: quemadmodum Venerabilis Dei Servus Cardinalis Robertus Bellarminus tom. 2. Controversiarum lib. 3. cap. 16. docet. Sive autem dicatur *Immaculata Conceptio Deiparę Virginis*, sive *Conceptio Immaculatæ Virginis Deiparæ*, si quid video, perinde est. Nam agitur non de Conceptione activa, sed de passiva ipsius Deiparæ, quæ quum sit, vereque ac proprie dicatur *Immaculata*, consequens est, passivam etiam ipsius Conceptionem, nimirum ipsam Mariam in utero Annæ matris conceptam, *Immaculatam* esse. At alio sensu *Imma-*

maculatam accipiunt, qui Conceptionem Virginis Immaculatæ dicunt, non *Immaculatam Conceptionem Virginis*; intelligunt nimirum Beatam Virginem postquam concepta est, semper fuisse immaculatam; an vero in primo Conceptionis suæ instanti immaculata fuerit, hoc a Sede Apostolica definitum non fuisse. „ Sententiam [inquit Natalis Alexander in Hist. Eccl. secul. 2. „ Dissert. 16.] de Immaculata Deiparæ Virginis Conceptione „ non solum ut probabilem, sed ut propriam Facultatis nostræ „ [Parisiensis] doctrinam, propugnabimus, si de ea dicendi, „ scribendive detur occasio. At contrariam opinionem falsam, „ impiam & erroneam, Ecclesia prohibente, & sacra Facultate, „ quæ suum Ecclesiæ judicium subjicit & accommodat, probante, non dicemus „. Atqui non prohibet Ecclesia, ne contrariam sententiam *falsam & erroneam* dicamus; sed ne *hæreticam* aut *mortalis peccati ream* appellemus: Hæc sunt Alexandri VII. in Constit. 14. anni 1661. verba: „ Vetamus autem, Sixti IV. „ Constitutionibus inhærentes, quempiam asserere, quod propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Gloriosam Virginem Mariam cum originali peccato fuisse conceptam, *hæresis crimen*, aut *mortale peccatum* incurrant, quum „ a Romana Ecclesia & ab Apostolica Sede nondum fuerit hoc „ decisum, prout Nos nunc minime decidere volumus, aut „ intendimus „. Sed ad Ephemerides Ruthenicas redeo.

X.

Hermogenes.
Menas.
Eugraphus.

Codex uterque Vaticanus Russicus hac die vacat. Possevinus: *Sanctorum Martyrum Mini* (pro Menæ) & *Hermogenis*. Fasti Græco-Moschi: *Menas*, dumtaxat. Papebrochius: „ Menas, Martyr Alexandriæ hic fuit sub Maximiano, cum sociis Hermogene & Eugrapho, cum quibus etiam inscribitur „ hodierno Romano „. Lege, sub Maximino „: Ita enim Martyrolog. Rom. ad hanc diem x. Decembris: „ Alexandriæ Sanctorum Martyrum Mennæ, Hermogenis & Eugraphi, qui sub „ Maximino passi sunt „. At vero Græci in utroque Menologio habent *Maximianum* „: Basiliano quidem pag. 20. „ Sanctus Martyr Menas temporibus Maximiani Imperatoris fuit. „ Quum autem in urbe Alexandria res quædam in disceptatio-
„ nem

„ nem quæstionemque vocarentur, missus est ab Imperatore „ ad jurgia componenda, ut is qui sapientia & eloquentia plurimum posset „. Cætera. In Synaxario vero in Menæis: οὗτοι ὑπῆρχον ἐπὶ τῆς Βασιλείας Μαξιμιανοῦ, *Isti sub Imperatore Maximiano fuerunt*; Menas scilicet, cui ab Hermogene jussu Imperatoris, oculi primum sunt effossi, deinde lingua præcisa. Sed quum sanitati restitutus esset, credidit & ipse Hermogenes, & a S. Mena baptizatus, mox ab iis qui convenerant Episcopis, ordinatus est Episcopus. Id vero quum Imperatori renunciatum esset, venit ipse, eosque cum Eugrapho suo Notario fidem amplexo, gravissime excruciatos, gladio demum cædi jussit. In pictura Menologii Basiliani, Imperator coronatus & paludatus, sedens in sella, lęva Sceptrum tenet, dextra ensem evaginatum, quo Eugraphum ipse confodit; Menas vero, & Hermogenes a quodam Sicario jugulantur. Alius proinde hic Menas ab eo, qui Cotyæi in Phrygia passus, colitur a Græcis & Latinis ad XI. Novembris: ut recte notat Baronius ad hanc diem X. Decembris; licet nonnulli, ut ait, hunc Menam, illum esse dicant. Fallitur tamen vir doctus, dum subjungit: „ Hujus corpus translatum est Constantinopolim, in cujus honorem Justinianus Imp. Basilicam excitavit, ut Procopius de Ædific. Justiniani Imperatoris lib. I. testatur „. Nam non hujus Menæ, qui unacum Hermogene & Eugrapho passus est, sed alterius, qui sub Diocletiano, militiæ cingulo abjecto, gladio cæsus est, Corpus Constantinopolim delatum fuit. Porro Acta horum trium Martyrum a Metaphraste descripta habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Græce incipiunt: μετὰ τὴν ἐπὶ γῆς τοῦ σωτῆρος Χριστοῦ παρουσίαν. Acta vero Menæ alterius Ægyptii in urbe Cotyæi: Βασιλεύοντος Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ. Et Encomium Timothei Episcopi Alexandrini de eodem: ἐγένετο κατὰ τὴν τελευτὴν τοῦ ἀσεβεστάτου: demum Auctoris incerti: ἔτους δευτέρου τῆς Βασιλείας Γαΐου Γαλλερίου Διοκλητιανοῦ. Vide Fabric. Bibl. Græc. tom. 6. pag. 548. & seq.

XI.

DANIEL STYLITA.

Codex primus Vaticanus Ruthenicus: *Daniel Stylita*. Secundus vacat. Possevinus perperam: *S. Martyris Danielis*: non enim Martyr fuit. Fasti Papebrochiani: *Daniel*. Depingitur tamen cucullo tectum caput habens, & columnæ superstans, mani-

manibus expanſis. In Menologio Baſiliano ad hanc diem: *Commemoratio S. P. N. Danielis Stylitæ in Anaplo*; ubi pag. 23. duplex pictura cernitur. Prima repræſentat Simeonem Stylitam in columna manibus expanſis ſtantem, colloquentem cum Daniele ipſo, baculo innixo, ad ſe adventanti: nam Daniel, ut in ejus Synaxario legitur, in Meſopotamia Syriæ natus, quinquennis monaſticum habitum ſuſcepit: poſtea perrexit ad magnum Simeonem Stylitam, qui & Danieli benedixit. Altera pictura exhibet Danielem ipſum, ſtantem in Columna in Anaplo, haud procul a Templo Conſtantinopolitano, quod antea Idolorum fanum erat. Id quod in eodem Synaxario legitur: „ Tum ex divi- „ na revelatione in Anaplum profectus, ſe in Idolorum fano in- „ cluſit, multis moleſtiis a Dæmonibus affectus: poſtremo con- „ ſcenſa columna, factus eſt Stylita „. Menologium Græcum: τῦ ὁσίυ πρ͂ς ἡμῶν, Δανιὴλ τῦ ςυλίτυ. *S. P. N. Danielis Stylitæ*. In Synaxario dicitur, ex vico quodam Bithara dicto in partibus Samoſatenorum ortus, patre Elia, matre Martha. Cætera, ut in Baſiliano. Papebrochius. „ Habemus Acta Græca, quæ Me- „ taphraſtes ſcripſit, & Latina edidit Lipomanus „. Nomen additum eſt hodierno Romano. Hoc ſcilicet elogio. *Conſtantinopoli Sancti Danielis Stylitæ*. Citantur ejus Acta a S. Joanne Damaſceno orat. 3. de Imaginibus. Græca incipiunt: ὥσπερ ἐπὶ τῶν ἀριςέων, Fabric. Bibl. Græc. Tom. 6. pag. 521.

XII.

SPYRIDION.

Ita & Codex primus Vaticanus Ruſſicus. At ſecundus vacat. Faſti Papebrochiani: *Spyridion*. Poſſevinus nihil de Spiridione, ſed ejus loco ad hanc diem, quamquam typographi oſcitantia pro 12. notatam num. 19. *S. Martyris Iſidori*. Nullus dubito, quin pro Spyridione, obtruſus ſit Iſidorus Martyr; hoc enim nomine nullus hodie a Græcis aut Ruthenis colitur. Menologium Baſilianum: *Commemoratio S. P. N. Spyridionis Epiſcopi Trimithuntis in Cypro*. Synaxarium Græcum in Menæis: μνήμη τῦ ὁσίυ πρ͂ς ἡμῶν καὶ Θαυματυργῦ σπυρίδωνος, *Commemoratio S. P. N. & Thaumaturgi Spyridonis*. Et in fine: τελεῖται δὲ ἡ αὐτῦ σύναξις ἐν τῷ Ἀποςολείῳ τῦ ἁγίυ καὶ κορυφαίυ Πέτρυ, τῷ συγκειμένῳ τῇ ἁγιωτάτῃ Ἐκκλησίᾳ, *Peragitur autem ejus feſtum in Templo ſancti Apoſtoli, & Coryphæi Petri, quod adjacet ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ*. Pictura in Menol. Baſil.,

Basil., in Tabulis Papebrochianis, & in Menæis Græcorum, repræsentat Sanctum Spyridionem, barba oblonga, habitu Pontificali juxta Græcorum morem indutum cum mitra rotunda in capite, unam coronam habente. Colitur a Latinis die 14. cum pulcherrimo elogio. Ejus Acta edita a Metaphraste habet Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Exstat Græce, S. Spyridionis seu Spiridonis vita auctore Theodoro Paphi Episcopo, quæ incipit: ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος: Altera a Metaphraste scripta, initium: μέγιστον εἰς ψυχῆς ὠφέλειαν. Fuit unus e Patribus Concilii Nicæni, & Sardicensis, de quo plura S. Athanasius Apolog. 2. Rufinus lib. 1. cap. 5. Socrates libr. 1. cap. 8. Sozomenus lib. 1. cap. 11. & alii.

XIII.

EUSTRATIUS.
AUXENTIUS.
MARDARIUS.
ORESTES.

Codex Vaticanus primus Rufficus: *Eustratius*, *Auxentius*, *Eugenius*, *Mardarius*, *Orestes*. Secundus vero: *Eustratius & socii*. Possevinus pro Eustratio, perperam, *S. Martyris Eustachii*. Fasti Papebrochiani, ut in Codice secundo Vaticano, *Eustratius*, *Auxentius*, *Eugenius*, *Mardarius*, *Orestes*. Ita & Menologium Basilianum pag. 26. *Certamen Sanctorum Martyrum*, *Eustratii*, *Auxentii*, *Eugenii*, *Mardarii*, *& Orestis*. Ibidem Pictura, uniuscujusque Martyrium repræsentat. Nimirum cernitur Eustratius calceis ferreis cum acutis clavis illius pedibus affixis, compelli a duobus satellitibus ad ambulandum, quum interim virgis cæderetur: postremo in caminum injectus. Auxentius decollatus, ejusque caput, quod diu latuerat, inventum tandem in arbore, cornice super eum stante, & garritu indicium faciente. Mardarius perforatis talis, inverso capite suspensus, posterioribus ejus membris ustulatis. Eugenius lingua & ambabus manibus mutilatis, postquam crura virgis confracta essent. Orestes, detecta quam occultam gestabat, cruce, comprehensus, & super grabatum ferreum candentem impositus. Passi in Armenia sub Diocletiano & Maximiano Impp. & Lysia Duce. Ita & Menæa Græca: ἄθλησις τῶν ἁγίων καὶ ἐνδόξων τοῦ Χριστοῦ μαρτύρων, Εὐστρατίου, Αὐξεντίου, Εὐγενίου, Μαρδαρίου, καὶ Ὀρέστου. In Synaxario, dicitur Lysias τῆς Λιμιτανίων τάξεως, *Limita-*

mitaneorum exercitus Dux: & Agricolaus πᾶσαν τὴν τῆς ἀνατολῆς ἐπαρχίαν διοικῶν, *totius Orientalis provinciæ præses*. Coluntur in Romano Martyrologio hac die. Res eorum gestæ a Metaphraste descriptæ, exstant Latine apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. „ Legimus easdem (inquit Baronius in Notis) in „ nonnullis Codicibus manuscriptis, & inter alios in eo qui as„ servatur Romæ in Ecclesia S. Mariæ ad Martyres (*nunc in Biblioth. Vat.*) est eorum exordium: *Regnantibus Diocletiano* „ *& Maximiano Impp.* Habemus easdem in nostra Bibliotheca; „ in quibus & nomen auctoris, qui ea conscripsit, proditur: „ nimirum, Eusebius Monachus Sebastenus, qui ea tradi„ dit (*a*) Auracinis, penes quos celebrior erat eorum memo„ ria. In his quæ habemus apud nos, aperitur & nomen Aucto„ ris, qui ea Latinitate donavit. Fuit is Joannes servus S. Ja„ nuarii (sic enim inscribitur) qui vixit Neapoli (*b*) tempo„ ribus Athanasii junioris, ejus Sedis Episcopi: hæc etenim ha„ bet Auctor in Præfatione „. *Athanasius junior Parthenopensis Ecclesiæ Præsul, patrui sui magnifici Præsulis studia secutus, me impulit &c.* Græce autem eadem Acta incipiunt: Βασιλεύοντος Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ. Vide Fabricium Bibl. Græc. Tom. 6. pag. 525.

XIV.

THYRSUS.

LEUCIUS.

PHILEMON.

APOLLONIUS.

Codices Vaticani Ruthenici hac die vacant. Fasti Papebrochiani: *Thyrs*, *Levkiy*: *Thyrsus*, *Leucius*. Possevinus, *S. Martyris Fursi*: perperam: quia non intellexit, Ѳ Græcum, a Russis pronunciari ut *Ft*. In Menologio Basiliano pag. 28. in tres classes hi Martyres dividuntur, quarum Prima de SS. Martyribus *Thyrso* & *Leucio*: Secunda, de *Philemone*, *Apollonio*, *& Sociis*. Tertia de *Arriano* Præfecto, & *Protectoribus*. In Synaxario quoque Græco primum agitur de Martyrio τῶν ἁγίων Μαρτύρων Θύρσου, Λευκίου, καὶ Καλλινίκου; deinde de Martyrio τῶν

a In Menæis: Αραβρακηνοί, In Martyr. Rom. *Arabraci*, dicuntur.

b En Baronius retractare videtur quod supra dixerat ad 6. Decem. de hoc Joanne: „ quem putamus eundem cum eo qui etiam vitam S. Gregorii Papæ scriptis mandavit„. Vide quæ nos ad eam diem observavimus.

τῶν ἁγίων Φιλήμονος, καὶ Ἀπολλωνίου, Ἀριανοῦ, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ. Demum de Martyrio τῶν τεσσάρων σπεκουλατόρων, τῶν συναθλησάντων τῷ ἁγίῳ Ἀριανῷ. Divisim coluntur in Martyrol. Rom. Thyrsus scilicet, Leucius & Callinicus, Apolloniæ passi sub Decio, ad 28. Januarii. Apud Antinoum vero Ægypti urbem, Philemon, & Apollonius Diaconus: item Arianus Præses, Theoticus, & alii tres, ad 8. Martii. Horum omnium Acta scripsit Metaphrastes, & retulit ea Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Græca incipiunt: τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ κοινωνίᾳ σαρκός, apud Fabric. Tom. 6. pag. 563. Extant Syriace in duobus vetustissimis Codicibus, quos ex Oriente in Bibliothecam Vaticanam advexi, inter Acta Martyrum Occidentalium; in primo quidem Codice, num. 6. *Philemonis Choraulæ*, *Apollonii Lectoris*, *Ariani præfecti*, *& quatuor militum*. num. 7. *Lucii* (seu potius Leucii, quem corrupte Lucianum vocant) *Thyrsi*, *& Callinici*. In secundo autem Codice, num. 5. *Philemonis Choraulæ*, *Apollonii Lectoris & Sociorum*: & num. 14. *Lucii* (qui & Lucianus) *Thyrsi*, *& Callinici*. Operæ pretium esset, hæc Syriaca cum Græcis & Latinis comparare: nam Codex primus Syriacus ætatem Simeonis Metaphrastæ omnino antecedit.

XV.

ELEUTHERIUS.

PAULUS.

Codex uterque Vaticanus hac die vacat. Possevinus, pro Eleutherio, perperam: *S. Martyris Eliphorii*: Fasti Papebrochiani. *Eleutherius*. *Stephanus*. Additur ibidem: Νεδελα σπασίνκ, hoc est, *Dominica Protoparentum*. Tabulæ nostræ Capponianæ repræsentant, *Eleutherium* quidem habitu Pontificali; *Paulum* vero ut Monachum. Ita & Eleutherius exhibetur tamquam Pontifex in Fastis Papebrochianis: quamobrem ipse est, de quo Menologium Basilianum ad hanc diem pag. 31. „ Certamen sacrosancti Martyris Eleutherii „ ubi dicitur, Romæ natus, patre a pueritia orbatus; ab Anthia autem matre fidem Christi edoctus, quam illa a magno Apostolo Paulo acceperat. Eum Anicetus Episcopus suscepit, Christianorumque literis institutum, Clericum fecit. Mox Diaconus & Presbyter ordinatur, deinde Illyrici Episcopus. Adriano autem imperante comprehensus, & gravissime tortus, in ardentem furnum Præfecti jussu detruditur. Sed quum eum inde incolu-

mem evasisse cerneret Præfectus, credidit & ipse, & in furnum ingressus, ex eo illæsus exivit. Tum vero Præfectus decollatur, unacum cæteris omnibus, qui in Christum crediderant. Sanctus autem Eleutherius a carnificibus gladio concisus, spiritum tradidit. Ibidem Pictura repræsentat, in angulo dextro, Furnum ardentem, & Præfectum a carnifice decollatum: in sinistro Eleutherium Illyrici Episcopum a duobus carnificibus pariter decollatum. Eadem de S. Eleutherio habentur in Menæis in Synaxario; sed additur, quod anno ætatis 15. ordinatus sit Diaconus, anno 18. Presbyter, anno 20. Episcopus Illyrici: multa etiam alia supplicia perpessus dicitur, quam quæ in Basiliano narrantur; a duobus tamen carnificibus decollatus. Postremo Præfecti nomen, qui unacum Eleutherio Martyrium subiit, *κορέμμων* dicitur: cæteri qui cum Præfecto crediderant, quasi quingenti numerantur. *Anthia* demum mater, dum filii Eleutherii cadaver amplectitur, gladio & ipsa cæsa. Eleutherii vero & sociorum Synaxis peragi ἐν τῷ Μαρτυρίῳ αὐτοῦ, *πλησίον τοῦ Ξηρολόφου*, *in ejus Martyrio, juxta Xerolophum*. Hæc in Synaxario: cui quoad supplicia S. Eleutherii consonat Martyrologium Romanum ad 18. Aprilis: „ Natalis sanctorum Martyrum Eleutherii „ Episcopi Illyrici, & Anthiæ matris ejus: qui quum esset vitæ „ sanctimonia & miraculorum virtute illustris, sub Hadriano „ Principe lectum ferreum ignitum, craticulam, & sartaginem „ oleo, pice, ac resina ferventem superans, leonibus quoque „ projectus, sed ab illis nil læsus, novissime una cum matre ju„ gulatur „. Ibidem subjungitur passio Præfecti, qui *Corebus* pro Coremmone appellatur. Ubi Baronius recte advertit, Nicephorum, dum lib. 3. cap. 29. ex Metaphraste ait, Eleutherium Romæ eruditum ab Aniceto Rom. Pont. & sub Hadriano Imp. passum, manifesti erroris redargui: nam Anicetus sedit post obitum Hadriani: adeoque censet irrepsisse mendum, & Anicetum pro Anacleto posuisse qui descripserunt. Quod autem Beda dicit, Eleutherium ordinatum esse Episcopum Aquilejæ, putat idem Baronius, vitio librariorum factum, ut loco *Apuliæ*, scriptum sit *Aquilejæ*: nam idem ipse Beda paulo superius ponit natale ipsius apud *Messanam* in *Apulia*. Similiter Usuardus & Ado itidem in *Apulia* ponunt. Consequenter autumat Emus Censor, pro Messana, reponendum *Messapia* in *Apulia*: est enim Messa-

pia

pia oppidum prope Tarentum teste Plinio lib. 3. cap. 11. Quum autem tam a Græcis, quam a Latinis Eleutherius dicatur *Illyrici Episcopus*, concludit Baronius, vel eundem in utraque provincia, Illyrico scil. & Apulia, Evangelium prædicasse, vel (ut frequenter in alii succedit) duos fuisse Eleutherios in unum conflatos, eorumdemque simul Acta confusa. Hactenus Baronius. Papebrochius vero unum agnoscit Eleutherium Illyricis Episcopum datum, & Romæ cum Anthia matre passum; historiam passionis ejus multimodis fabulosam esse ostendens. „ Nostrum „ (inquit ad Metricum Græcum Decembrem) de Actis illis judicium eatenus per literas approbavit Joannes Ludovicus „ Schonlebius, Carnioliæ inferioris Archidiaconus, patriarum „ antiquitatum studiosissimus; ut putet magnam his tenebris „ affundi lucem posse, si Episcopus Illyrici a Romano Martyre „ distinguatur, cum quo male fuerit a Metaphraste confusus: „ Metaphrastis enim esse, quæ Græca habentur, censet Allatius. Acta illa tamquam Metaphrastis fœtum, habentur apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 2. & Mombritium tom. 1. Fabricius quoque in Bibl. Græc. tom. 6. pag. 523. Metaphrasti adscribit: inquiens: „ Eleutherii, & Evanthiæ (lege, Anthiæ) matris Martyrium. „ Αἰλίυ Ἀδριανῦ Ῥωμαίων μὲν Βασιλεύοντος. Latine apud Surium 18. Apr. Græce e MS. Vaticano in Actis Sanctorum „ Tom. 2. pag. 986. „ Syriace exstant in Cod. vetustissimo, qui ætatem Metaphrastis antecedit, signato num. 1. inter Codices Syriacos, quos ego ex Oriente in Bibliothecam Vaticanam intuli, ubi inter Acta Martyrum Occidentalium num. 21. *Eleutherii Episcopi*, *Anthiæ ejus matris*, *&* *Carpi Præsidis*: ita enim pro Corebo *Carpus* dicitur. Vide Tom. 1. Bibl. Orient. pag. 606. col. 2. Ac proinde antiquiora Simeone Metaphraste hæc sunt Acta, quamquam illa a fabulositate nolim vindicare.

Qui in Tabulis Capponianis sancto Eleutherio subjungitur *Paulus*: in Menologio quidem Basiliano desideratur; at vero in Menæis Græcorum ad hanc ipsam diem, hæc de eo leguntur in Synaxario: τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῦ ὁσίυ πατρὸς ἡμῶν παύλυ τῦ νέυ, ἀσκήσαντος ἐν τοῖς χρόνοις τῦ πορφυρογεννήτυ ἐν τῷ ὄρει λάτρυ, *Eodem die*, *S. P. N. Pauli novi*, *qui temporibus Porphyrogeniti*, *asceticam vitam duxit in monte Latri*. Nescio, unde Papebrochius hauserit, hujus Pauli memoriam coli a Græcis

ad XXI. Decembris, dum ait ad eandem diem mensis metrici Græci: „ Colunt hoc die Græci etiam S. Paulum in Latro, cu„ jus præclaram vitam habemus; sed deest nobis encomium „ ejusdem cum enarratione miraculorum, ab Allatio visa lau„ dataque: quod hic volui indicare.

De *Stephano*, quem ut Pontificem exhibent Fasti Græcomoschi Papebrochiani, hæc Papebrochius. „ Stephanus Epi„ scopus Surozensis. Ita nos docuit R. P. Ohilewicz, qui uti„ nam plura nos de eo docuisset, simulque indicasset quid sibi „ velit adjectum epithetum *Nedparotecz*. Hoc nunc beneficium „ ab aliis patriarum rerum peritis præstolamur „. Ad Stephanum quod spectat, Culcinius Par. 1. pag. 62. ad XV. Decembris de S. Stephano Archiep. Surazensi, Papebrochio suffragatur: „ Adest, inquit, in meo Anthologio hic Sanctus: sed Acta ejus „ apud me non habeo. Morem tamen gerens tum Patri nostro „ Ohilewicz, tum clarissimo Papebrochio, inscribo ipsum in„ dici Sanctorum Ruthenorum „. Quod vero Papebrochius epithetum illud *Nedparotecz* adjectum S. Stephano putat, allucinatur turpissime vir doctus. Non enim ad Stephanum pertinet, neque legitur *Nedparotecz*, sed *Nedela Praotek*, hoc est, *Dominica Protoparentum*. Culcinius Par. 2. pag. 106. „ Optat Pa„ pebrochius, ut indicem, quid significet adjectum huic diei „ epithetum, *Nedparotecz*. Respondeo, esse terminum non „ significantem, & dico, quod proximo subsequenti die Domi„ nico celebratur *Nedela Praotec*, idest, Dominica Protoparen„ tum D. N. Jesu Christi. Habetur de ipsis officium in Antho„ logio cum duplici Canone, altero Theophanis, altero Jose„ phi, & Synaxario breviusculo. Cæterum in meo Anthologio „ hæc Dominica ponitur ante decimam quartam præsentis, ut „ locum habeat commodiorem altera Dominica ante Nativita„ tem „. Hoc ipsum Russi a Græcis mutuati sunt, qui in Menæis, ante XIV. Decembris, celebrant Dominicam Protoparentum, hoc titulo, *κυριακὴ τῶν ἁγίων Προπατέρων*: *Dominica Sanctorum Protoparentum*: idest, Abraham, Isaac, & Jacob: quorum in Synaxario nomina exprimuntur. Menologium Basilianum, eorundem Patriarcharum Imagines repræsentat post diem 16. Decembris pag. 35. cum Synaxario, cui titulus: „ Eodem „ mense, die Dominica, quando occurrit Commemoratio San„ ctorum Patrum Abraham, Isaac, & Jacob „: quorum (inquit)

quit) memoriam facimus ante Nativitatem Christi, quod ex iis Christus secundum carnem natus est.

XVI.

PROPHETA AGGÆUS.

Codex uterque Vaticanus Russicus hac die vacat. Possevinus: *S. Prophetæ Aggæi*. Fasti Græco-Moschi: *Aggæus*. Menologium Basilianum ad XVI. Decembris pag. 33. *Commemoratio S. Prophetæ Aggæi*. Ita & Menologium Græcum; utrobique autem Synaxarium iisdem plane verbis, in quo dicitur, ex tribu Levi fuisse, Babylone in captivitate natus: a prima autem ætate, e Babylone Hierosolymam venisse, & unacum Zacharia annos 36. prophetasse; Christi autem incarnationem annis 470. antecessisse; sepultus demum Hierosolymis in sepulcro Sacerdotum. Additur de ipsius forma. „ Erat Aggæus canis „ capillis, mento rotundo „: id quod ex antiqua pictura desumtum. Colitur a Latinis, unacum Osee propheta, die 4. Julii.

XVII.

PROPHETA DANIEL.

ANANIAS.

AZARIAS.

MISAEL.

Ita & Codex uterque Vaticanus. Possevinus: *S. Prophetæ Danielis*, omissis Tribus Pueris. Martyrologium Romanum dividit; & de Daniele quidem agit die 21. Julii: de tribus autem Pueris, hac die 16. Decembris. Baronius in notis ad Danielem, citat Epiphan. de vita & interitu Prophetarum cap. 10. sic scribentem: „ Humatus est in augusta caverna hono„ ribus magnis;extatque monumentum ejus usque ad hoc secu„ lum nostrum in Babylone cunctis notissimum „. Translatas autem Danielis, & trium Puerorum reliquias Babylone Alexandriam, & in Ecclesia sanctorum Joannis & Cyri positas, Acta eorumdem significant. Menologium Basilianum ad 17. hujus, duplex habet Synaxarium: primum scilicet de tribus Pueris, Anania, Azaria, & Misaele, qui dicuntur, postquam sub Nabuchodonosore Assyriorum Rege in caminum injecti, & incolumes servati fuerunt, ab alio Rege Nabucodonosoris & Balthasaris successore jussi decollari: quumque decollarentur, alter alterius caput excepisse, & postremus Daniel, amputatum

tum Ananiæ caput suscepisse. Pictura pagin. 36. repræsentat in latere dextro, tres Pueros cum braccis & tiara Assyriaca in camino ignis ardentis stantes, & Angelum eorum capiti manus imponentem: in sinistro vero latere, carnificem eos decollantem, & Danielem caput Ananiæ, manibus excipientem. Secundum Synaxarium de Daniele propheta, qui narratur a Nabuchodonosore, & Balthasare honoratus; ab Attico vero Rege cum tribus pueris decollatus. Pictura pag. 37. exhibet in latere dextro, Danielem braccis & tiara Assyriaca indutum, stantem inter duos Leones, manibus expansis. In sinistro, eundem Danielem eodem modo indutum, coram carnifice caput inclinantem, ad eum decollandum parato. Eadem de Daniele & sociis in Menæis leguntur in Synaxario, *Attici Regis* (qui tamen nullus hujus nominis in antiquis genuinis monumentis reperitur) nomine expresso: additurque, postquam amputata sunt eorum capita, corporibus fuisse conjuncta, & ab Angelo recondita in monte *Gebal*, ubi quadringentesimo post Christi Resurrectionem anno, etiam ipsi resurrexerint, ac rursus obdormierint. Conficta hæc omnia, ut ait Papebrochius, occasione pariter inventorum corporum, qua de re vide ad 21. Julii, quando antiquitus a Latinis colitur Propheta *Daniel*. In Tabulis Papebrochianis, tam Daniel, quam tres Pueri, habitu Persico sunt depicti: Pueris autem in manu crux est imposita. Festum eorum peragi in magna Ecclesia Sanctæ Sophiæ, asseritur in Synaxario. Tabulæ nostræ repræsentant Danielem virum imberbem cum pileo Babylonico, & ante ipsum stantes tres Pueros, puerili aspectu.

Fasti Papebrochiani post Danielem & Socios addunt: *Nedela pred Rozdestvom Christovim, Sviatyk Otec. Dominica ante Nativitatem Christi, Sanctorum Patrum*. Depinguntur novem Patres: duo habitu seculari: cæteri, habitu Episcopali, quorum tres tiaram rotundam habent in capite. Errore manifesto: non enim de SS. Episcopis aut Patriarchis agitur; sed de Christi progenitoribus. Papebrochius. „ Et alii Patres ante na-„ tum Christum. Ita noster Interpres Belgicus: & recte: (imo „ male, ut constat ex supra dictis ubi Russicæ inscriptionis ge-„ nuinam interpretationem habes:) colunt enim Mosci com-„ mune omnium Proparentum Christi & Justorum aliorum ve-„ teris Testamenti festum ea Dominica, quæ proxime præcedit „ vi-

„ vigiliam Nativitatis: quæ, si ipsamet in Dominicam cadit, „ tunc festum hoc agitur XVII. Decembris, id est, Dominica „ præcedente. Menæa excusa hujus Dominicæ officium habent „ post XIX. Decembris, & in Rubricis notant, quomodo faciendum sit, si Dominica Sanctorum Patrum incidat in XXIV. „ Mensis, seu vigiliam ipsam Nativitatis. Quod post communicatum Moscis sacrorum Ordinem, innovatum esse apud „ Græcos arbitramur. Cæterum turpiter erravit Sculptor barbarus, dum Patres istos habitu Patriarchali & Episcopali induit. Menæa præter Canones & Sticharia, de singulis nominatim distichon unum recitant, incipientes ab Adam & Eva, „ & desinentes in Susanna; ita ut sint centum & sedecim disticha „. Papebrochium Culcinius fere exscribit Par. 2. p. 106. „ Præsentem diem (17. Dec.) subsequitur Dominica ante Nativitatem, de qua adest prolixum officium, cum duplici Canone ac Synaxario, quod est tale. Hoc die Dominico ante „ Nativitatem Christi decreverunt deiferi nostri Pátres celebrare commemorationem omnium ab initio Mundi Protoparentum Christi, & aliorum Justorum, qui Deo placuerunt in „ vetere Testamento, incipiendo ab Adamo usque ad Josephum „ Sponsum Sanctissimæ Deiparæ, juxta Genealogiam, quam „ divinus Evangelista Matthæus historice contexuit. Similiter „ colimus hac die cunctos Prophetas ac Prophetissas, qui „ prædixerunt Incarnationem Verbi Divini „. Pergit Culcinius. „ Hinc colliges, antecedenti die Dominica coli tantummodo Abrahamum cum descendentibus ab eo illustrioribus „ Sanctis: Dominica vero hac Nativitati propinquiori agi festum in communi omnium Justorum, ducto principio ab ipsismet primis generis humani authoribus Adamo & Heva „. Falsa hæc adnotatio: nam Dominica præcedenti agitur tantum de Abrahamo, Isaaco, & Jacobo, ut supra vidimus. Demum idem Culcinius: „ Quum vero Menæa Ruthenica passim vocent „ hanc Dominicam *Sviatych Otec*, idest, Sanctorum Patrum, ut „ & in meis Libris videre est, idcirco Pictor Moscus cernens „ titulum communem cum Episcopis in Conciliis congregatis, „ & non inspiciens Festum, Festique historiam, Protoparentes „ Christi habitu Patriarchali, & Episcopali incurius ornavit. „ Ignoscendus error, & corrigendus.

Cæterum hæc Dominica ante Nativitatem commemoratur in Co-

in Codice Vaticano primo Ruffico, inter diem 17. & 20. Decembris, sic: „ Sabbato, & Dominica, ante Nativitatem Do„ mini. Sabbato, & Dominica post Nativitatem Domini „. In Menæis vero, eadem ponitur cum officio post diem 19. Dec. hoc titulo: *κυριακὴ πρὸ τῆς Χῦ γεννήσεως, τῶν ἁγίων Πατέρων*, *Dominica ante Nativitatem Christi, Sanctorum Patrum*.

XVIII.

SEBASTIANUS, ET SOCII.

Codex uterque Vaticanus Rufficus hac die vacat. Possevinus. *S. Martyris Sebastiani*. Fasti Papebrochiani: *Sebastianus, Michaël*. In Menologio Basiliano neque Sebastiani, neque Michaëlis fit ulla commemoratio. At in Menæis Græcorum uterque hac die colitur: scilicet Sanctus Sebastianus Martyr, unacum Zoë, Tranquillino, Nicostrato, Claudio, Castore, Tiburtio, Castulo, Marcellino & Marco, quorum Sebastianus in Synaxario dicitur a Cajo Papa factus ἔκδικος, *Defensor Ecclesiæ*: Marcellinus & Marcus, Diaconi; Tranqullinus Presbyter; Sanctus autem Michaël, Patriarchæ Hierosolymitani primum Syncellus, unacum fratribus Theodero ac Theophane, necnon Jobo, multa pro sacris Imaginibus sub Leone Armeno, & Michaële Balbo Imperatoribus passus, tandem sub Theodora & Michaële Augustis a S. Methodio factus Patriarchæ Constantinopolitani Syncellus, in quodam Monasterio quum sancte ac pie vixisset, annos natus 85. obiit die 18. Decembris. Exstant duo Synaxaria, primum de S. Sebastiano & Sociis; alterum de S. Michaële Syncello & Confessore. De hoc Michaële, nihil in Martyrol. Rom. Habetur tamen vita Græce scripta per Nicephorum Gregoram: initium. *νόμος οὗτος ἄνωθεν πάλαι παρ' Ἕλλησι*. Vide Fabric. Bibl. Græc. tom. 6. pag. 549. Sebastianus a Latinis colitur ad xx. Januarii: cujus Acta descripsit ex antiquioribus monumentis Metaphrastes, quæ Latine habentur apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 1. Græce incipiunt: *πολλῶν κατὰ διαφόρους καιροὺς κατὰ Χριστὸν καὶ τῶν ἐκείνου μαρτύρων στρατευτῶν Διοκλητιανός*: apud eundem Fabric. tom. cit. pag. 557. Baronius in notis ad xx. Jan. „ Egregium etiam S. Martyris monumentum, ve„ neranda ejus Imago, opere Musivo expressa, atque hactenus „ integra, extat in Titulo Eudoxiæ ad Vincula S. Petri, senili „ aspectu & barba: quod Pictores admoneat, qui eum juvenem „ palo alligatum perperam pingunt „ Tabulæ Papebrochianæ

næ exhibent S. Sebaſtianum ſenem, & barbatum, dextra crucem tenentem. At Capponianæ, juvenem imberbem, militari habitu. In Martyrol. Rom. diviſim a S. Sebaſtiano coluntur ejus Socii: videlicet, ad 7. Julii, *Claudius* Commentarienſis, *Nicoſtratus* Primiſcrinii, *Caſtorius*, *Victorinus* & *Symphorianus*, quos S. Sebaſtianus ad fidem perduxit, & B. *Polycarpus* Presbyter baptizavit. Ad 6. Julii *Tranquillinus*, pater SS. Marci & Marcelliani, qui ad prædicationem S. Sebaſtiani Martyris converſus ad Chriſtum, a Beato Polycarpo Presbytero baptizatus eſt, & a S. Cajo Papa Presbyter ordinatus. Ad 18. Junii, *Marcus & Marcellianus* fratres. Ad 26. Martii *Caſtulus* Palatii Zetarius & hoſpes Sanctorum, de quo Baron. „ Mentio „ habetur de Caſtulo Zetario in Actis S. Sebaſtiani Martyris in „ fine „. Ad 5. Julii *S. Zoë*, uxor Beati Nicoſtrati Martyris, quæ dum ad Confeſſionem B. Petri Apoſtoli oraret, a perſecutoribus artata, & in cuſtodiam truſa, collo & capillis in arbore ſuſpenſa, adhibito ſubter horribili fumo, emiſit ſpiritum. Cujus Acta, ut idem Baron. obſervat, intexta habentur martyrio S. Sebaſtiani. Ad XI. Auguſti, *S. Tiburtius* Martyr. Cujus martyrium, teſte eodem Baronio, deſcribitur in Actis S. Sebaſtiani.

XIX.

Bonifacius.

Hac etiam die vacant ambo Codices Vaticani Ruthenici. Poſſevinus, pro Bonifacio, perperam, *S. Martyris Vinfanti*. Faſti Papebrochiani: *Vonifanti*, *Aglaida*, *Timolaii*: *Bonifacius*, *Aglais*, *Timolaus*. Papebrochius: „ Bonifacius Martyr: „ Aglais, Matrona Romana, domina ejus: quæ licet ſui quondam amaſii corpus excipiens, pœnitentem ad ſepulcrum vitam egerit, nullis tamen quod ſciam, Græcorum Faſtis inter „ Sanctos deſcripta invenitur: Sed apud Latinos aliquos Martyrologos vocatur Sancta, & Corpus ejus cum Corporibus „ SS. Bonifacii & Alexii honoratur, ſicuti ad XIV. diem (Maji) „ poſt Acta S. Bonifacii dicemus „. Verum in Synaxario Græco Aglais pro Sancta diſerte colitur. Sic enim de ipſa, poſtquam Corpus S. Bonifacii in extructa a ſe Romæ nobili Eccleſia depoſuit. *ἔνθα καθ' ἑκάστην πηγὰς ἰαμάτων προχέει. κἀκείνη ἔκτοτε ὁσίως καὶ θεαρέστως βιώσασα, καὶ πολιτευσαμένη καλῶς, ἐν εἰρήνῃ τὸ πνεῦμα τῷ Θεῷ παρέθετο.* „ Ubi quotidie curationum fontes

„ effundit. Illa autem (hoc eſt Aglais) ex tunc ſancte & pie vitam „ traducens, & recte ſe gerens, in pace ſpiritum Deo tradi- „ dit „. In Menologio Baſiliano ad xx. Decembris colitur S. Bonifacius Martyr, cum Synaxario, & pictura ipſum a Carnifice decollatum repræſentante. Acta S. Bonifacii deſcripſit Metaphraſtes, & Latine quidem habent Lipom. tom. 5. & Surius tom. 3. ad 5. Junii: Græce incipiunt: καὶ τῶν ἄλλων μὲν τῶν Χριστοῦ Μαρτύρων ἆθλα. Prodierunt Græce in Appendice Tom. 3. Act. Sanctorum ad 14. Maji, pag. 22. & Latine cum notis pag. 280 Græce & Latine etiam Paſſio S. Bonifacii edita eſt a Bigotio ad calcem Palladii de vita Chryſoſtomi. Latina incipit: *Temporibus Diocletiani quater*: Græca: ἦν τις ἐν τῇ Ῥώμῃ γυνὴ μεγάλη, ὀνόματι Ἀγλαΐς. Pariſ. 1680. 4. Fabric. tom. 6. pag. 517. Alia S. Bonifacii Acta, auctore Anonymo: exordium: Φιλάνθρωπος καὶ ἐλεήμων Θεός. Baronius in not. ad 14. Maji. „ Legimus in Vet. manuſcripto monaſterii S. Cæciliæ Tranſtiberim Acta ejuſdem Martyris, in quibus aliqua habentur, quæ in „ Græcis exemplaribus deſiderantur.

Tabulæ Papebrochianæ repræſentant tres imagines, Bonifacii ſcilicet, Aglaidis, & Timolai: & hunc quidem juvenem imberbem, cum tunica & pallio uſque ad talos, crucem manu geſtantem. Unde Papebrochius exiſtimat veroſimiliter Timolaum hunc eſſe, quem Menæa hodie *Timotheum* appellant in Mauritania paſſum. De Timotheo agunt hac die & Græci & Latini. Martyrol. Romanum „ In Mauritania Sancti Timothei „ Diaconi, qui ob Chriſti fidem poſt diros carceres, in ignem „ conjectus, martyrium conſummavit „. Eadem in Menologio Baſiliano ad hanc diem pag. 41. ubi pingitur Sanctus Timotheus Diaconus a carnifice in ſuccenſum rogum ignis immiſſus. At *Timolaus* unácum ſociis Martyribus *Agapio*, duobus *Dionyſiis*, *Romulo*, *Publio*, & duobus *Alexandris*, colitur a Græcis primum ad 15. Martii, & iterum ad 17. Maji. A Latinis vero ad 24. Martii, ubi pro Publio legitur *Pauſides*: ſicuti in altero Græcorum Synaxario pro Publio habetur Πλήσιος, *Pleſius*. Sed de his vide Euſebium hiſt. lib. 8. cap. 15.

XX.

IGNATIUS.

Ita & Codex uterque Vaticanus Ruſſieus: *Ignatius Martyr*, & *Ignatius Theophorus*. Poſſevinus: *S. Mart. Ignatii*. Meno-

Menologium Basilianum ad xx. hujus: *Certamen Sacrosancti Martyris Ignatii, Patriarchæ Antiochiæ magnæ*. Depingitur in Amphitheatro ad bestias damnatus, pallio Pontificio ornatus, & a duobus leonibus devoratus. De eodem agunt Græci in Menæis cum Synaxario hac ipsa die. Kalendarium quoque marmoreum Ecclesiæ Neapolitanæ ad xx. Decembris: *Passio S. Ignatii de Suria*. At Martyrologium Romanum ad 1. Februarii: „ Natalis Sancti Ignatii Episcopi & Martyris, qui tertius post Beatum Apostolum Petrum Antiochenam rexit Ecclesiam „. Cætera. Et iterum ad 17. Decembris. „ Translatio Sancti Ignatii Episcopi & Martyris... cujus Corpus Roma, ubi ipse sub Trajano passus fuerat, Antiochiam delatum, extra portam Daphniticam in Cœmeterio Ecclesiæ positum fuit. Postmodum vero ejus Reliquiæ rursus Romam translatæ sunt, & in Ecclesia Sancti Clementis unacum corpore ejusdem Beatissimi Papæ & Martyris summa veneratione reconditæ „. Quam postremam translationem opinatur Baronius Justiniano Imp. tunc factam, quum civitas illa a Chosroë Persarum Rege igni ferroque vastata est anno Domini 540. Primam autem Translationem Roma Antiochiam tunc ait contigisse, quum consummato Romæ martyrio, ejus discipuli, qui eum secuti fuerant Antiochia, illuc victrices reliquias retulerunt, de qua translatione agitur in fine Actorum martyrii ipsius, eamque graphice describit egregia oratione Sanctus Joannes Chrysostomus. Positum tunc fuit Corpus ejus in Cœmeterio ad Portam Daphniticam: Inde autem ultimis temporibus Theodosii junioris delatum est summo cum honore intra civitatem Antiochiam, positum in Templo quod Fortunæ dicebatur, ut testatur Nicephorus lib. 14. cap. 44. licet erret, quum ait, tunc, videlicet, tempore Theodosii, Roma illuc esse perlatum: nam arguitur prædictorum auctoritate, necnon etiam Sancti Hieronymi in lib. de Script. Eccles. in Ignatio, dum ait, ejus Corpus jacere extra Portam Daphniticam in Cœmeterio. De eadem translatione iterum facta scribit Evagrius Scholast. hist. lib. 1. cap. 16. Hæc Baronius. Et primam quidem Corporis Sancti Ignatii Translationem, Roma Antiochiam factam, recolunt Græci & Russi ad 29. Januarii: ubi in Synaxario Menologii Basiliani dicitur pag. 142. „ Quum igitur immissis in eum leonibus suffocatus est, elatæ „ a Christianis ipsius Reliquiæ, & cum pompa atque honore

„ Roma Antiochiam translatæ, tota urbe obviam prodeunte „ cum cereis, psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus, in ea- „ dem urbe honorifico & magnificentissimo Sepulcro conditæ „ fuere in ejusdem tutelam & præsidium „. Ibi Pictura repræsentat, in latere sinistro, Templum, in quod Sancti Ignatii Corpus inferebatur: in dextro angulo, arcam ubi Reliquiæ erant repositæ, a duobus Clericis in humeros elatam: in medio, Episcopum cum thuribulo & codice Evangeliorum ante arcam procedentem, sequentibus quatuor Clericis cum cereis. Quamobrem existimo, auctorem hujus Synaxarii conjunxisse translationem Roma Antiochiam factam, cum ea, quæ sub Theodosio postea contigit: nam in prima illa translatione non fuit sacrum Corpus in urbem invectum, sed in Cœmeterio extra Portam Daphniticam sepultum; neque tunc civitas Antiochena poterat obviam ei procedere tanta cum pompa, aut intra urbem in Templo ipsi dedicato, Corpus sepelire: sed hæc omnia secundæ Translationi conveniunt. In Menæis Græcorum una translatio ab altera non distinguitur: at ex verborum contextu & ex Synaxario colligitur ibi primæ Translationis tantum mentionem fieri. Nam in Synaxario quidem, postquam dictum est, ipsum leonibus objectum in Amphitheatro Romano occubuisse, statim subjungitur: *ὃ γενομένε, Χριςιανοί τινες ἄνδρες τὰ τίμια καὶ ἅγια λείψανα αὐτῦ ἀπὸ Ῥώμης εἰς Ἀντιόχειαν ἐνεγκόντες, δῶρον ποθούμενον τοῖς ἀδελφοῖς δωρῦνται. οἳ μετὰ πάσης τιμῆς καὶ φόβε ὑπὸ τὴν γῆν αὐτὰ κατέθεντο. ὃ δὴ χάριν, ἑορτὴν χαρμόσυνον ἡ Ἐκκλησία πανηγυρίζει.* „ Quo facto, Christiani quidam viri, „ venerandas sanctasque Reliquias ipsius ab urbe Roma Antio- „ chiam deportantes, gratum fratribus donum attulere: qui „ eas sub terra cum summo honore ac timore deposuerunt „. „ Quapropter, hilarem festivitatem celebrat Ecclesia „. In Tropario autem de solo Sancti Ignatii ex Occidente in Orientem reditu fit sermo: *ἐξ ἑώας μὲν πρότερον, ἑωσφόρος Ἰγνάτιε, ἐν δυσμαῖς διήυγασας φαεινότατος. νῦν δὲ τῶν θείων λειψάνων σε ἐν τῇ ἐπανόδῳ τε, τὰς ἀκτῖνας ἐπὶ γῆς, ἀφ᾽ ἑσπέρας ἐφήπλωσας.* „ Ex Oriente primum, o lucifer Ignati, in Occidentis parti- „ bus lucidissime effulsisti. Nunc vero tuarum divinarum re- „ liquiarum Translatione, radios in terram ab Occidente „ emisisti.

Ignatio Martyri alterum Antiochiæ Episcopum *Philogo-* *nium*

nium conjungunt Fasti Græco-Moschi, sic. *Ignatius. Philogonius*. De eo Græci in Menæis hac eadem die 20. Decembris cum Synaxario: *μνήμη τοῦ ὁσίου πατρὸς ἡμῶν Φιλογονίου, γενομένου ἀπὸ δικολόγου, Ἐπισκόπου Ἀντιοχείας*. *Commemoratio S. P. N. Philogonii, qui ex Causidico factus est Antiochiæ Episcopus*. Martyrologium quoque Romanum ad eandem diem: „ Antiochiæ Natalis Sancti Philogonii Episcopi, qui ex Causidicò „ ad eam Ecclesiam regendam Dei nutu accersitus, adversus „ Arium unacum Sancto Alexandro Episcopo & sociis primum „ pro fide Catholica certamen iniit, clarusque meritis, quievit „ in Domino; cujus annuam festivitatem Sanctus Joannes Chrysostomus præclaro Encomio celebravit „. Ejusdem Encomii fit mentio in Synaxario Græco. At in Menologio Basiliano colitur Sanctus Philogonius ad diem sequentem, hoc est XXI. Decembris, cum Synaxario, ubi mortua uxore dicitur ob excellentem virtutem suam atque justitiæ amorem, ex Advocato suffragiis totius populi & Episcoporum ordinatus Episcopus.

Culcinius Par. 2. pag. 107. ad XX. Decembris „ Profestum „ primum Nativit. Christi hodie peragitur cum proprio Officio. „ Subjungitur quoque Sacromartyr Ignatius Deifer Archiepiscopus Antiochenus, qui Evodo successit, fuitque discipulus Joannis Theologi; passus vero est an. 109. sub Trajano Imperatore. „ Habeo de ipso Canonem & Synaxarium „. Hæc Culcinius. Ad Profestum Nativitatis Christi quod spectat, id quoque, sicut & cætera ad Ritum Ecclesiasticum spectantia, a Græcis mutuati sunt Russi. In Græcis enim Menæis ad hanc diem XX. Decembris sic legitur. *Ἀπὸ ταύτης ἀρχόμεθα τῶν προεορτίων τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως τοῦ κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ*. „ Ab „ hac die incipimus Professa Nativitatis secundum carnem Domini, ac Salvatoris nostri Jesu Christi. Additur hoc monitum. *Δεῖ εἰδέναι, ὅτι τὴν ὀκτώηχον οὐ ψάλλομεν μέχρι τῆς ἀποδόσεως τῆς ἑορτῆς τῶν ἁγίων Θεοφανείων, ἀπὸ τῆς κ'. τοῦ Δεκεμβρίου μηνὸς, μέχρι τῆς ιδ'. τοῦ Ἰανουαρίου μηνός*. „ Sciendum est, nos octoëchum „ non psallere usque ad absolutionem Festi Sanctorum Theophaniorum, nimirum a die XX. Decemb. usque ad diem XIV. „ Jan. mensis. Incipiunt autem Proëortia, seu Professa, sic, „ *Προεορτάσωμεν λαοὶ, Χριστοῦ τὰ γενέθλια*. Præveniamus, o po„ puli, celebrantes Christi Natalitium diem „. Cantus sunt

Ana-

Anatolii, Cypriani, Andreæ Pyri, & Studitæ, ut ibi adnotatur.

XXI.

JULIANA.

Codex uterque Vaticanus Rufficus vacat hac die. Possevinus perperam: *S. Martyris Ulneæ*, pro Juliana. Colitur a Græcis in utroque Menologio ad hanc ipsam diem, & passa dicitur Nicomediæ sub Maximiano Imperatore. Vide Synaxarium Menol. Basiliani pag. 46. De Juliana agunt Latini ad XVI. Februarii, quando corpus Cumas in Italia translatum est, hoc Elogio. „ Cumis in Campania Translatio S. Julianæ Virginis & „ Martyris, quæ Nicomediæ sub Maximiano Imperatore a patre „ suo Africano graviter cæsa, deinde ab Evilasio Præfecto, cui „ nubere recusarat varie cruciata, & postmodum in carcerem „ detrusa, ubi palam cum Diabolo conflixit; demum flammas „ ignium, & ollam ferventem superans, capitis decollatione „ martyrium consummavit „. Qui hic *Evilasius* dicitur, is in Synaxariis Græcis est Ἐλεύσιος, *Eleusius*. In Menologio Basiliano, decollata perhibetur *cum multis aliis, qui ejus causa fidem susceperant*. Synaxarium Græcum, istos Julianæ in martyrio socios ait fuisse *quingentos viros*, & *centum ac triginta mulieres*. Sanctam vero Julianam, quum Eleusio desponsata fuerat, annos natam novem; quum vero martyrio perfuncta est, annorum fuisse duodeviginti: Postremo de ejus festo hæc addit. Τελεῖται δὲ ἡ αὐτῆς σύναξις ἐν τῷ Μαρτυρίῳ αὐτῆς, τῷ ὄντι πλησίον τῆς ἁγίας Μάρτυρος Εὐφημίας ἐν τῷ Πετρίῳ. „ Agitur autem ejus „ festum in ipsius martyrio quod situm est juxta Templum Sanctæ „ Martyris Euphemiæ in Petrio „. Baronius in not. ad 16. Febr.: „ Extant ejus Acta apud Metaphrastem, ex quo Lipom tom. 5. „ & Sur. tom. 1. Habemus eadem in vetere Cod. MS. è Græ„ co Latine reddita a Petro quodam, qui ea ad Petrum Neapo„ litanum Episcopum direxit, ut docet ejus Præfatio. Ponitur „ ibidem passa anno a Christo nato 290. De reliquiis ejus me„ minit S. Gregorius Papa in Epist. ad Fortunatum Episcopum „ Neapolitanum 84. & 85. lib. 7. Sub ejus Diœcesi enim San„ ctæ Martyris Corpus quiescebat „. Quis Petrus ille fuerit, qui Acta Sanctæ Julianæ è Græco Latine edidit ad Petrum Episcopum Neapolitanum, Baronius hic quidem non exponit: sed ad annum 872. Vitam Sancti Athanasii I. Neapolitani Antistitis

ab

ab altera diversam, quam Johannes Diaconus in Cod. Vaticano MS. 5007. scripsit, commemorans, ejusque parte in suos Annales illata, Auctorem ait illius *Petrum Diaconum Casinensem*, qui hoc item tempore vixit. Nimirum intelligit *Petrum Neapolitanæ Ecclesiæ Subdiaconum*, a quo primas lineas Vitæ Athanasii II. habemus, in calce hujus Codicis Vaticani 5007. additas, quique etiam scripsit Sancti Agnelli Abbatis miracula, ubi inscribitur: *Petrus Sanctæ Parthenopensis Ecclesiæ Hypodiaconus*. Vide Præfationem cl. Muratorii in Vitas Neapolitanorum Antistitum Auctore Joanne Diacono, Tom. 1. Rer. Ital. Script. Par. 1. pag. 289. & seq. Porro Julianæ hujus Nicomediensis Virginis & Martyris Res gestæ a Metaphraste descriptæ exstant Græce: Exordium: καὶ ἡ Καλλίστη τῶν πόλεων ἡ Νικομήδους φημὶ Μαξιμιανοῦ τοῦ δυσσεβοῦς ἄρχοντος. Apud Fabric. tom. 6. pag. 539. Papebrochius: „ Passiones quædam Græce in MSS, „ Vaticanis, necdum a nobis transcribi curatæ.

Fasti Papebrochiani, Sanctæ Julianæ adjungunt *obitum Petri Metropolitæ* sic, *Juliana. Eadem die obiit Petrus Metropolita*. Pictura exhibet Petrum in sepulcro jacentem: a duobus Diaconis apertum ejus sepulcrum: Metropolitam quemdam adspicientem & obstupescentem; tres item Russos, principes viros, Russico habitu indutos, adstantes: ac proinde verosimilius est, hic designari Petri Metropolitæ Reliquiarum elevationem potius, quam diem obitus ejusdem: quum enim is obiit & sepulturæ mandatus fuit, nullus alius Metropolita erat qui funus ipsius curaret, sed, ut in ejus Synaxario legitur, adfuit Joannes Princeps cum suis Magnatibus, & cum universo Clero & Populo: at vero quum facta est die 24. Augusti anno 1419. (ut in Ustavo Græco-Mosco narratur) Corporis Translatio, Metropolita Kioviensis aderat cum Principibus Moscorum. Eodem plane modo in hisce Fastis Græco-Moschis ad diem 12. Februarii depingitur *obitus Alexii Metropolitæ*: nimirum pro Corporis inventione, quæ ad xx. Maji anno 1436. contigit, substituta pictura, cum epigraphe, *obitus Alexii*. Papebrochius ad hanc diem xxi. Decembris. „ Obitus Petri Me- „ tropolitæ, Sancti Alexii in Kioviensi Cathedra decessoris; de „ cujus vitæ Actis plura scire cuperemus. Ad veram ejus san- „ ctitatem & præcipuum apud Moscos cultum probandum, fa- „ ciet Triptycon, de quo infra. Hic autem ille est Metropolita „ Petrus,

„ Petrus, qui circa annum Christi 1300., teste Herberstenio, „ Duci Moscorum Joanni Danielis filio, suasit transferre Mo„ scuam Imperii sedem, exemplum secutis posteris. *Ipse enim* „ *Petrus, amore Alexii cujusdam, qui ibi sepultus claruisse mi-* „ *raculis dicitur, eo loci sedem sibi prius elegerat*; *eoque mor-* „ *tuo* (scilicet Petro) *atque ibidem sepulto, quum ad ejus tu-* „ *mulum miracula pariter fierent*; *locus ipse religionis ac san-* „ *ctitatis quadam opinione adeo celebris factus est, ut posteri* „ *Principes omnes Joannis Successores, ibi Imperii sui sedem* „ *habendam esse duxerint*. Non idem fecerunt Metropolitæ „ Successores Petri: nam primum eorum Sanctum Alexium „ Kioviæ resedisse ibique requiescere scitur. Resident illi nunc „ quidem Moscuæ, sed a quo tempore, nusquam reperi adno„ tatum. Conjectura tamen haud inverisimilis videri potest, „ quod id factum sit, postquam a Scythis, sive Cosaccis occu„ pata excisaque Kiovia fuit. Sed neque hoc excidium usquam „ notatur: solum ex Herberstenio scitur, non urbem, sed ur„ bis ruinas extitisse, quum ille scriberet post medium secu„ lum XVI. ut intra illud tempus & annos priores L. vel LX. res „ acta videatur. Cæterum *Alexius* ille *Moscuensis Sanctus*, „ Ephemeridibus hisce, quod mireris, nusquam adscriptus in„ venitur; plura proinde doceri etiam de eo postulo „. Hactenus Papebrochius. Ego vero magis miror, quod tantus vir non animum adjecerit ad diem XII. Februarii Moscorum figurati, in ipsis Ephemeridibus Græco-Moschis pag. XVI. ubi expressa fit illius Alexii Moscuensis Præsulis commemoratio, cum pictura, *obitum* seu potius Inventionem corporis ejus, repræsentante, & cum hac epigraphe: *Obitus Alexii Metropolitæ Kioviensis, Moscoviæ Thaumaturgi*. Ubi idem Papebrochius notat: *cultum ejus & sanctitatem probavimus*. Non erat igitur, cur præter hunc Alexium, quæreret alium Moscuensem. Deceptus nimirum est vir doctus iis Herberstenii verbis, quæ supra recitata sunt: quæque hic iterum recito. Ait igitur Herberstenius in editione Francofurti apud Hæredes Andreæ Wecheli anni 1600. pag. 46. loquens de Moscua urbe, ejusque castro, in quo tunc temporis & Princeps & Metropolitanus, & Principis fratres, proceres aliique quamplurimi habitabant. „ Hoc castrum „ roboribus tantum initio circumdabatur: atque ad magni Du„ cis Joannis, Danielis filii, tempora usque, parvum ac igno-

„ bile

„ bile erat. Is enim Petri Metropolitæ ſuaſu, primus ſedem „ Imperii eo tranſtulit. Nam Petrus amore Alexii cujuſdam, „ qui ibi ſepultus claruiſſe miraculis dicitur, eo loci ſedem „ ſibi prius elegerat; eoque mortuo, atque ibidem ſepulto, „ quum ad ejus tumulum miracula pariter fierent, locus ipſe „ religionis ac ſanctitatis quadam opinione adeo celebris factus „ eſt, ut poſteri Principes omnes Joannis Succeſſores, ibi Im- „ perii ſui ſedem habendam eſſe duxerint„. Quæ verba videntur indicare, Alexium obiiſſe ante Petrum, & in Moſcua ſepultum fuiſſe: quum conſtet, Petro anno 1328. mortuo, ſucceſſiſſe Theognoſtum: & hoc è vivis migrante, Alexium anno 1364. a Philotheo Patriarcha Conſtantinopolitano Primatem Ruſſiæ fuiſſe conſecratum, & circa annum 1378. in vivis eſſe deſiiſſe. Igitur errat primo Herberſtenius, dum ait, Petrum amore Alexii ibi ſepulti, eo loci ſedem ſibi prius elegiſſe, quam Joannes Ruſſorum Dux & ipſe in Moſcua ſedem figeret. Nam Petrus longe ante Alexium mortuus fuit; neque Petrus ſuaſit Joanni Duci ut illic habitaret, ſed Joannem Ducem domicilium ibi figentem ſequutus eſt Petrus. Patet hoc ex Annalibus Ruſſorum: in quibus alia transferendæ Moſcuam ſedis cauſa refertur: videlicet, quum Gediminus magnus Lithuaniæ Dux (a) anno 1319. lecto ingenti exercitu Volhiniam occupaſſet, & occiſo ejus Domino Uladimiro, profligatiſque Kiovienſi, Luceorienſi, Breſtenſi, cæteriſque Ducibus, totam pene Ruſſiam ſubjugaſſet; tunc Joannes Danielis filius tranſtulit ſe Moſcuam, ibidemque ſedem Imperii fixit: ſequutuſque eum Petrus Metropolita, Moſcuæ & ipſe manere cœpit, ibidemque obiit. Vide Culcinium Par. 3. de Archiepiſcopis Kiovienſibus num. 24. pag. 117. Errat ſecundo Papebrochius, dum ſcribit, ex eo, quod in urbe Moſcua Alexius ille quidam, & Petrus ſepulti, miraculis claruerunt, locum illum, ideſt Moſcuam, religionis ac ſanctitatis opinione adeo celebrem evaſiſſe, ut poſteri Principes omnes, Joannis ſucceſſores ibi Imperii ſui ſedem habendam eſſe duxerint. Qui enim Moſcuæ ſepulti ſunt cum ſanctitatis apud Ruſſos fama, non alii ſunt, quam Metropolitæ Petrus anno,

(a) Imo anno 1304. uti habet Guagninus pag. 387. de Gedimino Lithuaniæ Duce.

ut dixi, 1328., & Alexius anno 1378. mortuus. Legatur in primis Herberstenius loc. supra cit. ubi de Ecclesiis urbis Moscuæ hæc habet: „ Multæ autem, ut dixi, in hoc (*Castro*) „ sunt Ecclesiæ, ligneæ ferme omnes; duabus tamen insignio- „ ribus, quæ ex lateribus extructæ sunt, exceptis: quarum al- „ tera Divæ Virgini, altera Divo Michaeli est sacra. In Tem- „ plo Divæ Virginis sepulta sunt duorum Archiepiscoporum „ corpora, qui, ut Principes eo suam Imperii sedem transfer- „ rent, ibique Metropolim constituerent, autores fuere: eam- „ que maxime ob rem in divorum numerum sunt relati: in al- „ tero Templo Principes vita defuncti humantur „. En Herberstenius Alexium, non quemdam, sed Metropolitam vocat, eumque unacum Petro in Moscua sepultum; licet in eo errore sit, primum, ut Petrum Alexio posteriorem faciat, quum fuerit prior; deinde, ut ambos istos Archiepiscopos, auctores fuisse dicat, ut Principes suam Imperii sedem Moscuæ figerent, quum Metropolita potius Petrus sequutus sit Joannem Principem in urbem Moscuam, postquam Lithuaniæ Dux Kioviam occupavit: Alexius autem, Petri & Theognosti decessorum suorum exemplo, Moscuæ sedere perrexerit. Legatur demum Culcinius, qui Par. 1. pag. 8. ad diem 12. Februarii *de Alexio Russiæ Metropolita* in Moscua residente: „ Adiit illico Templum [inquit] cum „ universo Clero: quumque ibidem diu orasset, en ad ipsana „ (*a*) Sancti Petri Metropolitæ cereus divinitus accensus ar- „ dere cæpit. *Et post pauca de ipsius Alexii sepulcro ibidem parato*: „ Rediens in patriam Divus Alexius, excitavit Tem- „ plum e sectis lapidibus honori Archistrategi Michaëlis sacrum, „ ubi ad dexterum latus in Sacello Annunciationis Deiparæ, „ propriis manibus tumulum sibi paravit. *Et paucis interposi- „ tis*: Tumulatus in Templo, quod ipse erexerat, & positus in „ tumulo, quem sibi paraverat „. Video Culcinium non consentire Herberstenio, quoad Templum Moscuense, in quo Petrus & Alexius tumulati sunt: Culcinius enim testatur Petrum sepultum in templo a Joanne Duce Moscuæ ædificato, hoc est, *Deiparæ Virginis*; Alexium vero in templo a se erecto, & Michaeli Archangelo dicato: Herberstenius vero asserit, utrumque

a Hoc ipsum legitur in vita Alexii Metropolitæ apud Bolland. XII. Febr. p. 641. num. 4. „ Antequam autem itineri se adcinxisset, Ecclesiam intravit, ubi eo orante, „ candela vi sua accensa, arsit ad sepulcrum S.Petri Metropolitæ.

que in uno eodemque Deiparæ templo Moscuensi tumulatum: sed credendum potius Culcinio, qui Acta eorum Metropolitanorum ex officiis divinis Rufficis profert. Postremo & Culcinio, & Herbestenio potius, quam Papebrochio, fides est adhibenda, testantibus Alexium Metropolitam non Kioviæ, ut vult Papebrochius, sed Moscuæ resedisse ibique sepultum fuisse.

Et de Alexio quidem hæc hactenus: nam redibit de eodem sermo ad XII. Februarii. Nunc vero ad Acta Petri accedo. Culcinius res a Petro gestas describit Par. 3. pag. 116. his verbis:
„ S. Petrus, genere Ruthenus, patria Volinensis, successit
„ Maximo anno 1307. Sub hoc Metropolita cecidit dominium
„ Russorum. Nam Gediminus magnus Lithuaniæ Dux an-
„ no 1319. lecto ingenti exercitu, occupavit Voliniam, & oc-
„ ciso ejus domino Uladimiro, profligatisque Kioviensi, Lu-
„ ceoriensi, Brestensi, cæterisque Ducibus, totam Russiam sub-
„ jugavit. Ab hoc tempore igitur extinctum est nomen Ducum
„ Kioviensium. Ex ruinis tamen debellatæ Russiæ natum est
„ dominium Moscoviticum. Joannes enim illius Danielis, de
„ quo paulo ante dictum, filius, transtulit se Moscuam, ibi-
„ demque sedem Imperii fixit; hinc dicti Mosci, seu Moscovi-
„ tæ, qui subsequentibus temporibus, armis ac opibus satis in-
„ claruere. Ornavit exordium nascentis Moscorum dominii
„ S. Petrus Metropolita, quum Moscuæ manere cœpisset, &
„ multis præclare gestis, ibidem sanctissime obiisset, ut dictum
„ in vita ipsius. Cæterum hunc sanctum Primatem vixisse in
„ unione cum Romana Ecclesia, indubium est, tum quod cum
„ Latinis Episcopis ex Ordine Prædicatorum in Lithuania ac
„ Russia recenter institutis optimam pacem coluerit, teste
„ Okolscio in vitis Episcoporum Latini ritus Kioviensium; tum
„ quod Legatos a Sede Apostolica, Bartholomæum Episcopum
„ Electensem, & Bernardum Abbatem cum professione fidei
„ Orthodoxæ in Russiam missos, devotissime exceperit, ut scri-
„ bit Kujatkiewicz in Annal. Lith. ad annum 1324. Translatio
„ Reliquiarum hujus sancti Metropolitæ celebrata fuit ann. 1419.
„ die 24. Augusti, ut doceor ex meo Ustavo „. Hactenus Culcinius; qui Par. 1. pag. 62. hanc etiam exhibet Petri Metropolitæ vitam ex Ruthenico Synaxario desumtam: quam nos, tametsi satis prolixam, operæ tamen pretium ducimus hic describere, ut Acta hujus Russorum Metropolitani, quæ Latinos hactenus

 latue-

latuerunt, probe cognoſcantur. E re enim noſtra eſſe exiſtimamus, quidquid ad illuſtrandam Ruſſicam hiſtoriam pertinet, in apertum proferre; judicium interim de Sanctorum hujuſmodi cultu ad alium locum differentes.

Igitur Culcinius ad XXI. Decembris *de S. Petro Metropolita Ruſſiæ* hæc habet. „ Colitur hic ſanctus in meo Antholo„ gio, proprio ſolenni Officio, cum Synaxario, quod Latine „ ornatum ſubjungo.

„ Hic Beatus Pater nactus eſt natales in terra Volinenſi, „ natus e parentibus Chriſticolis fidelibus. Quum vero adhuc „ eſſet in utero materno, illuceſcente dominico die habuit ma„ ter ejus talem viſionem. Videbatur ſibi in ſuo ſinu fove„ re agnum parvum candidum, e cujus capite repente prodiit „ pulcherrima arbor tum floribus tum fructibus onuſta. Inter „ folia vero frondeſque plurimæ micabant lucernæ flagrantes & „ fragrantes. Tam fauſto prænunciatus omine Petrus, quum „ vix eſſet ſeptennis, literas diſcere cœpit, in quibus egregie „ proficiens, vidit ſemel per ſomnum quemdam Pontificem, „ qui accedens dixit ei: Aperi, fili, os tuum. Obtemperavit „ puer, & Pontifex tangens dextera linguam ejus, benedixit „ ipſi, miramque dulcedinem gutturi infudit. Excitavit ſe e „ ſomno puer, & cæleſti ſeſe perfuſum nectare ſentiens, ab eo „ tempore facillime diſcebat quæcumque ei præceptor memo„ riæ commendanda aſſignabat, adeo ut in paucorum annorum „ curriculo inſignem adeptus fuerit doctrinam. Quum eſſet duo„ dennis, adiit monaſterium, factuſque Monachus, obſequen„ tiſſimum ſe omnibus reddebat: nam & in coquinam ligna „ comportabat, & fratrum cilicia lavabat, & cætera religioſæ „ humilitatis miniſteria obibat. Ad ſignum nolæ primus in Tem„ plo inveniebatur, ibidemque ſtabat cum timore, pſallens, „ orans, attentiſque hauriens auribus ſacras lectiones. Emine„ bant vel maxime in ipſo reverentia erga ſeniores, charitas „ erga fratres, humilitas, manſuetudo, & amor ſolitudinis. „ Hinc jubente ſuperiore promotus Petrus ad Diaconatum, ac „ tandem Presbyteratum, addidit virtutes virtutibus. Didi„ cit quoque artem pingendi, quæ ipſi multum profuit in via „ perfectionis; Divorum enim formans Imagines, quorum vul„ tus coloribus exprimebat, eorum exempla ſectari toto animo „ exardeſcebat. Accepta poſtmodum benedictione ab Hegu„ me-

„ meno, recessit in solitudinem: & condita ad fluvium *Rata* „ domo, erexit Templum Deo Salvatori sacrum. Convolavit „ paulo post ad eum haud exigua Fratrum caterva; ipse vero „ mitis in omnes ac humilis, docebat Discipulos cum tanta „ mansuetudine & lenitate, ut hi magis exemplo, quam ver- „ bis magistri ad perfectionem monasticam acriter excitarentur. „ Pollebat vel maxime insigni erga egenos charitate, nec un- „ quam mendicos ac peregrinos abire vacuos a se patiebatur. „ Inclarescebat in dies his recte factis vir sanctus, jamque tum „ apud Principem, tum apud Primores præcipuam existimatio- „ nem habebat; plebs vero loco Patris eum venerabantur. „ Venerat ea tempestate ab urbe Constantini Magni Maximus „ Metropolita, quem salutationis gratia accedens Petrus cum „ suis Fratribus, obtulit ei Imaginem Deiparæ a se exaratam. „ Libens acceptavit Pontifex pignus adeo nobile; & debitas re- „ pendens Petro grates, benedixit eum cum sociis, ac in pace „ dimisit. Post non multos vero annos obiit Maximus Metro- „ polita; & Gerontius quidam Hegumenus surreptis vestibus „ Pontificalibus, Pastorali Baculo, ac reliqua sacra supellectili, „ quinimo & Imagine Deiparæ a Petro picta, rapuit fugam, „ ivitque Constantinopolim. Tunc Princeps Voliniæ cæpit ro- „ gare Beatum Petrum, tum per se, tum per suos magnates, „ ut adiret Metropolim Græcorum. Restitit fortiter vir san- „ ctus; sed importunis victus precibus, acceptis a Principe li- „ teris ad Patriarcham, commisit se itineri. Gerontius ille „ conscensa navi, quum pateretur magnam tempestatem ven- „ tosque contrarios, infaustum inde sumens augurium, æger „ animo obdormivit: at ecce per quietem Icona Deiparæ jam „ commemorata, talibus eum affatur: Ut quid vanum hunc „ suscepisti laborem senicule? non enim te ornabit Pontificalis „ dignitas, quam persequeris, sed Petrus Hegumenus Raten- „ sis, qui hunc meum vultum expressit, fidelis ac prudens Filii „ ac Dei mei famulus, exaltabitur ad sedem Metropolitanam: „ ipse bene populum pascet, vitæ morumque sanctitate Rus- „ siam illustrabit, & in bona senectute exultans in gaudium Do- „ mini intrabit. Evigilans Gerontius, & terrore perculsus, „ narravit sociis suis quæ vidit atque audivit. Porro B. Petrus fe- „ licissimam habuit navigationem, perveniensque Constantino- „ polim, adiit Patriarcham Athanasium, qui quum percepisset „ mi-

„ miram fragrantiam, eamque emanare a præſentia Petri co-
„ gnoviſſet, magno cum honore ipſum excepit, & intellecta
„ adventus cauſa, convocavit ſacrum Conſiſtorium, in quo per-
„ acta juxta morem electione, celebravit ſolemniter divinam
„ Liturgiam, & conſecravit Petrum in Metropolitam. Prodiit
„ vero tanta lux e vultu neoconſecrati, ut omnes mirarentur,
„ ac cum ſtupore dicerent: Revera hic homo Deo diſponente
„ ad nos venit. Factum eſt itaque univerſale gaudium. Venit
„ interea & Gerontius, atque quæ ipſi in itinere acciderant,
„ volens nolens prodidit, a quo Patriarcha receptas ſacras ve-
„ ſtes cum Venerabili Imagine, Baculo Paſtorali, & reliqua
„ ſupellectili, tradidit in manus legitimo Pontifici Petro,
„ quem quum docuiſſet prolixo ſermone de officiis Paſtoris,
„ data benedictione dimiſit in pace. Redux ad ſuam Metro-
„ polim Petrus, confluentibus ad congratulandum Præſulibus,
„ cæteriſque Prælatis, Clericis, ac Monachis, longam fecit
„ adhortationem, commonens unumquemque muneris ſui:
„ tum auſpicatum a Deo incipiens regimen, viſitabat Eccle-
„ ſias, ac ſalutaribus doctrinæ paſcuis, gregem ſuum alebat.
„ His curis quum incumberet optimus Paſtor, fremens invi-
„ dia hoſtis infernalis, arduum ipſi obicem opponere voluit.
„ Præ primis enim nonnulli è primoribus Cleri obedire novo
„ Primati detrectarunt; at cognito errore, reddiderunt ei
„ obedientiam, veniamque conſecuti, in pace vixerunt.
„ Rurſus ſpiritu diſcordiæ concitatus Andreas Epiſcopus Tue-
„ renſis, exacuit linguam ſuam, & quum multa iniqua,
„ falſa, ac blaſphema loquutus fuiſſet in divum Archipræſu-
„ lem, congeſſit inſuper graviora mendacia, quæ impuden-
„ ter calamo exarata miſit Athanaſio Patriarchæ. Hic miratus
„ rem novam, rejecit falſitates; ſed inſtantibus fortiter ac-
„ cuſatoris procuratoribus, miſit ſuum legatum a latere, qui
„ perveniens in Ruſſiam, convocavit Synodum in civitate
„ Perejaslavienſi, ad quam inter inſigniores venere Simeon
„ Roſtovienſis Epiſcopus, Prochorus Pieczarenſis Hegume-
„ nus, tum Principes, Proceres, Clerici, ac Monachorum
„ ingens multitudo. Stetit quoque Andreas Epiſcopus Tue-
„ renſis cum ſuis aſſeclis. Sed inſtituto examine, quum pro-
„ palatæ fuiſſent adverſariorum calumniæ, rediit in authorem
„ ſcelus. Andream quippe falſitatum inventorem tota Syno-
„ dus

„ dus damnavit, pœnasque luere jussit, quas tamen ei benigne condonavit Petrus, & absolutum a censuris, pristino honori restituit. Superata bonus Pastor hacce tempestate, rediit ad suas curas, adjiciensque laboribus labores, datum sibi talentum centuplo multiplicare studuit. Hæreticum quendam zizania seminantem, nec acquiescere doctrinæ Catholicæ volentem, percussit anathemate, qui etiam paulo post interiit. Ingressus tandem vir Dei almam urbem Moscuam, quum vidisset Magnum Principem Joannem Danielidem præclaris virtutibus ornatum, in egenos liberalem, templorum ac Cleri cultorem, divinarum legum eximium custodem; dilexit eum nimis, ac vivere in eadem urbe in posterum decrevit. Suadens idcirco laudato Principi, ut excitaret Templum e sectis lapidibus in honorem Magnæ Deiparæ, taliter ipsum est allocutus: si mihi morem gesseris, & Domum nostræ Dominæ erexeris, gloriosior evades præ tuis majoribus: urbs quoque tua crescet opibus atque potentia, quam ornabunt sede sua Roxolanici Primates, quamque Deus glorificabit, & fortificabit adversus cunctos tui dominii hostes. His verbis incitatus Princeps, summo studio aggressus est opus: quo absoluto, & facta magnifici Templi consecratione, Petrus propriis manibus condidit sibi Tumulum penes principem aram; & non multo post tempore, accepto desuper nuncio de suo proximo transitu, exuberanti repletus gaudio, adivit Templum, celebravit divinam Liturgiam, & sacrosanctis refectus mysteriis, ac facta pro omnibus orthodoxis oratione, rediit domum suam, ad quam convocato Clero, multa de rebus divinis locutus est, ac unumquemque benedicens, omnes in pace dimisit. Erogavit deinde totam suam supellectilem in pauperes, jamque proximus letho, absente Principe, vocavit ad se Protasium Gubernatorem urbis, & dixit. Fili, en ego ingredior viam patrum meorum: relinquo vero filio meo dilecto Principi Joanni cunctisque ejus posteris, charitatem, pacem, & benedictionem a Deo. Hæc, & alia plura, commonendi gratia, quum pronunciasset, jussit officium Vespertinum cani; ipse vero volvens preces labiis, expansis ad cælum manibus, reddidit Domino animam. Nunciatum est extemplo Principi: qui velociter accurrens, eun-

„ tem

„ tem ad astra sui Pastoris animam irriguis comitatus est lacrymis. Interea assistente eodem Principe cum suis magnatibus, cum universali Cleri ac Populi planctu positum est in feretro sacrum Corpus: quod quum portaretur ritu solito ad Templum, quidam homo plebejus videns magnam pompam funebrem, luctumque plebis audiens, temeraria ductus cogitatione, dixit intra se: Quis est hic, cui & ipse Princeps, & gens universa tantos exhibet honores, & more famulitio inservit? Nonne ejus cadaver, ut & cætera, pulvis est ac cinis? Hæc & alia ipsi cogitanti, spectandum se præbet vir sanctus, sedens in feretro, & populo ex utraque parte benedicens. Expavit incredulus, illatisque Templo lipsanis, exaltans vocem, rem miram a se visam populo narravit. Hinc major movit omnes religio: & persolutis justis, compositum est sacrum corpus in tumulo, quem Divus Archipræsul vivens sibi paraverat, in quo usque ad hanc diem quiescit, insignibusque claret miraculis, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis. Amen „. Hactenus Synaxarium. Athanasius Patriarcha, qui dicitur Petrum Russorum Archiepiscopum consecrasse, is est, patria Macedo, qui a XIV. Octobris Anni Christi 1289. ad XVI. Octobris 1293., atque iterum a III. Augusti Anni 1304. ad 1310. Patriarcha Constantinopolitanus fuit sub Andronico Palæologo Seniore, de quo plura Pachymeres, & Gregoras, ipsi infesti. Scripta pleraque ex Bandurio exhibet Fabricius tom. 6. pag. 583. in quibus num. 79. *Abdicatio prioris Patriarchatus A. C.* 1293. & num. 8. *Posterior Patriarchatus abdicatio A. C.* 1310. & num. 82. *Ad magistrum libellorum supplicum, de electione, qua creatus Patriarcha fuerat Nipho Episcopus Cyzici anno* 1312. (non 1310. uti obrepsit apud Fabric. tom. 6. pag. 587. nam post abdicationem ab Athanasio anno 1310. factam, sedes vacavit per biennium, & ineunte anno 1312. Nipho electus est, uti narrant Gregoras & Pachymeres:) demum num. 84. *quomodo, & quare prima & secunda Patriarchatus abdicatio facta sit*. Quis autem fuerit hæreticus ille, & qua hæresi infectus, quem Petrus anathemate percussisse fertur, non exponit Culcinius, neque nos divinare possumus, nisi antea Annales Russicos evolvamus. Sed de his hactenus.

ANA-

XXII.

ANASTASIA.

Codex primus Vaticanus Rufficus ad hanc ipfam diem XXII. Decembris: *Anaftafia*. Secundus vero; vacat. Poffevinus: *S. Martyris Anaftafiæ*. Fafti Papebrochiani: *Anaftafia*: *Chryfogonus*. Menologium Bafilianum: *Certamen S. Martyris Anaftafiæ, & Sanctarum Sociarum Mulierum*. Ubi pag. 49. dicitur „ Diocletiano Imperatore, Romæ claruiffe divitibus ac nobilibus parentibus nata, atque a Matre Fidem Chrifti edocta; a „ Chryfogono vero Chriftianorum Doctore facris Literis inftituta. Virum autem duxerat, Publium nomine, divitem „ quidem, fed Ethnicum. Quod igitur Chriftianus non effet, „ eum Anaftafia oderat, nec ullam ei corporis fui poteftatem „ faciebat; erat autem benigna & liberalis in pauperes, eofque „ qui in vinculis detinebantur, vifitabat. Quamobrem in carcerem a viro fuo detruditur. Sed mortuo eo dimiffa, omnibus facultatibus fuis in pauperes diftributis, fedulam Sanctis „ operam dabat, Martyrio defunctos fepeliebat, multos ad „ perferendum martyrium impellebat. Quar ea multis diverfo „ tempore Præfectis excruciata, deinde in mare, poftea in „ ignem injecta, fed incolumis inde evadens, tandem unà cum „ iis, quæ fecum erant, Mulieribus decollatur „. Eadem die in eodem Menologio pag. 51. agitur de S. Martyre Chryfogono, qui & ipfe dicitur, ex magna urbe Roma fuiffe fub Diocletiano Imp. & Sanctam Martyrem Anaftafiam & fidem in Chriftum, & facras Literas docuiffe; commota autem perfecutione captus, in carcerem conjectus fuiffe. Tum vero ad eum fcripfit S. Anaftafia, ut pro ipfa Deum oraret, ut fi vir fuus futurus effet Chriftianus, viveret; fin minus, moreretur, ne opes fuas cum idololatris confumeret, fed eas ipfa in Sanctorum pauperumque fumtus expenderet. Quod & contigit: factaque voti compos, omnibus facultatibus in pauperes erogatis, fumtaque pauperis ftola, circumibat, & miniftrabat Sanctis in carcere detentis. Quo tempore Diocletianus ex urbe Nicæa, ubi morabatur, literas Romam edidit, ut Chriftiani omnes interficerentur; Chryfogonus vero ad fe vinctus Nicæam duceretur; adductum autem decollari juffit. In Pictura tam Chryfogonus pag. 51. quam Anaftafia pag. 49. exhibentur a Carnifice capite multati. Numerus autem earum, quæ una cum S. Anaftafia decollatæ fe-

runtur, Mulierum, neque in hoc Menol. neque in Synaxario Græco exprimitur; in Romano tamen Martyrol. ad 25. Dec. de hac S. Anastasia hæc leguntur: „ Natalis S. Anastasiæ, quæ tempore Diocletiani, primo diram & immitem custodiam a viro suo Publio perpessa est, in qua tamen a Chrysogono Confessore Christi multum consolata & confortata fuit: deinde a Floro Præfecto Illyrici diutina custodia macerata, ad ultimum manibus & pedibus extensis ligata est ad palos, & circa eam ignis accensus: in quo martyrium consummavit in insula Palmaria, ad quam cum ducentis viris & septuaginta feminis deportata fuerat, qui variis interfectionibus martyrium celebrarunt „. Et ad diem 24. Nov. de S. Chrysogono: „ Natalis S. Chrysogoni, qui post longa vincula & carceres pro constantissima Christi confessione toleratos, jubente Diocletiano, Aquilejam perductus, ibidem capite cæsus, & in mare projectus, martyrium consummavit „. Baronius in not. ad 24. Nov. & ad 25. Dec. affirmat, Anastasiam & Chrysogonum, qui ibi a Latinis coluntur, eosdem esse, ac illos quos Græci colunt, Anastasiam quidem ad 22. Decembris, Chrysogonum vero ad XVI. Kal. Maji, idest, ad 16. Aprilis. Verum, præterquam quod falsum est Græcos de S. Chrysogono agere ad 16. Aprilis: nam ejus mentio non fit, nisi hac die 22. Decembris; differunt quæ supra de S. Anastasia & Chrysogono ex Menologio Græco Basiliano narrantur, a Latino Martyrologio, primum, quod S. Anastasia in Actis Græcis, in ignem injecta, incolumis dicitur evasisse, & postea decollata fuisse; at in Rom. Martyrol. perhibetur in igne martyrium consummasse; idque in Palmaria insula, postquam a Floro Illyrici Præfecto diutina custodia macerata & ad palos alligata fuisset; Palmaria autem insula ab Illyrico longe distat; Illyricum vero Romanæ Martyri Anastasiæ nequaquam convenit, quæ Romæ vel saltem in vicina insula Palmaria, passa sit: differunt secundo, quod S. Chrysogonus Aquilejæ capite cæsus & in mare projectus dicitur in Rom. Martyr. at in Menol. Basiliano id factum apud *Nicæam*, vel, uti legitur in Synaxrio Græco, apud *Nicomediam* asseritur: quo quidem in Synaxario illud etiam singulare est, quod neque in Actis Latinis, neque in Menol. Basiliano habetur, S. Anastasiam scilicet vocari veneficiorum solutricem: unde in Menæis & in titulo Synaxarii sic legitur: *τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Ἀναστασίας τῆς φαρμακολυτρίας*, *San-*

Sanctæ magnæ Martyris Anaſtaſiæ veneficiorum ſolutricis. Baronius in not. ad 25. Dec. „ Duas diſtinguit Anaſtaſias, quarum „ prima Senior (inquit) paſſa eſt Valeriano Imperatore; agitur „ de ea v. Kal. Nov. Hæc autem junior dicta, martyrio coronatur temporibus Diocletiani Imperatoris. Duas etiam Anaſtaſias novit Niceph. hiſt. lib. 7. cap. 14. Fuit hæc Romæ celeberrima: Vetus enim ejus nomine titulus hactenus perſeverat, „ cujus habetur mentio in Conc. primo Romano ſub Symmacho, atque in Ord. Rom. & aliis in locis. Illa autem Senior, „ quæ Sirmii paſſa dicitur, Conſtantinopoli erat celebris: quam „ fuiſſe *veneficam*, tradit Niceph. hiſt. lib. 14. cap. 10. in fine, „ ubi ait, ejus reliquias tempore Gennadii Epiſcopi Conſtantinopolitani Sirmio Conſtantinopolim translatas: Idipſum „ Theodorus Lector lib. 2. collect. in fine; additque eas eſſe reconditas in Baſilica Anaſtaſiæ, non quidem ab ea primum ita „ denominata, ſed a S. Gregorio Nazianzeno, quum illic fides collapſa, excitata eſſet, ita dicta: quam quidem olim „ perexiguam in auguſtiorem formam a ſe auctam S. Marcianus in „ honorem Dei Genitricis & Anaſtaſiæ Martyris, Deo dicandam „ curavit, ut Marciani Acta teſtantur, quæ deſcripſit Metaphraſtes, habetque Lipom. tom. 5. De eadem Baſilica & inſigni miraculo illic edito agit Niceph. hiſt. lib. 15. cap. 22. & „ eadem quæ diximus Marciani Acta. Eam vetuſtate conſumptam ac denuo reſtitutam, Baſilius Imperator lapideo exornavit faſtigio, ut tradit Cedrenus in Compend. hiſt. in Baſilio „ Imperatore „. Hactenus Baronius: qui tamen fallitur, dum Seniori Anaſtaſiæ, quam Sirmii paſſam dicit, titulum *quondam veneficæ* tributum aſſerit. Non Senior illa, ſed junior hæc Romana, quæ a Græcis ad XXII. Dec. colitur, *venefica*, imo *veneficiorum ſolutrix* dicitur in Menæis & in Synaxario Græco, *μνήμη τῆς ἁγίας μεγαλομάρτυρος Ἀναστασίας τῆς φαρμακολυτρίας*, *commemoratio Sanctæ magnæ Martyris Anaſtaſiæ Veneficiorum ſolutricis*: Eademque Anaſtaſia & Romana dicitur, & Epiſtolas ad S. Chryſogonum ſcripſiſſe: ejuſque Synaxis celebrari perhibetur *ἐν τῷ μαρτυρίῳ αὐτῆς, τῷ ὄντι πλησίον ἐν τοῖς Δομνίνου ἐμβόλοις* „ in ipſius martyrio, ſito juxta Domnini porticum „. Hujus autem Anaſtaſiæ de qua agitur, quæque a Latinis ad XXV. Decembris colitur, eſſe epiſtolas ad Chryſogonum, Baronius ipſe teſtatur: idque ipſum ex Nicephoro, Svida & aliis demonſtrat. At vero

alia Anaſtaſia Senior, de qua hæc Martyrol. Romanum ad 28. Octobris: „ Ibidem (ideſt, Romæ) Sanctæ Anaſtaſiæ Senioris „ Virginis, & Cyrilli Martyrum: illa in perſecutione Valeria- „ ni ſub Probo Præfecto, vinculis conſtricta, colaphis cæſa, „ igne & verberibus cruciata, quum in confeſſione Chriſti im- „ mobilis permaneret, abſciſſis mamillis, evulſis unguibus, „ dentibus comminutis, manibus pedibuſque præciſis, truncata „ capite, tot paſſionum monilibus ornata, migravit ad Spon- „ ſum. Cyrillus autem ei petenti aquam propinans, martyrium „ pro mercede accepit „ Anaſtaſia, inquam, illa Senior a Græcis & Ruſſis ad 29. Octobris, ut ſupra dictum eſt, colitur; in Menologio autem Baſiliano, ad XII. ejuſdem menſis Octobris, qua die iterum de eadem habetur Synaxarium in Menæis: eademque tam in Menæis quam in Synaxariis appellatur, *ἡ ἁγία μεγαλομάρτυρ Ἀναστασία ἡ Ῥωμαία Sancta Magna Martyr Anaſtaſia Romana*, vel *ἡ ἁγία μάρτυρ Ἀναστασία ἡ παρθένος*, *Sancta Martyr Anaſtaſia Virgo*: diciturque „ Decio & Vale- „ riano Imperatoribus, monaſticam vitam (ideſt piam, reli- „ gioſam ac Virgineam) cum aliis Virginibus in quodam mona- „ ſterio (nimirum, in communibus ædibus, ab hominum con- „ ſortio ſeparatis) agens ad Præfectum Probum delata, ejus „ juſſu collari ferreo conſtricta, & ad ipſum adducta, atque „ ab eodem interrogata, quum Chriſti nomen confeſſa eſſet, „ colaphis cæſa fuiſſe, tum nudata, ſubjecto igne ambuſta, li- „ quata pice, oleo, ac ſulphure ſuperinfuſis: mox in equuleum „ ſublatæ oſſa omnia converſo haſtili confracta: poſthæc ambæ „ mamillæ ei abſciſſæ, ungues extracti, utraque manus amputata, „ ac dentes evulſi: tandem poſt multos alios cruciatus gladio „ finem accepiſſe: nulla facti Cyrilli mentione „. Quæ verba indicant, ipſiſſimum Anaſtaſiæ Senioris martyrium, quod in Romano Martyrologio deſcribitur. Quum autem & Romana dicatur, & Romæ paſſa, non video, quomodo ſibi conſtet Emus Baronius, dum in not. ad 25. Dec. hanc Seniorem Anaſtaſiam *Sirmii* paſſam dicit.

Papebrochius ex duabus unam Anaſtaſiam facit. Sic enim ad 29. Græci Octobris metrici ſcribit. „ Anaſtaſia Publii Ro- „ mani nobiliſſimi uxor, ſub Diocletiano martyrium paſſa, co- „ litur a Latinis XXV. Decembris, cujus etiam die XXII. iterum „ Græci Anaſtaſiam colunt, non ſatis ſcio an ut diverſam: Me-

„ taphra-

„ taphrastes certe duas facit in eis quæ collegit Actis: sed Latina potiora nobis sunt, ex quibus non facile duas eliciemus „. Et ad XXII. Decemb. de Anastasia, quam Græci colunt loquens: „ Vide, inquit, quæ diximus XXIX. Octobris. Hic autem nota „ peculiare ipsi cognomen τῆς Φαρμακολυτρίας, idest, *Solutricis Veneficiorum*, sub quo ei hoc proprium festum, sed commune cum Sancto Chrysogono; ut non aliam, quam Romanam, Publii conjugem, scias posse intelligi „. Verum & Græci, & Latini duas aperte Anastasias distinguunt, quarum seniorem sub Valeriano, juniorem sub Diocletiano passam dicunt. Itaque licet utraque dicatur Romana, & Romæ passa, tot sunt tamen in utriusque Actis discrimina, ut mirum sit, ad ea Papebrochium non animum adjecisse. In primis tempus utramque distinguit: altera enim sub Valeriano fuit, altera sub Diocletiano. Deinde, junior Publium conjugem habuit, etsi corporis sui potestatem ei non fecisse dicatur, eo quod Ethnicus esset: at senior Anastasia Virgo fuit, & nemini matrimonii lege conjuncta: demum junior a Chrysogono edocta, ad eumdem Epistolas dedit: senior unacum Cyrillo passa fuit. Fateor quidem, Acta utriusque esse aliquantulum confusa: at Baronium audiamus, ita monentem: „ Monemus lectorem, de utrisque Anastasiis contigisse, ut ob commune nomen, incuria quadam, Acta communicata atque simul confusa videantur, „ ut quod alterius est, alteri tribuatur. Rursus apocrypha, quædam, imo falsa omnino ferri ex anilibus fabulis congesta de Sancta Anastasia, quod interfuerit Sanctissimo Virginis Puerperio, eo quod scilicet eadem die de ea commemoratio in Ecclesia fiat.

Ad Acta utriusque Anastasiæ quod spectat, de seniore quidem hæc Baronius ad 28. Octobris. „ Acta Anastasiæ a Metaphraste descripta recitat Lipom. tom. 6. & Sur. tom. 5. de juniore vero ad 25. Decembris. Ejus martyrii Acta a Metaphraste edita descripserunt Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. „ Alia paulo diversa in antiquo Codice manuscripto habemus, „ quorum exordium est: *Prætextati viri illustris &c.* Eadem „ Mombrit. tom. 1. Præfefert eorum titulus Anastasium Bibliothecarium auctorem, de cujus Præfatione in eadem Acta „ meminit Molanus in addit. ad Usuardum: legimus eadem „ in dicto Codice, quæ sic incipiunt: *Omnia quæ a Sanctis gesta*

„ *sunt*

,, *ſunt &c.* ,, ; Fabricius in Bibl. Græc. tom. 6. pag. 512. de Actis utriuſque. *Anaſtaſia*, Ἀναστασία γυναικῶν ἡ Καλλίστη. ,, Latine apud Sur. 6. Decemb. Aliud: Δεδοξασμένα ἐλαλήθησαν. ,, Auctor Nicetas Paphlago. Græce & Latine in Auctario no- ,, viſſimo Combefiſiano tom. 6. pag. 462.; Aliud: κατὰ τοὺς ,, Καιροὺς Διοκλητιανοῦ. Auctor incertus. Anaſtaſiæ Romanæ: ,, διττὰς ἡμῖν Ἀναστασίας. Latine apud Surium 28. Octob. ,,. Fuit & alia Anaſtaſia Romana, ſub Nerone paſſa unacum Sancta Baſiliſſa, de qua hæc in Martyrologio Romano ad xv. Aprilis: ,, Romæ Sanctarum Baſiliſſæ, & Anaſtaſiæ, nobilium femina- ,, rum, quæ quum eſſent Apoſtolorum diſcipulæ, & conſtan- ,, tes in fidei confeſſione perſiſterent, ſub Nerone Imperatore ,, lingua pedibuſque præciſis, percuſſæ gladio, martyrii coro- ,, nam adeptæ ſunt ,,. Agunt de his & Græci eadem die 15. Aprilis, earumque res geſtas, prout hic narrantur, referunt, adduntque, ab ipſis curata eſſe Corpora Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quum martyrio occubuiſſent, ob eamque cauſam comprehenſas atque interemtas fuiſſe. Earum martyrium, paſſioni Sanctæ Anaſtaſiæ Romanæ ſenioris non abſimile, in Synaxariis utriuſque Menologii ſic deſcribitur. ,, Baſiliſſa & ,, Anaſtaſia Chriſti Martyres, fuerunt ex magna urbe Roma, ,, nobiles, ac divites, & Sanctorum Apoſtolorum diſcipulæ. ,, Poſt horum vero mortem, quum venerandas eorum Reli- ,, quias nocte ſuſtuliſſent, atque curaſſent, detectæ fuerunt, ,, & tamquam Chriſtianæ denunciatæ impio & dementi Nero- ,, ni: qui illico eas comprehendi, & catenis vinctas, coram ſe ,, adduci mandavit, eaſque impulit Chriſtum abnegare. At ,, quum id ipſis perſuadere non valuiſſet, præcepit, ut in car- ,, cerem detruderentur. Poſtea vero è carcere eductas, mul- ,, tiplicibus tormentis excruciavit. Nam primum earum ubera ,, excindi, & linguas amputari: deinde ſuſpenſas dilaniari, & ,, facibus aduri; ac demum veneranda earum capita enſibus ob- ,, truncari juſſit ,,. En habemus idem martyrium, iiſdem fere verbis deſcriptum, ſed Martyrem diverſam: Anaſtaſiam Romanam, Romæ paſſam, ſed diverſo tempore, & ſub alio Imperatore: comitem martyrii habentem, ſed Baſiliſſam, non Cyrillum, neque Chryſogonum.

De-

XXIII.

DECEM MARTYRES IN CRETA.

Codex uterque Rufficus hac die vacat. Poffevinus: *SS. Martyrum Decem*. Fafti Græco-Mofchi: *Sanctorum Martyrum Decem, qui in Creta*. Nominantur hi in Synaxariis utriufque Menologii ad hanc ipfam diem, atque ex his in Romano hodierno, Theodulus, Saturninus, Euporus, Gelafius, Eunicianus, Zoticus, Pontius, Agathopus, Bafilides, Evareftus: iidemque dicuntur, in perfecutione Decii crudelia paffi, & capite cæfi. Sed Martyrologium Romanum pro Zotico, habet *Zeticum*. In Synaxariis autem, ex infula quidem Creta eos fuiffe afferitur, at non ex eadem civitate: ex Gortyna quidem Metropoli, Theodulum, Saturninum, Euporum, Gelafium, Eunicianum: ex Gnoffo vero, Zoticum: ex Epinio Leomenes, Pontium: ex Panormo, Agathopum: ex Cydonia, Bafilidem: & ex Heracleo, Evareftum. In Menæis, pro Epinio Leomenes, legitur, *Epinio Panormi*, ex quo loco ortum duxiffe dicitur Agathopus, non Pontius: omiffo autem, *ex Panormo Agathopus*, fubjungitur, *ex Cydonia Bafilides: ex Heracleo, Evareftus & Pompius*. Sic enim pro Pontio, *Pompius* habetur. Acta edidit ex Metaphrafte Lipom. tom. 5. & Surius tom. 6. Græca apud Fabricium tom. 6. pag. 520. „ Decem Martyrum Sanctorum in Creta infula. „ Ἄλλος μὲν ἄλλο τι τῆς θρυλλουμενῆς διεξιέτω Κρήτης „: Latine apud Surium 23. Decembris. Papebrochius: „ Acta apud Li- „ pomanum & Surium exftant è Græco Metaphraftis, antiquio- „ ra necdum vidimus, nec facile vifuros nos fperamus, uti nec „ plura alia, quæ poftquam ab illo fic expolita fuerunt, defie- „ runt in Græcorum Ecclefiis, primigenia fua phrafi ufurpari „. Kalendarium marmoreum Neapolitanum ad hanc diem: P. S. Decē Critis, ideft, *Paffio Sanctorum Decem Cretæ Martyrum*. In Tabulis Capponianis, exhibentur *Imagines trium*: fic enim, quando plures funt Martyres, loco omnium, duo vel tres depinguntur. At in Faftis Papebrochianis, decem Martyrum Icones apparent.

XXIV.

EUGENIA.

Codex Vaticanus fecundus vacat; primus habet pro Eugenia: *Ante Feftum Nativitatis Chrifti*. Fafti Papebrochiani: *Eugenia*. Poffevinus perperam: *S. Martyris Eufenis*, fortaffis

fis *Eugenii*, loco Eugeniæ. Menologium Basilianum: *Certamen Sanctæ Martyris Eugeniæ, & Sociorum*. Hæc in Synaxario pag. 55. dicitur, Philippi Præfecti Romæ filia, quum ejus pater Alexandriam a Commodo Imperatore, ut illius urbis Præfectus esset, mitteretur, secumque uxorem & filios duceret, abiisse & ipsa, ibique Græcorum Christianorumque literas omnes didicisse. Quumque scripturas evolvisset, incidens in Epistolas Sancti Pauli Apostoli, earum lectione fidem Christianam amplexa, virtutum omnium exercitationi sese tradidisse. Tum patrio splendore relicto, sumtoque virili habitu, in Monasterium secessisse, ibique baptizata, monasticum habitum suscepisse, quum se Eunuchum dixisset. Postea ad Philippum patrem delata, & ab illo agnita, eundem cum matre, ac propinquis ad Christi fidem traduxisse: paulo post, patre Episcopo facto, omnes tandem martyrio coronati. Eadem de Eugenia, & patre Philippo atque propinquis narrantur in Synaxario Jambico in Menæis. Colitur Eugenia a Latinis ad diem xxv. Decembris, hoc Elogio. „ Romæ in Cœmeterio Aproniani Sanctæ Euge-
„ niæ Virginis, quæ tempore Gallieni Imperatoris, post pluri-
„ ma virtutum insignia, post sacros Virginum Choros Christo
„ aggregatos, sub Nicetio urbis Præfecto, diu agonizans, no-
„ vissime gladio jugulata est „. Ejus Acta descripta a Metaphraste extant apud Lipomanum Tom. 5. & Surium Tom. 6. Græca incipiunt, Κομμόδȣ μετὰ Μάρκον τὸν αὐτȣ̃ πατέρα τὸ Ῥωμαίων σκῆπτρον ἔχοντος. *Eugenii* (idest Eugeniæ) *Martyris & ejus Parentum*. Fabric. Tom. 6. pag. 524. „ Habent ta-
„ men, ut recte observat Baronius, aliqua quæ censura indi-
„ geant; veluti quod ibi legitur de Philippo Eugeniæ pa-
„ tre, facto (ut ait Auctor) Episcopo Alexandrino: quod
„ plane commentum esse, tabulæ Episcoporum Alexandrino-
„ rum, quæ ab Eusebio in Chron. & in Hist. & a Nicephoro Epi-
„ scopo Constantinopolitano describuntur, & aliis, manifeste
„ declarant.

XXV.

NATIVITAS JESU CHRISTI.

Et Græci, & Russi, & Latini, & omnes Christiani, præter Armenios, ad hanc diem celebrant Nativitatem Domini Nostri Jesu Christi. In Græcis Menæis: ἡ κατὰ σάρκα γέννησις τȣ̃ κȣ̃ καὶ Θεȣ̃, καὶ σρ̃ς ἡμῶν ιυ̃ χυ̃. *Nativitas secundum Carnem Domi-*

Domini, Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Tria in Menologio Basiliano leguntur Synaxaria, quæ in Menæis Græcis in duo sunt distributa. Primum, de Nativitate Christi, hoc titulo, *Commemoratio Nativitatis D. N. J. C.* Initium: *ἰδὼν ὁ φιλάνθρωπος Θεός*. Pictura repræsentat, Christum recens natum, pannis involutum, positum in Præsepi, capite radiato crucigero: bovem & asinum halitu suo eum foventes: Deiparam ad caput Præsepis sedentem, puerum ex se immaculate natum adorantem: Josephum infra in angulo dextro sedentem & obstupescentem: mulierem in medio ambabus manibus Christum nudum tenentem & in catino lavantem. Superne, hinc inde duos Angelos canentes, & Deum in forma radii è cœlo descendentem, & supra Præsepe manentem: Angelum alium in sinistro angulo, manu sinistra arundinem tenentem, & dextera ad Pastorem extensa, annunciantem, natum esse Christum. Secundum Synaxarium, de Magorum adoratione; initium: *ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις*. Pictura repræsentat, in angulo sinistro sedentem Deiparam ac puerum Jesum tunica indutum ambabus manibus in sinu gestantem: coram Deipara Angelum stantem, sinistra arundinem tenentem, dextra manu commonstrantem Deiparam cum puero Jesu, capite ad Magos converso: in angulo dextro, tres Magos, duos barbatos, & unum imberbem, coronas quadratas in capite gestantes, manibus dona ferentes, & versus Christum Dominum inclinatos. Tertium Synaxarium, quod in Menæis cum secundo conjungitur, de Josepho Sponso & Custode Virginis, ab Angelo Dei admonito, ut accepto Puero, & Matre ejus, fugeret in Ægyptum. Initium: *μαθὼν Ἡρώδης ὁ τῶν Ἰουδαίων ἀρχηγός*. Pictura exhibet, Josephum in lecto jacentem, & Angelum è regione stantem, sinistra arundinem tenentem, & dextera ad Josephum extensa, admonentem, ut supra. In excusis Græcorum Menæis duæ picturæ visuntur. Prima refert, Christum natum & in Præsepi positum, Deiparam genuflexam, velum quo cooperiebatur Infantulus Jesus, auferentem, eumque Pastoribus ostendentem: Josephum, pone Deiparam, stantem & admirantem: Pastores Puerum Jesum adorantes. In angulo sinistro, Angelum è cœlo descendentem, & Pastoribus annunciantem, natum esse Christum. Altera pictura exhibet stellam supra Antrum Bethleemiticum manentem; Magos habitu Persico indutos, adorantes Christum puerum,

 quem

quem sedens Deipara, in sinu gestat: Josephum in angulo dextero adstantem.

In Tabulis Rusficis: *Rozdestwo Christa*, *Nativitas Christi*. Capponianæ Tabulæ exhibent, Christum in præsepi positum, cum epigraphe IC. XC. *Jesus Christus*. Deiparam & Josephum, necnon Pastores, eum adorantes: Deum in forma radii super speluncam illabentem. At Papebrochianæ repræsentant, Christum Dominum pannis involutum, in præsepi positum, Deiparam genu flexo eum adorantem: tres Angelos supra speluncam canentes: bovem & asinum juxta præsepe: Josephum ex Antro prodeuntem, & cum duobus Pastoribus, ac tribus Magis colloquentem, stella super Antrum manente. Papebrochius in Decembri Moschorum figurato: „ Vides hic in Tabella, Nati„ vitatis mysteria cum Magorum adoratione conjungi, tam„ quam ad unum eumdemque diem pertineant utraque, saltem „ in opinione Græcorum, a quibus sua Mosci acceperunt „. Et in Decembri metrico Græco: „ Huic mysterio (scilicet Nati„ vitatis Christi) jungunt Græci Adorationem Magorum, & „ utrumque in suis Ritualibus libris sic partiuntur, ut Nocturno „ officio præmittant Imaginem recens nati infantuli, pannis in„ voluti, jacentisque intra stabulum in Præsepi, cum reliquis „ sacræ noctis istius actis: Diurno autem officio præfigunt Ima„ ginem ejusdem velut pueri anniculi, atque in materno sinu „ jam vestiti, Magos excipientis in domo: ut licet eodem die, „ non tamen eodem anno rem actam videantur credidisse. „ Quam hoc sit Evangelicæ historiæ conforme, secutæque post „ triduum cædi, mox (*a*) declarabimus; hic juvat ipsas „ utriusque mysterii a Græcis acceptas imagines repræsentare. Prima Imago hanc habet Epigraphen. ἡ χριςῦ γέννησις, *Christi nativitas*. Superne, in medio, Radii e cælo in speluncam delapsi, desinunt in forma stellæ supra Præsepe. In angulo dextro, plures Angeli laudantes Deum: in sinistro, Angelus sinistra manu baculum tenens, dextra ad pastorem extensa, annunciat nativitatem Christi. Infra in medio, Christus infantulus pannis involutus, positus in præsepi; e regione, bovis & asini capita: ad caput Christi, Joseph genuflexus, junctis ad pectus manibus, adorat; ad pedes, Deipara genibus & ipsa flexis, junctisque

(a) Nimirum, ad diem 28. Decembris.

ctisque manibus, natum ex se infantulum adorat. Supra capita Deiparæ & Josephi, ΜΡ ΘΥ, *Mater Dei*. Pone Deiparam in angulo dextro, duo pastores; alter senior, junior alter, speluncam ingrediuntur. Secunda Imago habet istam superscriptionem: *ἡ προσκύνησις τῶν Μάγων*, *Adoratio Magorum*. Superne, Radii desinentes in stellam. In angulo dextro domus, Joseph stans: in medio, Deipara sedens puerum Jesum tunica indutum manibus in sinu gestans: Magorum senior, posita ad terram corona regia, paludatus, genibus flexis, nudo capite, barbatus, offert donum, quod a puero Jesu excipitur. In angulo sinistro, duo alii Magi adstant, unus barbatus, alter imberbis, ambo paludati, & coronati, dextera manu donum ferentes.

Tabulæ figuratæ Græcomoschæ, præter Epigraphen, *nativitas Christi*, addunt *annum a mundo condito* ͵ϛφκϛ. *5526*. ut ait Culcinius Par. 2. pag. 107. Sed, præterquam quod hoc falsum est; (nam numerus quidem ͵ϛφ, *5500*. ad nativitatem Christi pertinet; & numerus κϛ'. XXVI. denotat diem sequentem, in qua fit Synaxis Deiparæ:) stare nequit, nativitatem Christi anno mundi *5526*. contigisse, secundum communem Græcorum Russorumque epocham; Christum enim hi natum volunt anno mundi 5508. Antiocheni vero, anno 5500. Alexandrini, anno 5492. Sed hæc Antiochena & Alexandrina epocha nostris temporibus non amplius est in usu apud Orientales. In Martyrol. Rom. usurpatur annus a creatione mundi *quinquies millesimus centesimus nonagesimus nonus*. Baronius in notis: „ Scimus de annorum calculo ab origine mundi varias esse diversorum sententias; quorum alii in his septuagintaduos Interpretes, alii autem Hebraicam veritatem secuti sunt: rursumque nec in unam convenire sententiam, qui prædictos Interpretes, sicut nec qui Hebræorum Codices sunt sectati; adeoque inter se dissentire, ut licet tam Latinorum, quam Græcorum ingens sit numerus, qui tempora supputarint; nullus fere, qui alteri in omnibus consentiat, inveniatur; jureque in his dici illud possit: Quot capita, tot sententiæ „. Verum satis nobis sit, nos hic indicare, in ea Orientales omnes nunc esse sententia, ut Christum natum asserant anno mundi 5508.

XXVI.

Synaxis Deiparæ.
Euthymius.
David Rex.
Jacobus.
Joseph.

In utroque Codice Vaticano Ruthenico, *Synaxis Deiparæ*, dumtaxat. Ita & Possevinus: *Congregatio B. V. Mariæ*: & Fasti Græco moschi: *Sobor Bogorodiky*, *Synaxis Deiparæ*. Mos enim Græcorum, Russorum, aliorumque Orientalium est, subjungendi festis præcipuorum mysteriorum, synaxim propriam ejus personæ, quæ primam in mysterio quolibet partem gessit. Hinc post Christi Nativitatem sequitur Virginis ejus Matris synaxis. In Fastis Græcomoschis Pictura repræsentat, superne, Imaginem Deiparæ puerum Jesum in sinu ambabus manibus gestantis, radiosque e capite undequaque diffundentis, in orbiculo positam, & a duobus Angelis sustentatam: infra, in angulo sinistro Presbyterum & Diaconum stantes, & dextera manu eandem Imaginem commonstrantes quibusdam Russis Principibus, qui in angulo dextro stant habitu Ruthenico induti. Papebrochius: „ An hæc imago ultra aliquid significet quod Moscis „ proprium sit, ab ipsismet discere oportebit „. Culcinius Par. 2. pag. 109. „ Imago in tabulis figuratis nil aliud significat, præterquam summum gaudium, exultationemque indicibilem populi fidelis magnificantis Deiparam in ulnis Verbum incarnatum gestantem „. Significat, ni fallor, Synaxim istam Deiparæ a Russis celebrari solitam in Templo Moscuensi, quod est eidem Deiparæ dicatum, fuitque, Petro Metropolitano auctore, a Joanne Danielide Moscorum Principe circa annum 1308. erectum. Tabulæ nostræ Capponianæ exhibent in latere sinistro Deiparam sedentem, ac puerum Jesum in ulnis tenentem; populos autem in dextro latere inclinatos eamque venerantes.

In Menæis Græcis ad hanc diem: *ἡ σύναξις τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου, καὶ τοῦ ἁγίου Ἰωσὴφ τοῦ μνήστορος, καὶ μνήμη τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Εὐθυμίου ἐπισκόπου Σαρδέων*, *Synaxis Sanctissimæ Deiparæ, & Sancti Joseph Sponsi, & Commemoratio Sancti Sacromartyris Euthymii Episcopi Sardium*. Synaxarium de Deipara, duplex: primum, *εἰς τὰ ἐπιλόχια*, *In puerperium*, tres ver-

versus Jambici. Secundum, *περὶ τῆς εἰς Αἴγυπτον φυγῆς, τῆς ὑπεραγίας Θεοτόκου*, *De Fuga SSmæ Deiparæ in Ægyptum*. Duo versus Jambici, & historia ejus Fugæ: quæ narratur etiam in Menologio Basiliano ad hanc diem pag. 59. ubi titulus est: *ἡ Θεοτόκος φεύγουσα εἰς Αἴγυπτον*, *Deipara in Ægyptum fugiens*: Pictura autem repræsentat, Deiparam puerum Jesum in sinu tenentem, & insidentem jumento, quod Josephus pedes habenis ducit. Sequitur Deiparam famulus & ipse pedes: obvia autem occurrit Ægyptus in forma mulieris coronatæ, e porta civitatis exeuntis, hospitiumque tribus illis sanctissimis hospitibus, Jesu, Mariæ, Josepho, libentissime offerentis. Non absimilem (excepta fortasse Ægypti prosopopœja) figuram, testatur Culcinius Par. 2. pag. 109. in suo Anthologio se habere hac eadem die, in tabella repræsentantem fugam Jesu, Deiparæ, & Josephi in Ægyptum. Duplex ergo est causa, cur Josephus hac die unacum Deipara colatur: primum, quia in Synaxi Matris Jesu Christi decet eum jungi, qui pater putatus est: deinde, quia fugæ Deiparæ & Jesu in Ægyptum, pars maxima Josephus fuit.

Tertium hac die Synaxarium in Menæis Græcis est de *S. P. N. Euthymio Sardium Episcopo & Confessore*, qui sub Constantino & Irene fertur in Nicæna secunda Synodo pro Sacris Imaginibus decertasse; sub Nicephoro autem, Leone Armenio, Michaele Balbo, & Theophilo, multa passus. Hic igitur est Euthymius, qui in Tabulis nostris Capponianis hac die colitur. Ejus quidem mentio nulla fit in Menologio Basiliano: at in Martyrolog. Roman. ad XI. Martii expresse commemoratur, hoc addito elogio: „ Sardis sancti Euthymii Episcopi, qui ob „ cultum sanctarum Jmaginum a Michaële Imperat. Iconocla„ sta in exilium missus, demum Theophilo imperante, Mar„ tyrium consummavit „. De eo Cedrenus, & Zonaras in Michaële Balbo. Baronius in alium a Menæis Græcum Codicem inciderit, oportet, dum scribit ad XI. Martii, *Græci etiam de hoc* (Euthymio) *agunt in Menologio hac die*. Nam Basilianum quidem Menologium, ut modo dicebam, nullam de hoc Euthymio facit mentionem: Menæa vero ipsum commemorant non ad XI. Martii, ut ait Baronius, sed ad XXVI. Decembris.

Qui in Tabulis Capponianis hanc diem XXVI. Decembris exor-

exornant, *David Rex*, *Jacobus*, *&* *Josephus*, in Menæis coluntur Dominica infra Octavam Nativitatis hoc titulo: Κυριακὴ μετὰ τὴν Χριστοῦ γέννησιν. Μνήμην ἐπιτελοῦμεν τῶν ἁγίων καὶ δικαίων, Ἰωσὴφ τοῦ μνήστορος, Δαβὶδ τοῦ Βασιλέως, καὶ Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοθέου. *Dominica post Christi Nativitatem. Commemorationem peragimus Sanctorum & justorum, Josephi Sponsi, David Regis, & Jacobi Fratris Domini.* Synaxarium est de solo Davide, præmissis tamen sex Jambicis versibus de Josepho, Jacobo, & Davide. In Synaxario autem ex Apocryphis narratur, quod Nathan prævidens id quod erat David cum Bethsabee commissurus scelus, volebat quidem ad eum accurrere, ut monitis suis adulterium impediret; sed a maligno fuit impeditus: nam videns per viam cadaver hominis occisi, dum sepeliendum curat, appetente nocte, cognovit in spiritu, jam a Davide fuisse admissum facinus. De hoc autem Davidis festo hæc subjunguntur. γίνεται δὲ ἡ σύναξις ἐν τῇ μεγάλῃ ἐκκλησίᾳ, καὶ ἐν τῷ ἀποστολείῳ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ ἀδελφοῦ τοῦ κυρίου ἔνδον τοῦ σεβασμίου οἴκου τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου τῶν χαλκοπρατείων: *Agitur Synaxis in magna Ecclesia, & in Templo S. Apostoli Jacobi Fratris Domini, intra Venerabilem Domum Sanctissimæ Deiparæ Chalcopratiorum.* Hæc in Dominica. At in die XXVI. Decembr. præter communem Deiparæ Synaxim, fit etiam specialis μνήμη τῆς ἐν τῇ ἁγίᾳ σορῷ ἀποτεθείσης τιμίας ἐσθῆτος τῆς ὑπεραγίας θεοτόκου ἐν Βλαχέρναις. *Commemoratio Venerandæ Vestis Sanctissimæ Deiparæ, depositæ in sacro loculo in Blachernis.* Cæterum *Jacobi Adelphothei* festum proprium agitur XXIII. Octobris a Græcis, a Latinis autem ad I. Maji. *Davidis* Regis, alia nulla apud Græcos commemoratio fit, distincta ab hac Dominica post Nativitatem, & a commemoratione omnium progenitorum Christi, quam faciunt Dominica ante Nativitatem, seu ad diem XVII. hujus. Martyrologi Latini, Usuardus & Ado, & alii post eos, *Davidis* nomen adscribunt XXIX. hujus: *nescio quem antiquiorem secuti*, inquit Papebrochius. Sed res est plana: quum enim Græci de Davide agant Dominica post Nativitatem Domini, Latini fixam, non mobilem, ei assignarunt diem XXIX. Decembris. Quod de Davide dictum est, idem de *Josepho Sponso* dicendum: ejus scil. commemorationem a Græcis peragi in duabus Dominicis, ante, & post Nativitatem: præterea in die 26. Dec. unacum Synaxi Deiparæ. A Latinis colitur

litur ad 19. Martii „ festo, ut ait Papebrochius, non valde anti-
„ quo: quamquam Petrus de Natalibus præsumat ex Eusebii
„ Cæsariensis exemplaribus sumptum illud festum videri in anti-
„ quis quæ allegat Kalendariis „. Sed vereor, inquit idem Papebrochius „ ne quæ in Hieronymiano Martyrologio legebantur
„ verba, *in Antiochia Joseph*, Martyrem aliquem Antiochenum
„ significent, juxta ordinarium istius Martyrologii stylum: quod
„ deinde, omisso nomine *Antiochiæ*, applicaverint alii *Josepho*
„ *Sponso*; ideoque mallem inter Sanctos istius diei martyres, saltem sub dubio, actum fuisse a nobis *de Josepho Antiocheno*.

Verum non cum Josepho Sponso Antiochenum Martyrem confundendo, sed alias ob mysticas rationes, a Latinis Josephum Sponsum ad diem XIX. insertum fuisse ex dicendis patebit, enumeratis prius aliis Josephis, quos & Græci & Latini in antiquis recentibusque Fastis commemorant.

Horum primus est *Joseph justus*, ex numero LXXII. discipulorum, *Barsabas* cognominatus, quem Apostoli, cum B. Mathia statuerunt, ut locum Apostolatus Judæ proditoris impleret: Sed quum sors cecidisset super Matthiam, ipse nihilominus prædicationis & sanctitatis officio inserviens, in Judæa victorioso fine quievit: colitur in Rom. Martyr. ad 20. Julii. Meminit Beda, Usuardus, Ado, & alii Græci peculiarem ei cultus diem non assignant. Secundus, *Joseph Comes*, cujus admirabilem sub Constantino Imp. ex Judaica perfidia ad Christum conversionem & fidei constantiam adversus Arianos, pluribus describit S. Epiphanius in Panario hæres. 30. contra Ebionitas: apud hunc hospitio susceptus est Scythopoli in Palæstina S. Eusebius Episcopus Vercellensis pro Fide Catholica exul, quando eum invisit idem Epiphanius, qui hæc refert. Colitur a Latinis ad XXII. Julii, non tamen a Græcis, uti Baronius existimat. Tertius *Joseph ab Arimathea*, nobilis decurio, discipulus Domini, qui corpus Domini de cruce depositum in monumento suo novo sepelivit, uti Evangelica habet historia. A Latinis colitur ad 17. Martii: Græci in Officio Feræ VI. majoris hebdomadæ laudant: nullam tamen ejus cultui assignant diem. Quartus *Josephus Diaconus*, sacrorum Hymnorum Cantor, qui temporibus Theophili Imp. ob cultum Sanctarum Imaginum factus est confessor illustris. De eo Martyrol. Rom. ad 15. Februar. *Antiochiæ Sancti Joseph Diaconi*. Beda, Usuardus, ac ceteri de eodem hac die; Græci autem

autem 3. Aprilis, qui & illum Presbyterum ordinatum dicunt; & sacrorum vasorum in magna Ecclesia custodem fuisse, & Constantinopoli decessisse; ortum autem duxisse ex insula Siciliæ: unde non video, quare *Antiochiæ* cultus, vel natus, vel mortuus dicatur in Martyr. Rom. Alii Josephi Martyres commemorantur in Menæis, & in Martyrologio Romano, uti *Joseph* Presbyter Socius *Acepsimæ & Aithalæ* a Latinis ad 22. Apr. a Græcis ad 3. Novemb. *Joseph Episcopus* Socius *Narsetis*, a solis Græcis ad 20. Nov. *Joseph* cum Photina & Sociis, in Martyrol. Rom. & in Menol. Basiliano ad 20. Martii; at in Menæis Græcis ad XXVI. Febr. Alios demum Græci *Josephos* Episcopos commemorant, ut *Josephum* Patriarcham CP. ad 30. Octob. & *Josephum* Archiepiscopum Thessalonicæ ad 14. Jul. & ad diem sequentem; qui postremus frater fuit Theodori Studitæ, alius proinde a Josepho Hymnographo, quem Baronius Diaconum in hodierno Romano ad diem 15. Februarii vocat. Undenam autem hic Josephus, sacrorum Hymnorum Cantor, qui perperam *Diaconus* appellatur, in Romanum hodiernum cum hoc elogio, *Antiochiæ S. Josephi Diaconi*, irrepserit, cl. Sollerius docet in Actis Sanctorum Tom. 6. Junii in observationibus ad Martyrologium Usuardi, die 15. Febr. pag. 103. his verbis: „ Id vero universim observandum, nec hos nec ferme ullos alios „ Codices nostros, usquam meminisse *Josephi Diaconi Antiocheni*, quem interim Grevenus & Molanus Usuardi textui „ adnectunt, Baronio & aliis eorum opinionem sequentibus. „ Ego Codicum nostrorum auctoritatem illis duobus præponderare, indubitanter censeo, non inverisimiliter suspicans, „ eam annunciationem ex Rabano, vel Notkero, in Usuardinos paucos Codices irrepsisse. Porro *Joseph* iste sub nomine „ *Jusippi*, *Joseppi*, *& Josippi* in Hieronymianis Apographis „ notus est, ubique cum titulo *Diaconi*, & tamquam majoris „ cohortis antesignanus „. Hæc Sollerius. Ego vero *Martyrologia Hieronymiana Contracta*, ab ipso Sollerio tom. 7. Junii edita, accurate diligenterque evolvens, tres Josephos ibi commemoratos invenio, quorum Primus ad XV. Kalen. Mart. Secundus ad XIII. Kal. Apr. Tertius ad XII. Kal. Apr. colitur. *Martyrologium Rhinoviense*, XIII. *Kal. Apr.* In Antiochia *Joseph*, & in alio loco, Pauli, & Cyrilli, Eugenii, Serapionis. XII. Kal. Apr. In Alexandria, Serapionis, *Josippi*, Volusii. Desideratur

deratur primus: nam aliquot folia exciderunt. *Martyrologium Augustanum Monasterii S.Udalrici.* xv. *Kal. Mart. Joseppi.* XIII. Kal. Apr. *Joseph*, Pauli, Cyrilli, Eugenii, Serapionis, Claudii. &c. XII. Kal. Apr. Alexandriæ, Serapionis, *Josippi*, Volusiani. *Martyrologium Labbeanum*, xv. *Kal. Mart.* Josippi. XIII. Kal. Apr. *Joseph*, Pauli, Cyrilli, Eugenii, Serapionis, Claudii. XII. Kal. Apr. Alexandriæ, Serapionis, *Josippi*, Volusiani &c. *Martyrologium Richenoviense* xv. Kal. Mart. *In Antiochia Josippi Diaconi*. XIII. Kal. Apr. In Antiochia, *Joseph*. Et in alio loco, Pauli, & Cyrilli, Eugenii, Serapionis &c. XII. Kal. Apr. In Alexandria, Serapionis, *Josippi*, Volusii, &c. *Martyrologium Corbejense* brevius. xv. Kalend. Mart. In Antiochia, Natalis *Joseppi* Diaconi. XIII. Kal. Apr. In Antiochia, *S. Josephi*, Lucæ. In Syria, Pauli. XII. Kal. Apr. In Alexandria, Serapionis monachi, *Joseph*, Volociani. *Martyrologium Reginæ Sueciæ*, olim Senonense S. Columbæ, nunc *Vaticanum*. xv. Kal. Mart. In Antiochia, *Jusippi Diaconi*. XIII. Kal. Apr. In Antiochia Natalis *S. Joseph*. In Siria Pauli, Cirilli cum aliis IX. XII. Kal. Apr. In Alexandria, S. Serapionis monachi, & aliorum IX. En habemus, primo *Josephum* seu *Josippum* socium Serapionis, Alexandriæ passum, ad XII. Kal. Aprilis, hoc est ad 21. Martii, cujus tamen nulla mentio in Martyrol. Rom. neque in Usuardino, in quibus solus commemoratur *S. Serapion Anachoreta, magnarum virtutum vir*, postea Thmuitanus Episcopus, uti exponit Baronius in notis, qui ibidem ex Romano hodierno addit, Alexandriæ commemorationem SS. Martyrum, qui sub Constantio & Philagrio præfecto, irruentibus Arianis & Gentilibus in Ecclesiam, die Parasceves cæsi sunt. Inter hos, fuisse *Josephum*, Volusianum & alios, nullus dubito; etiamsi enim in Martyrologio Reginæ Sveciæ non adsit Josephi nomen, in aliis tamen exprimitur. Habemus Secundo, ad XIII. Kal. Apr. idest ad 20. Martii, *Josephum* seu *Josippum*, in *Antiochia passum*, qui alicubi *Diaconus* dicitur, idemque nunc conjungitur cum Paulo, Cyrillo, Eugenio & Sociis; nunc vero ab his separatur, & Josephus etiam sine Diaconi titulo appellatur: coluntur autem *Paulus*, *Cyrillus*, *Eugenius*, *& alii quatuor* in Martyrol. Rom. ad hanc ipsam diem 20. Martii: ac proinde suspicari quis possit, *Josephum Diaconum*, qui in nonnullis exemplaribus *in Antiochia* ponitur, & disjungitur a Mar-

tyribus Paulo, Cyrillo & Sociis, qui *in Syria* passi dicuntur, ipsum esse Pauli Sociorumque comitem. Habemus tertio, alterum, an eundem, *Josephum*, ad xv. Kal. Mart. idest 15. Febr. qui *Joseppus*, *Josippus & Jusippus* etiam dicitur, & in nonnullis quidem Apographis absolute, sine loco, & sine dignitate nominatur; in quibusdam vero eodem elogio, ac Josephus ad XIII. Kalend. Aprilis, ornatur sic: *in Antiochia Josephi Diaconi*. Quod argumento est, aut de eodem Josepho Diacono ad 15. Febr. agi, de quo iterum ad 20. Martii agitur; aut si de diverso, nimirum de Josepho Sacrorum hymnorum auctore, quem vult Eminentissimus Baronius ad diem 15. Februarii a Latinis coli; in ea Martyrologia per errorem irrepsisse & *Diaconi* titulum: is enim Presbyter fuit; & *Antiochiam* civitatem: in Sicilia enim ortus, Constantinopoli decessit. Cæterum quod Papebrochius suspicatur, Latinos omisso *Antiochiæ* nomine, & *Diaconi* titulo, applicasse *Josepho Sponso* quæ ad xx. Martii de Josepho supra recitavimus: id, inquam, speciem veri non habet: nam in ipso Richenoviensi Martyrologio, in quo ad xx. Martii legitur, *in Antiochia*, *Joseph*, ad xix. ejusdem sic habetur: *Bethlehem Sancti Josephi Nutritoris Domini*. Itaque alia quærenda est causa, cur in hodierno Romano *Sanctus Joseph Sponsus* ad xix. Martii potius, quam ad aliam diem sit positus. Ego vero existimo, eam fuisse diem Sancto Deiparæ Sponso idcirco assignatam, quia antiqui Martyrologi in eum mensem conjicere solent quidquid ad *Verbi Incarnationem*, seu *Deiparæ Annunciationem*, & ad *Passionem*, seu *Crucifixionem Domini*, spectans, certum non habet tempus. Sic Joachimus Deiparæ parens ad xx. Martii colitur; & Josephus Deiparæ Sponsus ad xix. ejusdem. Josephus ab Arimathea, curator sepulturæ Domini, ad XVII. Passio S. Jacobi Apostoli Fratris Domini ad xxv. demum Sanctus Latro, qui in Cruce confessus est Christum, ad eandem diem xxv. Præterea id in mente habuisse Latinos, ut ad xix. & xx. Martii, Josephum Deiparæ Sponsum, & Joachimum Patrem ponerent, verosimile est, quod Græcos movit, ut in Dominica Nativitatem Christi antecedente, Progenitores ejusdem, inter quos & Josephus erat, commemorarent. Qui enim primam aut saltem aliquam in festis præcipuorum mysteriorum partem gesserunt, eos nunc ei mysterio anteponi, nunc subjungi, in more fuit, quemadmodum

ex

ex Kalendariis conſtat. Hanc ob cauſam, ut Fidelium pietati conſuleretur, cupientium, Sancti Joachimi patris Deiparæ feſtum majori, quam antea, ſolemnitate celebrari, ſimulque feſta, ut vocant, de præcepto, non multiplicarentur, ſapientiſſime in nupero Romano Kalendario proviſum eſt, ut prima poſt Deiparæ Filiæ Aſſumptionem in cœlos Dominica, Joachimi patris commemoratio recoleretur: ſic enim & Græci in prima poſt Chriſti Nativitatem Dominica, Synaxim Davidis Regis, Joſephi putativi patris, & Jacobi, qui frater Domini appellari meruit, ſolemniter peragunt.

XXVII.

STEPHANUS.
THEODORUS.

Codices Vaticani Ruthenici: *Stephanus Protomartyr*. Poſſevinus: *S. Martyris Stephani*. Faſti Papebrochiani: *Stephanus, Theodorus*. In Menæis Græcis: τῦ ἁγίυ πρωτομάρτυρος καὶ Ἀρχιδιακόνυ Στεφάνυ, καὶ τῦ ὁσίυ πρ̃ς ἡμῶν καὶ ὁμολογητῦ Θεοδώρυ τῦ Γραπτῦ καὶ αὐταδέλφυ Θεοφάνυς τῦ ποιητῦ. „ Sancti Protomartyris & Archidiaconi Stephani, & S. P. N. & Confeſſoris „ Theodori Grapti, fratris germani Theophanis Poëtæ „. De utroque habetur Synaxarium ad hanc diem XXVII. Decembris. At in Menologio Baſiliano ſeorſim coluntur; & Stephanus quidem hac ipſa die, ubi depingitur pag. 60. in genua procumbens & a Judæis lapidibus obrutus, apparente è nubibus Deo in forma humani brachii, radios ad ipſius Stephani Caput effundentis. Theodorus vero ad diem ſequentem, hoc eſt 28. Decembris hoc elogio: „ Certamen Sancti Patris noſtri Theodori Grapti. „ Hic fuit ex Syria unacum fratre ſuo Theophane Canonum „ Scriptore. Et primum quidem in Laura Sancti Sabæ monaſticam vitam amplexus, virtutibus excolendis totum ſe addixit: deinde Conſtantinopolim profectus, Theophilo Iconomacho imperante, quum ſanctarum Imaginum cultum ejurare detrectaret, acubus perfoſſus, atramentoque in facie notatus, ac veluti maleficus & fugitivuus ſervus, contumelia affectus, in exilium ejicitur „. Cætera. Hinc, Theodorus unacum fratre Theophane, ab inuſtis fronti literis, *Graptus* cognominatus. Utriuſque nomen hodierno Romano inſcriptum eſt: utriuſque communia Acta a Metaphraſte ornata extant Latine

tine impressa apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 6. Græca incipiunt: *τῶν ὑπὲρ Χριστοῦ τὴν ἄθλησιν ἑλομένων*: prodieruntque Græce & Latine cum Combefisii versione & notis in ejus manipulo Rer. Constantinopolitanar. pag. 191. Paris. 1664. Græci in Menæis separatim agunt, de Theodoro quidem hac die 27. Decembris: de Theophane autem ipsius fratre, ad XI. Octobris, hoc Elogio: *τοῦ ὁσίου πρὸς ἡμῶν καὶ ὁμολογητοῦ Θεοφάνους, ἀδελφοῦ τοῦ ἁγίου Θεοδώρου τοῦ Γραπτοῦ, τοῦ Μητροπολίτου Νικαίας τοῦ Ποιητοῦ καὶ Γραπτοῦ*: „ S. P. N. & Confessoris Theophanis, fra„ tris Sancti Theodori Grapti, Metropolitæ Niceæ & Poëtæ & „ Grapti „. Vide quæ supra adnotavimus ad XI. Octobris, quo die pro Theodoro, cujus nomen in Tabulis Russicis Capponianis legitur, reponendus est omnino *Theophanes*. Menologium Basilianum de solo Theodoro agit ad XXVIII. Decembris. At Martyrologium Romanum conjunctim de utroque ad hanc diem XXVII. Decembris. In Synaxario Græco, quod legitur in festo Sancti Theodori Grapti descripti sunt XII. versus Jambici, quos impius Theophilus candenti ferro inscribi jussit in fronte Sanctorum fratrum Theodori ac Theophanis.

Ad Sanctum Stephanum venio. Colitur a Latinis Natalis ejus dies postridie Nativitatis Christi, hoc est ad XXVI. Decembris: qua die ipsum martyrio Hierosolymis defunctum esse asserunt Sanctus Augustinus, Fulgentius, & alii Latini Patres & Græci in homiliis, quas ea die habuerunt; idque adeo firmum ratumque majores habuere, ut in omnibus antiquis Kalendariis & Sacramentariis ea dies consecrata natalitio Protomartyris assignetur. At Græcorum Menologia & Kalendaria tam vetusta, quam recentia, diem sequentem, hoc est XXVII. Decembris, ejus cultui tribuunt, in eaque passum sepultumque Sanctum Protomartyrem Synaxaria narrant: an quia Synaxis Deiparæ in die antecedenti peragitur? an potius, quia die XXVI. Decembris lapidibus obruto Sancto Stephano, non potuit, nisi ad sequentem diem, ipsius sacrum Corpus Caphargamalam deferri, ibique ejus sepultura curari? Quemadmodum in Epistola Luciani Presbyteri de Reliquiarum S. Stephani inventione, inducitur S. Gamaliel id ita factum narrans. Nam quod nonnulli ad 3. Augusti passum Sanctum Stephanum ex eo asserunt, quod in antiquis Martyrologiis notetur ad eam diem ipsius *Commemoratio*, nulla facta Translationis sive Inventionis Reliquiarum mentione;

ne;

ne; id, inquam, a Baronio in notis exploditur. Et ad Græca Menologia quod spectat, in omnibus ad 2. non ad 3. Augusti recolitur Reliquiarum ipsius Translatio, & ad 15. Septembris Inventio; nullum vero reperire est Menologium, quod præter hanc diem XXVII. Decembris, Sanctum Stephanum passum & sepultum testatur. In ea autem Menologia errorem irrepsisse certum est, dum Sancti Stephani Corporis Inventio & Translatio perhibetur contigisse temporibus *Constantini Magni Imperatoris*, *Joanne Hierosolymitanam Ecclesiam administrante*: nam primo Constantini Imperatoris & Joannis Patriarchæ tempora non conveniunt; deinde literæ Luciani ab omnibus comprobatæ, notant Consules, quibus ea contigit, nimirum Honorio X. & Theodosio VI. Coss. qui quidem annus longe distat a temporibus Constantini Magni. Sed de Inventione & Translatione alibi sermo erit. Cæterum non est hoc loco omittendum quod & Lucianus Presbyter & Basilius Seleuciensis in orat. de Sancto Stephano asserunt, in Theca, ubi Corpus Sancti Stephani in Caphargamala vico xx. millibus passuum ab Hierosolymis distante jacebat „ insculptum fuisse Martyris nomen lingua Hebraica „ χελιήλ, quod Stephanum idest coronam interpreteris „. Hæc illi. Verum non Hebraice, sed Syriace ܟܠܝܠ *Chelil* est corona, & ܟܠܝܠܐܝܠ *Chelilael*, corona Dei.

XXVIII.

Bis decem millia Martyrum Nicomediæ Combustorum.

Codex primus Vaticanus Russicus hac die de *Nativitate Christi*, hoc est de die infra Octavam, agit dumtaxat. Possevinus minuit numerum sic: *Sanctorum Martyrum* 10000. hoc est, decem millium. Fasti Græco-Moschi numerum non exprimunt: „ Sviatich Mucenik V Nikomediy Sozzennich, Sancto- „ rum Martyrum Nicomediæ combustorum „. Pictura repræsentat in Templo Episcopum, Presbyteros duos, Diaconum, Monachum stantes; reliquos jacentes Martyres. Menologium Basilianum ad hanc diem tria habet Synaxaria. Primum pag. 63. *Certamen Sanctorum Martyrum Indis Eunuchi, & Domnæ*. Alterum pag. 64. *Certamen Sanctorum viginti millium Martyrum*: depinguntur, intra Ecclesiam subjecto igne concremati: Tertium pag. 65. *Certamen Sanctorum, qui ex cætu, & ex rogo Sanctorum Martyrum superfuerunt*: nimirum *Indes*, *Gorgonius*, *Petrus*,

Petrus, *Zenon copiarum Dux*, *Dorotheus Præpositus*, *Mardonius*, *Mygdonius*, *Glycerius Presbyter*, *Theophilus Diaconus*, & *Sancta Domna*, quæ eorum Reliquias in unum collectas, honesto loco abscondidit. Menæa Græca ad eandem diem: *τῶν ἁγίων δισμυρίων τῶν ἐν Νικομηδείᾳ καέντων*, *Sanctorum bis decem millium Nicomediæ combustorum*. Ibidem tria Synaxaria, sicut in Menologio Basiliano, sed expresso *S. Anthimi* Episcopi nomine, quod ibi tacetur. Subjunguntur disticha de eorum martyrio, qui igni superfuerant. Coluntur in Martyrologio Romano ad xxv. Decembris hoc elogio. „ Nicomediæ „ passio multorum Martyrum, qui quum in Christi Natali ad „ Dominicum convenissent, Diocletianus Imperator januas Ec„ clesiæ claudi jussit, & ignem circumcirca parari, tripodem„ que cum thure præ foribus poni, ac præconem magna voce „ clamare, ut qui incendium vellent effugere, foras exirent, „ & Jovi thus adolerent: quumque omnes una voce respondis„ sent, pro Christo se libentius mori, incenso igne consumpti, „ eo die nasci meruerunt in cœlis, quo Christus in terris pro „ salute Mundi nasci dignatus est „. Et nequis existimaret, alios hic designari Nicomedienses Martyres ab iis, quos Græci viginti millia fuisse dicunt, & ad hanc diem xxviii. Decembris colunt, addit Eminentiss. Baronius hanc notam: „ Græci „ autem ut horum solemnitatem celebrius agerent, transtule„ runt eam post diem sequentem [imo ad tertium ab hinc diem] „ in Menologio his verbis: „ Certamen viginti millium Mar„ tyrum sub Maximiano Imp. apud Nicomediam combustorum. „ Pluribus autem de his Nicephorus hist. lib. 7. cap. 6. ubi & „ ea quæ hic leguntur, fusius explicantur „. Papebrochius in Metrico Græco Decembri, post hunc hexametrum:

Ἀνέρας ὀγδοάτῃ κτάνεν εἰκάδι δισμυρίους πῦρ.
Bis decies dat mille viros lux proxima flammis.

„ Nicephorus, inquit, Callistus lib. 7. cap. 6. tot ferme fuisse „ ait promiscui sexus, ætatis & conditionis homines, qui ad „ celebrandum Dominicum Natalem congressi in Templum, „ simul cum eo flammis succensi, pro fide occubuerint Nico„ mediæ sub Maximiano. Baronius Græcorum exemplo Sacris „ Fastis eos adscripturus in hodierno Romano, maluit id face„ re die præcedenti (*imo*, *tertia abhinc præterita die*, idest „ xxv. *Decembris*:) & immodicum esse videns numerum (quis

„ enim

„ enim credere possit Christianos eo tempore habuisse Eccle-
„ sias tam capaces ?) satis habuit, *multa millia* scribere. Meta-
„ phrastes in Actis SS.Indes & Domnæ,inducit Archidiaconum,
„ congregatos hortantem ad Martyrium; qui ipsos, *multitudi-*
„ *ne pene innumerabiles*, compararit tribus Pueris Babylonicæ
„ fornacis: & his Actis titulus est: Μαρτύριον τῶν ἁγίων δισμυ-
„ ρίων. Utinam originalia, & Metaphraste antiquiora extarent
„ Acta! silentium enim Eusebii, haud facile omissuri marty-
„ rium, exteris omnibus quæ ab eo commemorantur, longe
„ memorabilius, vereri me cogit, ne ipsa sint ex eorum nume-
„ ro, quæ fabulosis plane circumstantiis exaggerata invenit Me-
„ taphrastes, suaque eloquentia sic expolivit, ut prima fronte
„ non appareant manifeste falsa. Magno certe examine adhuc
„ egent Acta ista„. Hæc Papebrochii prudentissima admonitio eo me impulit, ut in Acta ipsa curiosius investigarem; atque, ut veritas magis elucesceret, in Martyres omnes Nicomediæ passos, qui in Martyrologiis coluntur, accurate inquirerem.

In Martyrologio itaque Romano, quos ad nostros hosce Martyres spectare certo deprehendi, hi Nicomediæ passi commemorantur. Primo, *Sanctus Anthimus Episcopus*, cujus elogium ad vigesimam septimam Aprilis est hujusmodi:
„ Nicomediæ natalis Sancti Anthimi Episcopi & Martyris,
„ qui in persecutione Diocletiani ob confessionem Christi,
„ Martyrii gloriam capitis obtruncatione suscepit. Secuta
„ est quoque illum universa pene gregis sui multitudo,
„ quorum alios Judex gladio obtruncari, alios ignibus confla-
„ grare, alios naviculis impositos pelago immergi fecit „. Baronius. *De eo item hac die Beda, Usuardus, Ado, ac cæteri Latinorum. Græci autem in Menolog. III. Non. Septembris*. Addunt Græci ad eandem diem 3. Sept. *Zenonem* [& Latini ibidem *Charitonem*] quorum *Zeno* in lebetem liquati plumbi conjectus est, *Chariton* in fornacem ignis immissus: necnon *Basilissam* Virginem & Martyrem novennem, quæ in persecutione Diocletiani sub Alexandro Præside quum verbera, ignes ac bestias divina virtute superasset,in oratione spiritum reddidit. Subjungit Baronius ad 27. Apr. „ Scribit de Anthimo Eusebius hist.
„ lib. 8. cap. 6. & Nicephorus hist. lib. 7. cap. 6. & 16. Exstant
„ ejus Acta a Metaphraste descripta: retulit eadem Lipoman.
„ tom. 6. & Sur. tom. 2. Successit hic sancto Cyrillo ejusdem
„ civi-

„ civitatis Episcopo, ut testantur Acta sanctorum Martyrum „ Indes & Domnæ quæ recitat Metaphrastes VII. Kal. Januarii, „ ex quo Lipom. tom. 5. & Surius tom. 6. „ Græca Acta *S. Anthimi* Episcopi Nicomediensis incipiunt: τίς ἐκ Οἶδε τὸν Νικομήδους. Prodierunt Tom. 3. Act. Sanctor. XXVI. Apr. pag. LX. e MS. Regis Galliæ: & Latine pag. 483. apud Lipom. Tom. 6. ad III. Septemb. & Surium ad XXVII. Aprilis. *Indi, Domnæ, & sociorum*, Græce incipiunt: Ἄρτι Μαξιμιανοῦ δεύτερον ἔτος ἄγοντος ἐν τῇ Ῥωμαίων ἀρχῇ. Latine apud Surium 26. Decembris. In Synaxario Græco ad 3. Sept. *Alexander* Præses ad Christi fidem a S. Basilissa conversus, adductus dicitur ab eadem sancta Virgine ἐν τῇ Ἐκκλησίᾳ πρὸς Ἀντώνιον τὸν Ἐπίσκοπον. *in Ecclesiam ad Antonium Episcopum*, a quo & baptizatus fuit. An hic Antonius Anthimi successor fuit, aut Cyrilli decessor? an vero pro Antonio reponendum *Anthimi* nomen?

Secundo, *SS. Dorotheus & Gorgonius*. Martyrol. Rom. ad 9. Septembr. „ Nicomediæ passio SS. Martyrum Dorothei, „ & Gorgonii, qui apud Diocletianum Augustum honores am„ plissimos consecuti, quum persecutionem, quam ille Christianis „ inferebat, detestarentur, præsente eo, jussi sunt primo ap„ pendi, & flagris toto corpore laniari, deinde visceribus pel„ le nudatis, aceto & sale perfundi, sicque in craticula assari, „ atque ad ultimum laqueo necari „. Baronius: „ De his Be„ da, Usuardus, Ado, & alii recentiores. Scribit horum res „ gestas Eusebius hist. lib. 8. cap. 1. & 6. & Niceph. lib. 7. c. 2. „ & 5. Plura de iisdem in Actis Sanctorum Indes & Domnæ, „ quæ refert Metaphrastes die 26. Decembris: ubi tamen Do„ rotheum capite amputatum, Gorgonium vero molari lapide „ ad collum ligato Martyrium consummasse, eadem Acta testan„ tur „. Cætera.

Tertio, *S. Petrus, Egdunius Presbyter, & alii septem*. Martyrol. Rom. ad 12. Martii. „ Nicomediæ passio B. Petri „ Martyris, qui quum esset Cubicularius Diocletiani Imperato„ ris, & liberius de immensis Martyrum suppliciis querere„ tur, jubente eodem, in medium adducitur, ac primo suspen„ sus, diutissime flagris torquetur, deinde aceto ac sale „ perfusus, ad ultimum in craticula lento igne assatus &c. Ibi„ dem Sanctorum Egdunii Presbyteri, & aliorum septem, qui „ singuli diebus singulis suffocati sunt, ut cæteris metus incute-

„ re-

„ retur „. Baronius ad eandem diem. „ De eo [Petro] item „ Beda, Usuardus, Ado, & alii. Scripsit ejus egregium certa- „ men Eusebius hist. lib.8. cap. 6. & ex eo Niceph. lib.7. cap.5. „ & alii acceperunt. *Et infra de Egdunio*, alias *Migdonio*. De „ quo iidem qui supra, Beda, & alii. Passus reperitur Migdo- „ nius una cum Petro, de quo egimus, in persecutione Dio- „ cletiani, ut & testantur Acta Indes & Domnæ apud Meta- „ phrastem 26. Decembr. quæ refert Lipom. tom.5. & Sur. „ tom. 6. & Niceph. lib. 7. cap. 5. ex quibus hos illos ipsos esse, „ locus, tempus, & personæ demonstrant; licet historia de „ ipsis diversa feratur „. At in Actis SS. Indes & Domnæ, *Glycerius Presbyter* dicitur, non *Egdunius* sive Migdonius. Quinimo in ipso Martyrol. Rom. *Migdonius*, *&* *Mardonius* ad 23. Decemb. coluntur. Duo autem Migdonii in iis Actis non apparent. Glycerius vero Presbyter in eod. Martyr. ad 21. Decemb. commemoratur.

Quarto, *S. Joannes*. Martyrol. Rom. ad 7. Sept. „ Ni- „ comediæ natalis B. Joannis Martyris, qui quum videret cru- „ delia edicta adversus Christianos in foro pendere, fidei ardo- „ re accensus, injecta manu, illa detraxit atque discerpsit; „ quumque hoc relatum esset Diocletiano & Maximiano Augu- „ stis in eadem urbe constitutis, omnia suppliciorum genera in „ eum experiri jusserunt: quæ vir nobilissimus tanta alacritate „ vultus ac spiritus pertulit, ut ne tristis quidem pro his videri „ potuerit „. *Baronius*. De eodem hac die Beda, Usuardus, „ Ado, & alii recentiores. Ejus autem fidei constantem confessio- „ nem, & diros cruciatus scribit Eusebius hist. lib. 8. cap.5. & Ni- „ ceph. lib.7. cap.5. & licet nomen non explicent, reapse de eo „ sentire, certum est.

Quarto, *S. Euthymius Martyr*. Martyrol. Rom. ad 24. Decemb. „ Nicomediæ S. Euthymii Martyris, qui in persecu- „ tione Diocletiani, quum multos ad Martyrium præmisisset, „ ipse ense transfixus, secutus est ad coronam. *Baronius*. De „ eodem in iisdem Actis Sanctorum Indes & Domnæ habetur „ mentio, apud Metaphrast. die 26. Decemb. Lipoman. tom.5. „ & Sur. tom. 6.

Sexto, *S. Glycerius Presbyter*. Martyrol. Rom. ad XXI. Dec. „ Nicomediæ S. Glycerii Presbyteri, qui in persecutione „ Diocletiani multis tormentis vexatus, in ignem demum con-

„ jectus, Martyrium consummavit. *Baronius*. De quo Græci „ in Menologio. Meminit ejusdem Niceph. histor. lib. 7. „ cap. 6. & Metaphrastes in Actis Sanctorum Indes & Do- „ mnæ, die 26. Decemb. apud Lipom. tom. 5. & Sur. tom. 4. [imo 6.]

Septimo, *S. Zenonis*. Martyr. Rom. ad XXII. Decemb. „ Nicomediæ Sancti Zenonis militis, qui quum Diocletianum „ Cereri immolantem derisisset, maxillis confractis, dentibusque „ excussis, capite truncatus est. *Baron.* Ejus certamen describi- „ tur in Actis Sanctorum Indes & Domnæ, apud Metaphrastem „ die 25. [imo, 26.] Decemb. Habet eadem Lipom. tom. 5. „ & Surius tom. 6.

Octavo, *SS. Migdonius*, *Mardonius*, quidam *Diaconus*, *&* *XX. Martyres*. Martyrolog. Rom. ad XXIII. Decembris. „ Nicomediæ natalis Sanctorum viginti Martyrum, quos Dio- „ cletiani persecutio gravissimis tormentis cruciatos, Martyres „ Christi fecit. Ibidem passio sanctorum Migdonii, & Mardo- „ nii, quorum alter in eadem persecutione igne crematus, al- „ ter in fossam projectus occubuit. Tunc etiam passus est Dia- „ conus S. Anthimi Episcopi Nicomediensis, qui quum literas „ perferret ad Martyres, a Gentilibus tentus, & lapidibus „ obrutus, migravit ad Dominum. *Baronius*. Viginti Marty- „ rum. Beda, Usuardus, Ado, Petr. in Catal. lib. 1. cap. 84. & „ alii recentiores hac die. *Ibidem*. Migdonii & Mardonii. Ho- „ rum Martyrium recensetur in Actis SS. Indes & Domnæ, apud „ Metaphrast. die 26. Decemb. ex quo Lipoman. tom. 5. & Su- „ rius tom. 6. Agitur ibidem de Diacono Nicomediensi, de quo „ hic mentio habetur. De Migdonio item Niceph. hist. lib. 7. „ cap. 5. qui agit & de Gorgonio, quem diversum esse a Mar- „ donio, Acta superius citata significant „. Nomen Diaconi exprimitur in Synaxariis Græcis: sic: „ Theophilus Diaconus „ præcisa lingua, in campo lapidatur: compluresque alii eodem „ die Martyrii coronam acceperunt „: hi nimirum sunt, qui in Romano Martyr. hac eadem die commemorantur hoc elogio, *Nicomediæ Natalis SS. Viginti Martyrum*, ut supra.

Nono, *Sancti*, *Indes* Eunuchus, *Domna*, *Agape*, *Theophila*, & Socii. Martyr. Rom. ad XXVIII. Decembris. „ Ni- „ mediæ Sanctorum Martyrum, Indes Eunuchi, Domnæ, „ Agapis, & Theophilæ Virginum, & Sociorum, qui in per- „ secu-

„ secutione Diocletiani post longa certamina, diverso mortis „ genere, coronam martyrii sunt assecuti. *Baronius*. Agunt „ de iisdem Græci hac die in Menologio. Eorum Acta a Meta„ phraste edita habet Lipom. tom. 5. & Surius tom. 6. meminit„ que de his Nicephorus hist. lib. 7. cap. 6.

Decimo, *decem millia Martyrum*, cum *Trophimo* & *Eucarpio*. Martyrol. Rom. ad 18. Martii. „ Nicomediæ Sancto„ rum decem millium Martyrum, qui pro Christi confessione „ gladio percussi sunt. Item Sanctorum martyrum Trophimi, „ & Eucarpii. *Baronius*. Græci de his etiam in Menologio hac „ die, nec sane mirandum est, non tantum eos, de quibus „ hoc loco agitur, sed alia multa præterea martyrum millia pro „ Christi nomine Nicomediæ fortissime occubuisse, in quo„ rum certamina sæpe incurrimus: nam Diocletianus Impe„ rator sævissimam illam persecutionem excitans, Nicomediæ „ resedit, illicque de Christianis immanissimam carnificinam „ exercuit, ut produnt Acta Martyrum, Eusebius lib. 8. & alii.

Undecimo, *plurimi Martyres*. Martyr. Rom. ad 23. Junii. „ Nicomediæ commemoratio plurimorum Sanctorum „ martyrum, qui in montibus & speluncis tempore Diocletia„ ni latentes, pro Christi nomine martyrium læto animo subie„ runt. *Baronius*. Quantum in Christianos sævitum sit Nico„ mediæ temporibus Diocletiani Imp. qui illic diutius consedit, „ scribit Eusebius lib. 8. cap. 1. 2. 3. & 4. & res gestæ Sancto„ rum Indes & Domnæ apud Metaphrasten die 26. Decembris.

Alii in eodem Martyrologio Romano, & in Menologio Græcorum sparsim recensentur martyres sub Diocletiano passi Nicomediæ, qui tamen ad horum, de quibus agitur, martyrum numerum spectare non videntur. Cæterum ex his, quæ hactenus recitavimus, constat primo, sanctos hosce Nicomedienses martyres, quibus Latini diversos dies assignant, a Græcis una eademque die omnes celebrari, hoc est, 28. Decembris, præter *S. Anthimum* Episcopum, qui die 3. Septembris colitur, & præter *decem millia* Martyrum, de quibus Græci separatim ad 18. Martii agunt. Secundo, eum numerum, *decem millium*, & *viginti millium*, qui apud Græcos ad 18. Martii, & 28. Decembris notatur, non esse eo sensu accipiendum, quasi in urbe Nicomediensi sub Diocletiano passi sint *triginta millia Martyrum*: quis enim credere possit Christianos eo tempore tot nu-

mero fuisse Nicomediæ, aut tot numero Christianos unam Nicomediæ Ecclesiam cepisse? sed pro indefinito ibi numerum definitum fuisse positum: ac proinde non aliud significare, quam ingentem martyrum multitudinem. Porro, ut pro plurimis martyribus, Metaphrastes, aut is certe, qui jampridem Acta Nicomediensium Martyrum scripserat, *decem millia*, *& viginti millia* poneret, causam hanc esse puto, quia vox Græca μυριοι, paroxytona quidem μυρίοι, significat *infinitos*, *innumeros*, *ingentes*, *maximos*: ut apud Lucianum, μυρίον πλῆθος, *infinita multitudo*: apud Homerum μυρίον πένθος, *maximus luctus*: μυρία ἄλγεα, *summi dolores*: apud Platonem, ἐν πενίᾳ μυρίᾳ εἰμί, *in maxima sum paupertate*: Proparoxytona autem, μύριοι, indicat, *decies mille*, δισμύριοι, *bis decies mille*, τρισμύριοι, *tricies mille*, aut triginta millia. Itaque quum in antiquis Actis, μυρίον πλῆθος, aut, μυρίοι μάρτυρες, scriptum esset, quod innumerabilem multitudinem, & plurimos martyres sonat; numerum martyrum, ut solent recentiores Græci fabulosis plane circumstantiis exaggerantes, μύριοι, & δισμύριοι, *decies millies*, *& bis decies millies*, legendum existimarunt. Conjecturam nostram confirmat Eusebius, qui horum martyrum historiam accurate describens lib. 8. cap. 5. & 6., multos quidem Nicomediæ martyrium passos dicit, non tamen decies mille, neque bis decies mille: nominat autem primo loco *virum quemdam minime obscurum*, (hic in Martyrol. Rom. ad 7. Septemb. *Joannes* dicitur,) qui simul ac edictum contra Ecclesias propositum est Nicomediæ, zelo quodam divino commotus & ardore fidei incitatus, edictum illud in publico & illustri urbis loco affixum detraxit, & tamquam impium manibus suis discerpsit. Deinde laudat *Dorotheum*, *Gorgonium*, & *Petrum*, Imperatoris cubicularios, qui unacum aliis pluribus in Palatio ministrabant: demum *Anthimi* Episcopi & aliorum certamina his verbis enarrat. „ Tunc etiam Anthimus Ecclesiæ
„ Nicomediensis Episcopus ob confessionem Christi in eadem
„ urbe capite truncatus est. Huic adjuncta est, πλῆθος ἀθρόων
„ Μαρτύρων, *ingens Martyrum multitudo*. Quippe iisdem die-
„ bus nescio quo casu, in Palatio excitatum erat incendium.
„ Cujus quum nostros auctores fuisse publicus rumor falsa suspi-
„ cione jactasset, Imperiali jussu quotquot illic erant Dei culto-
„ res, acervatim cum suis familiis, alii gladio, flammis alii con-
„ sum-

„ ſumpti periere. Tunc divina quadam alacritate quæ verbis „ explicari non poteſt, conciti viri ſimul ac mulieres, in ardentem rogum inſiliiſſe dicuntur. Alios quoque innumerabiles „ vinctos & ſcaphis impoſitos, carnifices in profundum mare projecere „. Græcus Euſebii textus habet: *δήσαντες δὲ οἱ δήμιοι ἄλλό τι πλῆθος ἐπὶ σκάφαις, τοῖς θαλαττίοις ἐναπέρριπτον βυθοῖς*. „ Aliam autem quandam multitudinem vinctam & „ ſcaphis impoſitam, carnifices in profundum mare projecere. Pergit Euſebius de ſanctorum Cubiculariorum corporibus diſſerens: „ Sed & corpora regiorum Cubiculariorum, quæ poſt „ mortem convenienti tradita fuerant ſepulturæ, ipſi eorum legitimi domini, erui ex ſepulcro, & in mare projici oportere „ cenſuerunt, nequis illos ſepulcris conditos, pro Diis, ut ipſi „ quidem opinabantur, reputans, in poſterum adoraret. Et „ hæc quidem in ipſo perſecutionis exordio Nicomediæ geſta „ ſunt „. Vides, in hac perſecutione, ab Euſebio accurate deſcripta, non alios fuiſſe martyres, præter *Joannem*, qui edictum laceravit: & præter *Dorotheum*, *Gorgonium*, *Petrum*, & alios plures, qui in Palatio miniſtrabant: denique præter *Anthimum* Epiſcopum, & *ingentem Martyrum multitudinem ipſi adjunctam*, quorum alii gladio ſunt cæſi, alii flammis conſumti, alii ſcaphis impoſiti, & in mare demerſi. Vides inſuper, Incendium illud Palatii Imperialis, quod anno 1. perſecutionis Diocletianeæ in urbe Nicomedia contigit, cauſam fuiſſe, cur Imperator in Chriſtianos ſæviret, & alios quidem flammis traderet, alios vero in mare projici, aut gladio jugulari juberet. Nulla hic mentio *bis decies millium*, qui ſint in Eccleſia concremati: qui quidem numerus ſi conſtaret, non fuiſſet utique ab Euſebio omiſſus. Nec eſt, quod quis opponat, in ſubſequutis Perſecutionis annis eos, qui in Latinis Græciſque Faſtis recenſentur, martyres claruiſſe: quum Perſecutio illa, eodem Euſebio teſte, totum decennium duraverit; ea vero, quæ ex ipſo Euſebio de Nicomedienſibus martyribus ſupra ſunt narrata, in ipſo perſecutionis exordio, hoc eſt, primo anno, geſta ſint. Nam idem Euſebius a cap. 1. libri 8. uſque ad caput xv. accuratam texens rerum omnium totius decennii perſecutionis geſtarum hiſtoriam, non habuiſſe ſe, quod amplius de Nicomedienſium martyrio ſubjungeret, abunde teſtatur initio capitis xvi. inquiens: *Hæc ſunt quæ toto perſecutionis illius tempore contigerunt*. Cæte-

Cæterum id, quod antea de numero Martyrum diximus, μύριοι nimirum, pro, μυρίοι, hoc eſt, *decies mille*, pro *innumeris*, in hiſtoriam horum Martyrum perperam irrepſiſſe, confirmatur ex eodem Euſebio, qui lib. 8. cap. 13., poſtquam certamina Sanctorum, qui Nicomediæ, Melitinæ, in Syria, in Phœnice, in Palæſtina, per Africam, & Mauritaniam, Alexandriæ, & per Ægyptum, Thebaidem, Phrygiam, atque Arabiam in ea perſecutione paſſi ſunt, deſcripſiſſet: nomina quoque Epiſcoporum & Presbyterorum quorumdam, qui religionis quam prædicabant, ſinceritatem fuſo ſanguine declararunt, recitaſſet; Anthimi, inquam, Epiſcopi Nicomedienſis, Luciani Presbyteri Antiocheni, Tyrannionis Epiſcopi Tyriorum, Zenobii Presbyteri apud Sidonem, Silvani Epiſcopi Emeſæ, Silvani alterius Epiſcopi Gazæ, Pamphili Presbyteri Cæſareæ, Petri Epiſcopi Alexandriæ, & Presbyterorum ejus Fauſti, Dii atque Ammonii; Pelei ac Nili Sacerdotum Ægyptiorum cum aliquot aliis; demum Phileæ, Heſychii, Pachomii ac Theodori, diverſarum in Ægypto Eccleſiarum Epiſcoporum: poſtquam, inquam, horum omnium certamina enarraſſet, hæc ſubjungit: „ *μυρίοι τε ἐπὶ τούτοις ἄλλοι διαφανεῖς, οἱ πρὸς τῶν κατὰ χώραν „ καὶ τόπον παροικιῶν μνημονεύονται*: Sexcenti denique alii mi„ nime obſcuri, qui per Eccleſias in illis locis ac regionibus con„ ſtitutas, multis laudibus celebrantur „. Ecce, qui apud Euſebium *μυρίοι* dicuntur, hos Latinus Interpres recte vertit *ſexcentos*, hoc eſt, *innumerabiles*, ſeu *plurimos alios*. Quid? ſi quis hoc loco *μύριοι*, pro *μυρίοι* legiſſet? Haberemus profecto præter jam enumeratos Eccleſiarum Præſides, alios *decies mille*: quod tamen Euſebius ne ſomniavit quidem. Quamobrem, ut ad Nicomedienſium Martyrum numerum redeam, placet cl. Sollerii verbis uti, in obſervatione ad Martyrologim Uſuardi, 27. Aprilis de Sancto Anthimo Epiſcopo & Sociis hæc ſcribentis. „ Euſebii verba in Actis referuntur, quæ vere inſignis Marty„ ris, & innumerabilium ſociorum triumphum denarrant, qui„ bus addi poſſunt, quæ a Lactantio præclare ſcripta ſunt, ex „ quo & aliis, hiſtoriæ ſeriem exponit Tillemontius tom. 5. „ a pag. 23., nulla habita ratione Actorum particularium, La„ tine & Græce a nobis editorum, quæ ab eruditis recentiori„ bus non magni æſtimantur, nec a Ruinartio admiſſa ſunt, „ qui ſolum Euſebium ſequitur pag. 320.

„ QUA-

XXIX.

Quatuordecim millia Infantium.
Marcellus.

Codices Vaticani Ruſſici: *Sancti Infantes*. Ita & Faſti Græco-Moſchi apud Papebrochium: *Sviatich Mladenec*: *Sanctorum Infantium*. Sed addunt ιδ'. ideſt, 14. *millium*: nec non *Markel*, *Marcellus*. At Poſſevinus pro 14 *millibus*, habet: *Sanctorum Martyrum bis mille*. Agunt Græci hac die XXIX. Decembris de Sanctis Infantibus, quos Herodes occidi juſſit in Bethleem & finibus ejus: quorum feſtum diem Latini peragunt die antecedenti. Menologium Baſilianum non exprimit numerum: ſic enim ad diem XXIX. Decembris pag. *66.* „ Cædes „ Sanctorum Infantium Bethlehem. „ Et in Synaxario: „ Videns *Herodes*, quod irriſus fuiſſet ab eis [Magis] ira excanduit: & exquirens diligenter tempus, quo Stella apparuerat, miſſis militibus interfecit omnes pueros Bethlehem a bimatu & infra, eo conſilio, ut ceteris interemptis pueris, is quoque extingueretur, qui regnaturus erat, nec ſibi inſidias ſtrueret. Sed fruſtra laboravit inſanus, neſciens, divinum conſilium ab homine impediri non poſſe: quare illis quidem cæleſte regnum, ipſe vero ſibi æterna ſupplicia comparavit „. Depingitur Herodes in throno ſedens, habitu Imperatorum Conſtantinopolitanorum indutus, adſtante quodam milite cum haſta, & aliis duobus *Infantes* interficientibus. Pictura Papebrochiana Herodem non repræſentat, ſed duos milites habitu Ruſſico, pueros enſibus cædentes. In Menæis Græcis unum quidem idemque Synaxarium legitur, at in Menologio Baſiliano; at vero in titulo numerus Infantium dicitur fuiſſe 14. millium: *τῶν ἁγίων Νηπίων, τῶν ὑπὸ Ἡρώδου ἀναιρεθέντων, ὧν ὁ ἀριθμὸς χιλιάδες ιδ'.* „ Sanctorum Infantium, ab Herode interfectorum, quorum numerus fuit millia quatuordecim „. Papebrochius. „ Non exiſtimo tantum fuiſſe, quum Bethlehem oppidum parvum fuerit, nonniſi VII. P. M. Hieroſolymis diſtans, & fines ejus, in quibus omnibus occiſi pueri, non admodum magni poſſint concipi. Itaque ad cæteras Græcorum fabulas iſtum quoque numerum adjicias licet. *Subjungit*: Latini antiquitus cædem hanc recolunt die præcedenti, ut utriuſque Eccleſiæ circa hoc conſenſus veroſimile nobis faciat, proximis a natali Dominico diebus licet non eodem anno, rem

ge-

„ gestam esse. Atque huc etiam facit, quod Græci, sicut jam diximus, eodem die quo Christi Nativitatem, etiam Magorum „ adorationem colunt: ut videantur credidisse, quod Magi [quibus primum apparuerat Stella, quando nunciante (*a*) Angelo „ *Verbum caro factum est*) vigesimo (*b*) primo abinde mense „ venerint Hierosolymam XXIII. vel XXIV. Decembris, ipsoque natalis Dominici anniversario, ductu Stellæ intraverint, „ non jam (*c*) in stabulum, sed in domum, in qua non recens „ natus Infans, sed puer erat cum Maria Matre ejus, ubi hospitati nocte illa, juxta acceptum in somnis responsum, sequenti „ die per aliam viam reverterint in regionem suam. Horum „ abitum sequenti mox nocte secutus sit Joseph in Ægyptum „ fugiens cum Puero & Matre ejus, opportunoque peregrinationis subsidio quod Magi attulerant. Herodes vero, videns „ se delusum, statim in iram consiliumque cruentum proruperit: „ neque enim plus biduo [*aut triduo*] opus fuit, ut homo suspicax & explorans omnia, delusum se videret. Cædem autem „ fieri jussit secundum tempus Stellæ apparentis, quod exquisierat a Magis, scilicet a bimatu & infra: quia scilicet ab initio „ (*d*) Stellæ apparentis usque ad hanc diem soli tres menses ad „ biennium deerant.

Infantibus Bethlemiticis conjungitur hac die *Marcellus*: ille nimirum Acœmetarum Præses, de quo Menologium Basilianum pag. 67. „ Commemoratio S. P. N. Marcelli Abbatis Monasterii Acœmetarum „: & in Synaxario. „ S. P. N. Marcellus Apameæ in Syria honesto & illustri genere natus.. Ephesum profectus, in Monasterium sese recepit... Tum S. Alexandrum adiit in monasterio Acœmetarum agentem ... Ubi „ post Alexandri, ejusque Successoris Jacobi obitum, Abbas „ electus.. multis patratis prodigiis, Imperatoribus populoque „ universo honorabilis, in pace decessit „. Eadem in Synaxario Menæorum. Claruit temporibus Leonis Imp.. Martyrol. Rom. ad hanc ipsam diem. *Constantinopoli S. Marcelli Abbatis*. Acta ex Metaphraste descripta habet Lipom. tom. 5. ac Sur. tom. 6. Græ-

a Imo, quando Verbum caro factum, ex Maria Virgine natum est. Ita enim sentiunt Græci.

b Imo, duodecimo fere abinde mense.

c In eadem spelunca, in qua natus Jesus, adoratum ipsum a Magis, vetustissima Bethlemitarum fert traditio, & locus adhuc ostenditur.

d Potius „ quia biennium Stellæ apparentis jam inchoatum fuerat.

Græca incipiunt : ἐννοιά μοι πολλάκις γίγνεται, τί δήποτε μύριοι ποιηταὶ, οἱ μὲν πολέμους καὶ ἔχθρας. Citantur a Fabricio tom. 6. Bibl. Græc. pag. 541.

XXX.

Anysia.

Zoticus.

Codex secundus Russicus : *Anysia*, *Zoticus*. Codex primus : *de Nativitate Domini*, hoc est, de die infra octavam. Possevinus hac die vacat : nam quod habet ad 30. Decembris *Sanctæ Melaniæ*, id pertinet ad diem sequentem, ut mox videbimus. Fasti Græco moschi : *Anysia*. *Zoticus*. Menologium Basilianum pag. 68. de sola *Anysia* agit, Martyre Thessalonicæ sub Maximiano : de qua Papebrochius : „ Græca Acta duplicia vidimus, necdum nobis transcripta. Encomium a Philotheo Patriarcha Constantinopolitano elaboratum, quod indicat Allatius, nusquam adhuc reperimus „. Hoc Encomium incipit : οὐδὲν ἀρετῆς τιμιώτερον, apud Fabric. tom. 6. Bibl. Græc. pag. 513. In Menæis Græcis tam Anysia, quam Zoticus coluntur hac die : Titulus : τῆς ἁγίας Μάρτυρος Ἀνυσίας, καὶ τοῦ ὁσίου Ζωτικοῦ πρεσβυτέρου, τοῦ Ὀρφανοτρόφου, *Sanctæ Martyris Anysiæ, & Sancti Zotici Presbyteri, & Orphanotrophi*. Synaxarium de S. Anysia, idem ac in Menologio Basiliano. De Zotico vero, præter citatum titulum, nihil hac die; sed die sequenti, hoc est 31. Decembris, legitur prolixum Synaxarium, hoc titulo prænotatum. τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, μνήμη τοῦ ἁγίου Μάρτυρος καὶ Πρεσβυτέρου, Ζωτικοῦ τοῦ Ὀρφανοτρόφου. *Eodem die, commemoratio Sancti Martyris, & Presbyteri, Zotici Orphanotrophi*: passus enim dicitur sub Constantio Constantini magni filio : ejus vero festum peragi, ἐν τῷ σεπτῷ Ἀποστολείῳ τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Παύλου, τῷ ὄντι ἐν τῷ Ὀρφανοτροφείῳ, *in Venerabili Templo Sancti Apostoli Pauli, quod in Orphanotrophio situm est*. In Martyrologio Romano, Anysia quidem colitur die 30. Decembris : Zoticus vero die sequenti, hoc elogio : *S. Zotici Presbyteri, Romani, qui Constantinopolim profectus, alendorum orphanorum curam suscepit*. Vide Baronium in notis ad diem 31. Decembris.

XXXI.

Melania.

Codices Vaticani Russici, *de Nativitate Christi*, hac

etiam

etiam die agunt, dumtaxat. Possevinus per errorem pro die 31. ad 30. Decembris habet: *Sancta Melania*. Fasti Græcomoschi: *Melania*. Menologium Basilianum pag. 71. *Commemoratio S. Melaniæ Romanæ*: ubi per errorem dicitur, in matrimonio virginitatem servasse, his verbis: „ quam quum in-
„ vitam parentes cuidam in matrimonium collocassent, illa,
„ priusquam coirent, sponsum timorem Dei docens, tan-
„ tum dicendo profecit, ut is mundum voluptatesque de-
„ spiciens, monachus fieret; ipsa vero distributa in pauperes,
„ quam a parente acceperat, ingenti opum copia, monasti-
„ cam vitam amplexa est „. At in Synaxario Menæorum diserte narratur, ipsam ex suo viro duorum Filiorum Matrem evasisse. *ἐξ ὅλης δὲ ψυχῆς τὸν κύριον ἀγαπήσασα παρθενεύειν ᾑρετήσατο. ἀλλ' οἱ ταύτης γονεῖς ἀνδρὶ ταύτην καὶ μὴ βουλομένην ζευγνύουσι. καὶ δύο παίδων μήτηρ ἐγένετο. εἶτα οἱ γονεῖς αὐτῆς καὶ τὰ τέκνα τοῦ βίου μεθίσανται.* „ Ex toto autem animo quum Do-
„ minum diligeret, virginitatem servare volebat. Verum ipsius
„ parentes, illam etiam volentem cuidam vero in matrimonium
„ collocarunt, duorumque Filiorum Mater fuit. Postea paren-
„ tes ejus ac filii ex hac vita migrarunt „. Cætera. Res ejus gestas ex antiquis monumentis edidit Metaphrastes; descripsit autem Latine Lipom. tom. 5. Græca incipiunt: *ἦν ἄρα καὶ τοῦτο τῆς μεγίστης πάλαι καὶ περιφανεστάτης*. Alia Acta Græca ab auctore coævo scripta, incipiunt: *εὐλογητὸς ὁ Θεὸς ὁ διεγείρας τὴν τιμίαν κεφαλὴν, ἱερεῦ ὅσιε*. Laudat Allatius. Vide Fabricium tom. 6. Biblioth. Græcæ pag. 548. „ Dicitur autem hæc Mela-
„ nia Junior, respectu aviæ suæ, quæ & ipsa admirabilis san-
„ ctimoniæ Mulier fuit, quamque sic laudat S. Augustinus, ut
„ dubitandum vix sit, quin ante mortem resipuerit ab errori-
„ bus, in quos ipsam Rufinus Origenista pertraxerat. Ita ta-
„ men ut non videatur uspiam adnumerata Sanctis, nisi forte
„ est ea, cujus nudum nomen cum disticho, ut in pace mortuæ,
„ reperitur, ad diem VIII. Junii, in Synaxario MS. Chiffle-
„ tiano „. Hæc Papebrochius.

FINIS TOMI QUINTI.

IN-

INDEX
TOMI QUINTI
PARS PRIMA.

Ecclesiasticæ Origines Serblorum, Albanensium, Bosnensium, Valachorum, & Bulgarorum.

Alba-

Basilii

qua-

PARS SECUNDA.

De Tabulis Græco-Moschis Capponianis.

FINIS.

